







Rave of mine  
Aluminum  
Arvalfungen 1871



**TRACTATUS**  
**DE LOCIS THEOLOGICIS.**

**PARS SECUNDA ET TERTIA.**





**PRÆLECTIONES  
THEOLOGICÆ,**

QUAS

IN COLLEGIO ROMANO S. J.

HABEBAT

**JOANNES PERRONE**

E SOCIETATE JESU

IN EOD. COLL. THEOL. PROF.

EDITIO LOVANIENSIS, DILIGENTER EMENDATA, ET VARIIS ACCESSIONIBUS AB AUCTORE LOCUPLETATA.

**VOL. IX**

CONTINET TRACTATUS DE LOCIS THEOLOGICIS PARTES SECUNDAM ET TERTIAM.

---

**LOVANI,**

TYPIS ET SUMPTIBUS VANLINTHOUT ET VANDENZANDE,

UNIVERSITATIS CATHOLICÆ TYPOGRAPHORUM.

**MOGUNTIAE,**

APUD KIRCHHEIM, SCHOTT ET THIELMANN.

—  
1843.



# TRACTATUS

## DE LOCIS THEOLOGICIS.

### PARS SECUNDA.

#### DE VERBO DEI SCRIPTO ET TRADITO.

1. Si Ecclesia, uti ostendimus, ea societas est, cui Christus Deus homo plenissime depositum doctrinæ suæ concredidit; si Ecclesiæ est a Christo instituta, ut jugiter populos, ad fidem ope sua sive adductos sive adducendos, indubiis institueret documentis; si Ecclesia denique una eademque semper extitit et existit, et usque ad consummationem seculi, in ministerio sibi commisso adimplendo, Christi, cujus personam sustinet, vices est præstitura, plane consequitur, gentibus quibuscumque, sive conversis sive posthac convertendis, non aliud sentiendum credendumque esse, quam quod eadem ipsis proposuerit Ecclesia, quæ unice pro nobis proxima et adæquata esse potest credendorum regula et agendorum.

2. Porro Ecclesia, quemadmodum viva voce a divino suo Conditore atque ab interiore Spiritus Sancti afflatu omnes fidei veritates ex ipso originis suæ et institutionis accepit exordio, sic easdem fideliter viva voce transmisit. Quemadmodum præterea hæc ipsa Ecclesia, ex quo esse cœpit, vita vixit interiore fidei, spei et charitatis, sic eandem vitam exteriori ministerio iis omnibus communicavit, quos Christo lucrificet per verbi prædicationem, ac in sinum suum recepit Sacramentorum administratione aliisque adminiculis, quibus Christus constituit gratiam suam sanctificantem una cum enumeratis virtutibus impertiri; quæ cuncta corpus hoc mysticum, ut ita dicam, informant.

3. Ipsamet porro Christi Ecclesia longe lateque diffundebatur, vita integerrima vivens, suo fungens munere, Martyres Sanctosque in cœlum transmittens, priusquam objecta fidei libris commit-

terentur. Hæc vero dogmata , solo ministerio proposita , traditione sive orali sive practica tunc temporis servabantur. Oblata interea occasione et Spiritus Sancti impulsu , nonnulla hujus Ecclesiæ membra seu individua manus admoverunt commentariis seu libris edendis , quæ tum Christi gesta et doctrinam referrent , tum ejusdem doctrinæ explanationes atque vindicias. Ejusmodi autem scripta , in quæ aliqua ex parte relata sunt , quæ ad ea usque tempora viva tantum voce proferebantur , nullum potuerunt detrimentum afferre aut traditioni ipsi aut publico Ecclesiæ magisterio , quod ab ipsis independens omnino est. Quin immo libri , qui identidem conscripti sunt , ad Ecclesiæ auctoritatem tanquam ad regulam proximam fuerunt exacti , quando Ecclesia eosdem recipiens suo veluti suffragio consignavit. Edixit enim , eos libros veridicos esse , divinaque inspiratione conscriptos ; ex iis canonem suum effecit , constituitque , ut omnes exinde libros illos ceu veraces , authenticos , divinitus inspiratos et canonicos venerarentur , atque ex ipsis , se magistra , veritates inclusas quilibet derivaret. Hinc duplex illa regula , Ecclesiæ magisterio subordinata , credendorum et agendorum , Scriptura et Traditio , quæ ad nos usque dimanavit. Quandoquidem vero temporis tractu plura ex iis , quæ traditio primæva complectebatur , monumentis sunt consignata , factum est , ut Scriptura et hæc monumenta , utpote mortua , ab Ecclesiæ jugi vivoque magisterio vitam , ut ita loquar , adipisci semper debuerint ; cum ejus tantum sit , tum de veris ac genuinis Scripturis earumque legitimo sensu , tum de veris divinisque traditionibus judicare.

4. Quamobrem de Scripturarum traditionumque divinarum existentia et origine , deque ipsarum præterea Scripturarum inspiratione ac cæteris , quæ ad utrasque referuntur , infallibili auctoritate seu de fide nobis nisi per Ecclesiam nequit constare. Neque enim alia suppetit via. In hac porro fidei professione non distinguitur theologus aut quilibet vir doctus a quovis rudi fidei , cum omnes ex æquo ob eandem auctoritatem hos fidei articulos fide teneant. Hoc solum intercedit doctum inter rudemque discrimen , quod huic sufficiat assensum præbere suum iis , quæ sibi ab Ecclesia traduntur ; at virum doctum præterea de-



ceat fontes ipsos ope scientiæ investigare , eos aperire , et efficere , ne unquam adversariorum erroribus contaminentur , prout in quovis fere fidei articulo aut dogmate fieri consuevit. Theologus quippe prius exhibet in articulo quolibet Ecclesiæ doctrinam ; deinde ejus veritatem vindicat ex Scripturis , Conciliis , Patribus , ceterisque fontibus seu instrumentis scientiæ suæ propriis , ac denique adversariorum difficultates disjicit ; de quo suo nobis loco erit data opera pertractandum.

5. Hanc propterea methodum circa Scripturam ac traditionem sequi ipsi statuimus ; quia , quamvis illæ fontes sint , seu loca theologica , ex quibus vir theologus suas haurit probationes , sunt simul objecta fidei nostræ , quæ proinde uti objecta reliqua ab Ecclesia credenda proponuntur. Equidem nobis proposueramus , ad geneticum , ut vocant , servandum ordinem , prius de traditione quam de Scriptura disputationem habere ; siquidem reipsa traditio Scriptura anterior est. Cum tamen viderimus plura ex iis , quæ viva voce ab initio propagata fuerant , postea esse scriptis Patrum monumentisque ecclesiasticis commendata , ne ordinem hac ex parte invertere postea cogeremur , prius de Scriptura sacra , deinde vero de traditione disserendum esse censuimus , ut sic continenti oratione persequi illa omnia possimus , quæ ad hanc referuntur. Totam autem hanc controversiam in hac altera tractationis parte complectimur , cum par Scripturæ ac traditionis auctoritas sit , et ex utroque pariter possit theologus , tanquam ex fonte scientiæ hujus nostræ proprio , argumenta promere sive ad dogmata constabilienda , sive ad aliena placita refutanda. In duas sectiones eam dispertimur , in quarum priori de sacra Scriptura , in posteriori de traditione disseremus.

## PARTIS II

## SECTIO PRIOR.

## DE SACRA SCRIPTURA.

6. *Sacræ Scripturæ* nomine significantur omnes et soli libri, quos Ecclesia habet uti divinitus inspiratos, et in censum seu canonem suum retulit, omnibusque fidelibus ut authenticos, genuinos et Spiritu Sancto afflante conscriptos exhibet, utpote qui Dei verbum præ se ferant. Ex hac notione intelligimus, agendum a nobis esse de sacrarum Bibliorum *canonicitate*, ut vocant, eorumque divina inspiratione. Cum vero Protestantes contendunt, sacram Scripturam adæquatam et proximam esse credendorum regulam, immo et controversiarum fidei judicem, prout a spiritu uniuscujusque privato aut interiore Spiritus Sancti afflatu et impulsu subjectivo exponitur; ideo ostendendum præterea nobis est, Scripturam sacram neque regulam proximam et adæquatam fidei esse posse, neque alium legitimum ejus interpretem esse nisi solam Ecclesiam. His adjicienda sunt, quæ ad ejusdem Scripturæ exegesim, versiones, lectionem spectant, non omnia sed pauca delibando, prout prælectionum nostrarum postulat ratio. Hæc enim professoris sacrarum Litterarum provincia est, qui ex professo, ut aiunt, de gravissimis hisce argumentis pertractat. *Distinctis capitibus, quæ hic enumeravimus, persequemur.*

## CAPUT I.

## DE SACRORUM LIBRORUM CANONE ET AUCTORITATE.

7. *Κανὼν* græce, latine *regula*, hic sumitur pro censu seu catalogo librorum, quos Ecclesia uti sacros et divinos, ac propterea uti authenticos habet (1). Ex his libris alii ante, alii post

(1) Talem huic voci inesse sensum, ex antiquis etiam scriptoribus liquet. Nam scribens S. Hieronymus adversum

Ruffinum, lib. II, n. 26 (edit. Valars.): *In libris, inquit, Samuel et Malachim, quos nos regnorum qua-*

Christi adventum conscripti sunt, unde eorum in libros Veteris et in libros Novi Testamenti partitio.

8. Hunc canonem seu catalogum exhibet Tridentina Synodus, sess. IV, his verbis : *Sacrorum vero librorum indicem huic decreto adscribendum censuit* (sacrosancta et generalis Synodus), *ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiantur. Sunt autem infrascripti :*

9. *Testamenti veteris, quinque Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus, et secundus, qui dicitur Nehemias; Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est, Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias; duo Machabæorum, primus et secundus.*

10. *Testamenti novi, quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem; Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti; quatuordecim epistolæ Pauli Apostoli, scilicet ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem,*

*tuor nominamus, post catalogum divinæ Scripturæ, etc.* Loquitur porro de libris sacris, quos enumeraverat in *Prologo galeato*. Sic etiam S. Augustinus, *De doctrina christiana*, lib. II, cap. 8, cum n. 12 meminisset *Scripturarum canonicarum*, quæ ab Ecclesiis catholicis accipiuntur, pergit, n. 13, scribens : *Totus autem canon Scripturarum, in quo istam considerationem versandam dicimus, his libris continetur, etc.* Hos ipsos libros vocat

*canonicos, De civitate Dei*, lib. xv, cap. 23, n. 4, vocat *Scripturas canonicas*; et lib. xviii, cap. 41, n. 1 : *Denique, inquit, auctores nostri, in quibus non frustra sacrarum Litterarum figitur et terminatur canon, absit ut inter se aliqua ratione dissentiant, et alibi passim.* Cfr. Petitdidier, *De Sac. Script.* diss. II, p. 94; necnon Josephus Blanchinius, *Vindiciæ canonicarum Scripturarum*, *Præf. historica general.* cap. I, Romæ 1740.



*ad Hebræos; Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, et Apocalypsis Joannis Apostoli.*

*Si quis autem libros ipsos cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit... anathema sit.*

11. Ex his porro tum Veteris tum Novi Testamenti libris alii dicuntur *proto-canonici*, alii *deutero-canonici*. Proto-canonici ii sunt, qui omnium consensu semper in canonem recepti sunt; deutero-canonici vero ii, quorum canonicitas non ab omnibus semper agnita est. Libri proto-canonici Vet. Test., auctore Flavio Josepho (1),

(1) *Cont. Apionem*, lib. 1, § 8, ubi scribit: *Itaque apud nos nequaquam innumerabilis est librorum multitudo, dissentientium atque inter se pugnantium; sed duo duntaxat et viginti libri, totius temporis (præteriti) historiam complectentes, qui merito creduntur divini* (t. II, p. 441 edit. Haverc.). Hos deinde enumerans, recenset quinque libros Moysis, tredecim libros a Prophetis conscriptos, et quatuor complectentes hymnos in Dei laudem, et præcepta vitæ hominum utilissima, nempe libros, quos nos vocamus sapientiales. S. Hieronymus, in *Prologo galeato* in lib. Reg. hanc enumerationem refert ad viginti duas alphabeti hebraici litteras, scribens: *Viginti et duas litteras esse apud Hebræos, Syrorum quoque et Chaldæorum lingua testatur... Quomodo igitur viginti duo elementa sunt... ita viginti duo volumina supputantur, quibus, etc.* Adnotat tamen ibid. quinque litteras duplices apud Hebræos esse *caph, mem, nun, phe, sade*, quas nos finales vo-

camus. Unde, prosequitur, *et quinque a plerisque libri duplices æstimantur, Samuel, Melachim, Dibre-hajamim, Esdras, Jeremias cum Cinoth, id est, Lamentationibus suis.* Erant propterea viginti septem libri proto-canonici Vet. Test. Hi dividebantur in tres classes, in *legem* nempe, *prophetas, hymnos* seu *psalmos*, ad quam divisionem, juxta Maldonatum, Natalem Alex., Lightfootum, *Miscell.* cap. 44, P. Lamy, in *Apparatu biblico*, lib. II, cap. 2, aliosque passim, alludit Christus, Luc. XXIV, 44, dicens: *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me.* Postea obtinuit, ut dividerentur in *legem, prophetas et hagiographa*. De qua divisione cfr. Vossius, de *Orac. Sibyllinis*, cap. 12, Lugd. Batav. 1680; uterque Buxtorfius, ubi de canone Hebræorum; item Blanchinius, op. cit. *Præf. gen.* pag. 9 et seqq. Bonfrerius S. J. in *Præloquiis in totam Sac. Script.* cap. 3, sect. 6.



viginti duo sunt, nempe omnes enumerati præter Baruch, Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum ac duos Machabæorum, qui serius in canonem ab Ecclesia relati sunt, adeoque deuterocanonici nuncupati. Libri protocanonici Novi Test. sunt pariter omnes recensiti, exceptis epistola B. Pauli ad Hebræos, II epistola B. Petri, duabus posterioribus S. Joannis, epistola S. Jacobi, item epistola S. Judæ et Apocalypsi B. Joannis, ut nonnullas quorundam librorum partes omittamus (1).

12. Utrorumque autem librorum, sive proto sive deuterocanonicorum, eadem est auctoritas in Ecclesia catholica, quæ nullum inter eos agnoscit discrimen. Protestantes autem conveniunt quidem, seu potius olim conveniebant in admittendis libris proto-canonicis utriusque Fœderis; ast magna semper inter eos sententiarum discrepantia viguit ac viget circa libros deuterocanonicos. Modo enim, ut Lutherani, libros omnes deuterocanonicos Vet. Test. ac omnes Novi Test. abjecerunt, modo cum Calvinistis libros omnes deuterocanonicos Vet. Test. rejecerunt, retinentes omnes deuterocanonicos Novi Test.; nunc visi sunt et videntur omnes prorsus retinere cum Ecclesia catholica, nunc non respuunt dumtaxat deuterocanonicos, sed vix dum habent aliquem ex proto-canonicis librum aut aliquam libri partem, quæ modo ab hoc, modo ab illo non rejiciatur, aut saltem in dubium non revocetur (2).

(1) Tales librorum partes, quod attinet ad Vet. Test., sunt canticum seu hymnus trium puerorum, Dan. III, a v. 24 ad 90 inclusive; historia Susannæ, cap. XIII, ac destructio Beli et Draconis, cap. XIV; septem postrema capita libri Esther, nempe a cap. X, v. 4, ad XVI, v. 24. Quod vero spectat ad libros Nov. Test., sunt 1° posteriores versiculi cap. XVI S. Marci, nempe a v. 9 ad finem; 2° historia sudoris Christi sanguinei, quæ legitur apud S. Lucam, cap. XXII, vv. 43 et 44; 3° historia mulieris adulteræ,

Joan. VIII, v. 2-12 inclusive. Septem itaque sunt libri deuterocanonicos Vet. Test. et partes librorum duæ, nempe additiones Danielis et Esther; septem item libri Novi Test., sex scilicet epistolæ et liber Apocalypseos, et tres librorum partes.

(2) Lutherani ab initio e librorum divinorum canone rejecerunt omnes libros deuterocanonicos Vet. Test. ac omnes pariter Novi Test. Ratio vero est, quia nimis aperte adversabantur hi libri illorum innovationibus, atque, ut mos constanter fuit omnium hære-

13. Quæ cum ita se habeant, duo a nobis præstanda sunt : primo Tridentinus seu Ecclesiæ canon vindicandus ; secundo ostendendum , non posse acatholicos independenter ab Ecclesiæ auctoritate ullum sibi canonem certum constituere. Sit igitur :

PROPOSITIO I.

*Canon sacrorum Librorum a Concilio Tridentino editus solidum habet in primitiva Ecclesia fundamentum, ac integer est omnino retinendus.*

14. Complectimur , ut patet ex thesis enunciatione , libros prorsus omnes sive proto sive deuterocanonicos utriusque Fœderis cum omnibus suis partibus , prout in Vulgata editione legi consueverunt ad mentem Concilii Tridentini.

15. Sic porro inprimis generatim evincimus hujus propositionis veritatem : Canon Tridentinus solidum habet in Ecclesia primitiva fundamentum , si de ætate in ætatem , per quosdam veluti gradus assurgendo , ad primum usque Ecclesiæ seculum pervenimus , intuemurque canonem illum per eam ætatem usui fidelibus esse. Jam vero ita se res habet.

16. Etenim canon Tridentinus idem plane est ac canon , quem sec. XV exhibuit Eugenius IV in decreto , Ecclesiæ Romanæ nomine , pro Jacobinis dato an. 1439 (1). Hic rursus desumptus est ex canone , quem an. 494 edidit in decreto suo Gelasius (2). Hic item plane congruit cum canone , quem tradunt tum S. Inno-

ticorum , cum pervertere eos non possent , e canone expunxerunt. Calviniani e contra , autumantes se posse in libris deuterocanonicis Nov. Test. aliquod sibi fulcimentum reperire , eos retinuerunt. Interdum fluctuant atque inter se dissentiunt , ut suo loco videbimus. Inter alios cfr. Herman. Janssens , *Herméneutique sacrée , trad. du latin par J. J. Pacaud* , tom. 1 , chap. 1 , § 5 ,

Paris 1833. Hac editione utar , utpote aucta et in nonnullis ab interprete emendata.

(1) Apud Harduin. *Acta Concil.* tom. ix , col. 1023 et seq.

(2) Tom. iv , Anastasii bibliothecarii , *De vitis Rom. Pontificum* , edit. Blanchinii , Prolegom. opusc. III , p. 61 et seq. Romæ 1735.



centius I, in *Epistola ad Exsuperium* (1), ac S. Augustinus an. 400, *De doctrina christiana*, lib. II, cap. 8, n. 13 (2), tum Concilium Carthaginiense III, an. 397 celebratum, cap. XLVII (3), tum Concilium Hypponense, coactum an. 393, can. XXVII (4). Constat igitur, seculo Ecclesiæ IV eundem in Ecclesia Romana viguisse sacrarum Scripturarum canonem, qui a Conc. Tridentino sec. XVI exhibitus est ac decreto suo firmatus; constat præterea, eundem obtinuisse canonem in Africana Ecclesia, ut ex adductis liquet documentis. Quapropter concludimus, Ecclesiam Africanam ab ipso exordio suo hunc eundem canonem ab Ecclesia Romana, seculo II incipiente aut I labente, una cum Christi fide accepisse (5).

17. Ex his porro conficitur, hunc ipsum canonem jam invaluisse apud Romanam Ecclesiam sub finem seculi I. Cujus rei præterea ineluctabile habemus argumentum in epistola I (quam alii II vocant) S. Clementis Papæ ad Corinthios; nam, uti jamdiu animadverterant Cotelerius, et post ipsum uterque Blanchinius (6), proferuntur inibi testimonia ex omnibus pene

(1) Apud Coustant, *Epist. Rom. Pontif.* inter Innocentianas, ep. VI, c. 7.

(2) Quatuor libri de doctrina christiana a S. Augustino coepti sunt circa an. 397, et absoluti an. 406.

(3) Apud Harduin. *Acta Conc.* t. I, col. 968.

(4) Hoc Concilium plenarium totius Africæ vocatum est a Possidio, in vita S. Augustini, cap. 7. Hujus Concilii canones reperiuntur in *Codice canonum Ecclesiæ Africanæ*; cumque fuerint vel probati vel retractati a Conc. Carthagin. III, an. 397 celebrato, hinc fit ut permisceantur cum canonibus hujus posterioris Concilii. Cfr. Harduinus, loc. cit. col. 954 et col. 875, ubi in *Cod. Eccles. Africanæ* canon, de quo loquimur, reperitur sub n. XXIV.

(5) Id aperte testatur S. Innocentius I, *Epist. xxv, ad Decentium episc. Fugubinum*, n. 2, apud Coustant. op. cit. col. 856, ac Tertullianus, *De præscript.* cap. 36, edit. Rigalt., ubi postquam de Petro, Paulo ac Joanne disseruerit, qui Romæ fuerunt, pergit: *Videamus, quid didicerit, quid docuerit, cum Africanis quoque ecclesiis contesseravit... Legem et Prophetas cum Evangelicis et Apostolicis litteris miscet, et inde potat fidem.* In quem locum cfr. adnotat. P. De la Cerda. Ut omittam S. Augustinum, qui sæpius idem testatur. Cfr. quæ scripsimus in tract. *De Trinit.* cap. II, prop. II, n. 71, not. 2, t. II, p. 299.

(6) Franciscus videlicet, tom. II Anastasii biblioth. *De vitis rom. Pontific.*

Veteris Novique Testamenti libris, non solum proto-canonicis, verum etiam ex iis quos deutero-canonicos nuncupamus, nempe ex libris Judith, Sapientiæ, Ecclesiastici, II Machabæorum; item ex epistola ad Hebræos, ex II Petri, ex epistola Jacobi. Nullam vero cum fecerit Clemens mentionem Evangelii S. Joannis ejusque Apocalypseos, colligunt eruditi, Clementem hanc suam ad Corinthios epistolam exarasse aut stante adhuc Solymorum urbe ac templo, aut paulo post utriusque direptionem (1), scilicet cum Joannes suum Evangelium nondum conscripisset (2). Quod si nonnullorum librorum deutero-canonicorum mentionem S. Clemens non iniecit, ut libri Tobix et prophetix Baruch, item epistolæ Judæ, et II ac III Joannis, ideo est, vel quia cum reliquis hi libri jungerentur, vel quia nulla illi sese obtulit occasio eos adducendi, prout nonnullos eadem de causa omisit ex libris protocanonicis utriusque Testamenti (3).

18. Interim ex dictis apparet, eundem semper sacrorum Bibliorum obtinuisse canonem in Ecclesia Romana, omnium

pag. 48, col. 2, in notis historicis ad S. Clementem, sect. 4; ejusque nepos Josephus, op. cit. *Præf. gener.* p. III. Notandum porro est, tantæ apud veteres fuisse auctoritatis epistolam S. Clementis, ut pleræque Ecclesiæ eam legere solitæ fuerint publice diebus dominicis, imo et inter canonica scripta a non paucis recensitæ fuerint, uti mox videbimus.

(1) Cfr. Godofredi Vendelini *De Clementis et ejus epistolarum tempore divinitio*, apud Cotelierium, tom. I, *Patr. Apostolic.* necnon ejusdem Cotelierii *Judicium de priore epistola S. Clementis.*

(2) Cfr. S. Hieronymus, *De viris illustr.* cap. IX, cum quo consentiunt veteres omnes, qui referunt, S. Joannem Evangelium suum scripsisse ad

profligandas Corinthianorum et Ebionitarum hæreses, quæ quidem an. XIV Domitiani potissimum invaluerant. Hug et cum ipso Cellérier, *Essai d'une introduction critique au Nouveau Testament, deuxième part. sect. 5*, Genève 1823, censent, Joannem tum Evangelium tum tres epistolas exarasse, una cum Apocalypsi, in insula Patmos. Præter conjecturas innituntur auctoritate auctoris Synopseos athanasianæ. Verum hæc argumenta talia nobis non videntur, ut possint unanimem veterum consensum infirmare.

(3) Tales sunt ex Vet. Test. libri Judicum, Paralipomenon et Cantici Cantic.; ex Nov. autem epist ad Galat. ad Colossens. ad Titum et ad Philemonem.



Ecclesiarum matre et magistra, adeo ut ejus canon ad ætatem usque apostolicam manifeste ascendat. Epistola quippe Clementis, cum adhuc in vivis ageret Joannes, exarata est; divina autem Providentia contigit, ut dilectus hic Apostolus sub Domitiano Romam traductus fuerit (1), et paulo post suam in insulam Patmos relegationem ad eandem Ecclesiam miserit suum Evangelium et Apocalypsim, ut plenus ibi Scripturarum census reperiretur. Sane huic Ecclesiæ statim concreditam Apocalypsim fuisse, aperte constat ex eo, quod S. Justinus Romæ degens, et S. Irenæus, qui et ipse sub Eleutherio Romam se contulit, commentarios suos ediderint in hunc librum veluti canonicum et sacrum (2).

19. Et hæc quidem quod spectat ad identitatem canonis Tridentini cum canone ab apostolicis temporibus recepto in Ecclesia Romana, prout probatur vel ex ipsa canonis descriptione in adductis documentis, vel ex allegationibus Clementis Romani. Nunc adjicere præstat alia documenta, quæ idipsum confirmant. Sunt autem 1<sup>o</sup> Testimonia magna sedulitate collecta a cl. Blanchinio ex scriptoribus et Conciliis cujusvis seculi, incipiendo a seculo I usque ad sec. XVI (3). 2<sup>o</sup> Inscriptiones lapidariæ, quas inter illustris est, quæ jam a seculo VIII a quodam Gregorio presbytero in Ecclesia S. Clementis posita fuit; in ea quippe expressa mentio fit librorum, qui juxta ordinem versionis Alexandrinæ recipiebantur in canone Hebræorum (4). 3<sup>o</sup> Opera musiva, sculpturæ in sarcophagis, picturæ in cœmeteriis et in

(1) Uti testatur Tertullian. *De præscript.* loc. cit. et S. Hieronymus, *Comment. in Matth.* lib. III, cap. 20, edit. Vallars. tom. VII, col. 156.

(2) Cfr. Euseb. *Hist. eccl.* lib. IV, cap. 18, et S. Hieronym. *De viris illustr.* loc. cit.

(3) Cfr. in *Appendice de scriptoribus ecclesiasticis, qui ab Apostolorum ætate usque ad sacrosanctum OEcumenicum Conc. Tridentinum canonis*

*divinarum Scripturarum, seu certi Veteris ac Novi Testamenti librorum catalogi, ab Ecclesia recepti, indicem texerunt.* In cit. Præf. gener. p. 5 et seqq.

(4) Cfr. apud Francisc. Blanchinium, tom. III Anastasii biblioth. in notis historicis in sect. 64 vitæ S. Gelasii, pag. 197-200.

basilicis, apud Ciampinium (1), Aringhium (2) aliosque, qui ea monumenta collegerunt ac illustrarunt, quæque ante Gelasii decretum jamdiu extabant in Ecclesia Romana. Porro ex his constat, libros deuterocanonicos ea in Ecclesia uti sacros et canonicos habitos semper fuisse. Atque ut aliquot inde exempla proferamus, in basilica S. Pauli via Ostiensi, a S. Leone M. musivis, picturis historiisque decorata, exhibentur oracula sacrorum Bibliorum a Genesi ad Apocalypsim; insuper in valvis æneis Ostiensis ipsius basilicæ designantur Prophetæ, inter quos visitur ΒΑΡΟΥΧ, Baruch, qui adjungitur Jeremiæ, interque versiculos, qui adducuntur ex Jeremia, legitur in hujus pugillari: *Hic Deus noster, et non imputabitur alius*; quæ verba extant Baruch, III, 36 (3). Tabula tertia cubiculi tertii cœmeterii Callixtiani historiam refert Tobix (4); in sarcophago Junii Bassi Daniel conspicitur inter leones illæsus (5); Susanna, a seniorum calumniis vindicata, passim in picturis vetustissimis occurrit (6); frequens item admodum est in antiquis monumentis inscriptio: *Alpha et Omega*,

(1) *Vetera monumenta*, Romæ 1690. Pleraque facta, quæ referuntur in libris deuterocanonicis Vet. et Novi Testamenti, in picturis, sculpturis et in operibus musivis Christianorum ædium expressa habentur, una cum illis quæ habentur descripta in libris proto-canonicis utriusque Fœderis.

(2) *Roma subterranea, in duos tomos distributa*, Romæ 1651. Cfr. etiam Bottari, *Sculture e pitture sagre, estratte dai cimiterii di Roma*, vol. III, fol. Roma 1737, quæ est collectio omnium copiosissima. Plures ex his picturis refert etiam d'Agincourt in op. *Storia dell' arte dimostrata coi documenti*, trad. dal franc. Prato 1826.

(3) Cfr. Franc. Blanchinius, op. cit. *Anastas. biblioth.* loc. cit. ubi luculenter ostendit, quomodo ex sanctorum

Martyrum cœmeteriis, vel sacris ædibus primorum titulorum ac basilicarum, ab ipsa ætate apostolica, ante pontificatum Gelasii canon erui possit librorum singulorum utriusque fœderis, ut reipsa adductis documentis ipse conficit. Vid. tom. III, pag. 196 et seqq.

(4) Ibid. pag. 200.

(5) Apud Aringhium, op. cit. tom. I, lib. II, cap. 10, *De viris illustribus in Vaticano conditis, et de sepulchris sepulchralibusque inscriptionibus apud vaticanum cœmeterium*, pag. 275 et seqq. ubi etiam exhibentur tabulæ ære incisæ. Sarcophagus Junii Bassi signatus est consulatu Eusebii et Hyppatii (nempe anno æræ christ. 359), repletusque est cum pluribus aliis in cryptis vaticanis.

(6) Ibid.



quæ in Apocalypsi de Christo habetur, ad significandum ipsum esse *principium et finem* (1). Quare, si quis in pretiosa hæc documenta digitum intendere velit, ut verbis utar Cl. Blanchinii, poterit canonem sacrorum Bibliorum tradere (2). 4<sup>o</sup> Id ipsum conficitur ex *Ordine Romano*, in quo præscribitur clero universo per anni circulum lectio ex singulis recensitis libris; ex quo profecto liquet, quanta sedulitate canonem suum in basilicis titulisque Romana Ecclesia perpetuo custodierit (3).

20. Demum, licet canon Ecclesiæ Romanæ ab ecclesiis omnibus, orientalibus præsertim, receptus ab initio non fuerit, attamen in magna saltem existimatione, imo veneratione quadam libros deutero-canonicos tum veteris tum novi Fœderis habitos fuisse ex antiquis versionibus, quæ adhuc extant, satis elucet (4). Etenim libri hi omnes translati sunt; quod quidem haud dubie sensum illarum Ecclesiarum quoad hos libros ostendit.

(1) Apud Ciampinium, op. cit. tom. 1, cap. 22, n. 203, et apud Aringhium, op. cit. lib. vi, cap. 22.

(2) Op. et loc. cit. pag. 197, col. 1.

(3) Antiquus Ordo Romanus vulgatus est sæpius, præsertim ab Hittorio, in op. *De catholice Ecclesiæ divinis officiis*, tom. 1, Romæ 1591; a Joan. Cochlæo, in *Speculo*, Venetiis edito; a Joan. Mabillonio, in *Musæo italico*, tom. 11. Extat etiam in *Bibliotheca Patrum* De la Bigne edit. 3<sup>a</sup>, vol. xv, pag. 397. Quamvis porro Ordo Romanus per anni tempora præscribat lectiones legendas ex quovis fere Bibliorum libro, adhuc desiderabantur tituli seu sectiones, in quas sacræ Scripturæ libri antiquitus divisi erant. Hoc autem ex antiquissimis Mss. Ecclesiæ Rom. vulgavit B. Card. Thomasius, vir de ecclesiastica antiquitate optime meritus, in op. *Sacrorum Bibliorum veteres tituli,*

*sectiones et stichometria*, opp. edit. Rom. 1747, Ant. Franc. Vezzosi, t. 1. Jam vero ibi exhibentur tituli et sectiones omnium prorsus librorum a Genesi usque ad Apocalypsim, nempe tum librorum protocan. quam librorum deutero-canonice, quales semper uti divinos et canonicos habuit Ecclesiæ Romana. Hi tituli anteriores sunt sæculo xi. Observat insuper doctissimus vir, jam a seculo v in Ecclesiæ latina hos titulos appositos sacris libris fuisse, et Cassiodorum meminisse horum titulorum Octateuchi, quinque librorum Salomonis, ut olim allegabantur, nempe non solum Proverbiorum, Ecclesiasticis et Cantici Canticorum, verum etiam Sapientiæ et Ecclesiastici; item librorum Tobię, Esther, Judith et Machabæorum. Cfr. ejus præfatio.

(4) Uti liquet ex polyglottis Waltonianis.

21. Sive igitur canonem Tridentinum cum canone conferamus, qui semper retentus fuit in Ecclesia Romana, ac proinde in Ecclesiis item occidentalibus reliquis; sive vetera consulamus monumenta antiquasque versiones, constat, quod proposuimus, canonem scilicet Tridentinum solidum in antiquitate habere fundamentum, ac integrum propterea omnino esse retinendum.

DIFFICULTATES.

22. Obj. prima. 1<sup>o</sup> Scripturæ canon non ab una Ecclesia tantum, sed ab omnibus, seu ab Ecclesia universa constitui debet. Verum quid dicemus, si 2<sup>o</sup> ne *constet* quidem de constanti Ecclesiæ Romanæ traditione? Etenim *a*) Eugenius IV decretum suum dedit post Græcorum discessum. *b*) Dubiæ autem fidei est epistola Innocentii ad Exsuperium. *c*) Canon XLVII dicitur Concilii Carthaginensis III, quod celebratum est anno 397. Nam a Concilio ad Bonifacium Pontificem hic canon missus est, cum tamen constet, anno 397 Syricium sedem Romanam occupasse. *d*) Decretum Gelasianum juxta Caveum supposititium est, cum in antiquis collectionibus Damaso tribuatur, interdum vero Hormisdæ. *e*) Epistola autem Clementis Romani, si unum alterumve librum excipias, nullum eorum in particulari appellat, uti observat Millius, qui propterea concludit, primum canonem fuisse quatuor Evangeliorum. 3<sup>o</sup> Quis est præterea qui nesciat, antiquum canonem seu censum Bibliorum æque ac versiones veteres abundare interdum, interdum vero deficere? Abundant quidem, dum tres saltem libros exhibent Machabæorum, quatuor Esdræ, epistolam præterea S. Clementis, aut Barnabæ præ se ferunt; deficient, cum omittunt librum Baruch, ut Concilium Carthaginense III, et decretum Gelasii, in quo præterea non recensetur nisi unicus liber Esdræ et Machabæorum. Ergo.

23. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Dist.* Si Ecclesia illa non esset omnium Ecclesiarum mater et magistra, *conc.*; si talis sit, *neg.* Porro Ecclesia Romana, cum privilegio fruatur primatus in universam Ecclesiam, utpote quæ fundata sit a Petro Apostolorum principe, qui eam sibi in sedem elegit, sua potuit auctoritate consti-



tuere verum Scripturarum canonem. *Ista quam felix Ecclesia*, inquit Tertullianus, *cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt*; quæ propterea, ut ibidem subdit, *Legem et Prophetas cum evangelicis et apostolicis litteris miscet, et inde potat fidem* (1); et ad quam quovis tempore Ecclesiæ reliquæ omnes in orbe constitutæ confugerunt, ut dubia sua excuterent, cum opus esset, circa Scripturarum canonem, qui proinde prævaluit in Ecclesia universa (2).

24. Ad. 2<sup>m</sup>, *Neg.* Etenim, quamvis Eugenius IV extra Concilium Florentinum decretum illud ediderit, exposuit tamen in illo canonem Ecclesiæ Romanæ, præsertim cum decretum suum in publica sessione, quam habuit in Ecclesia Lateranensi, confecerit (3). Ceterum, cum Græci eundem canonem admiserint, nihil illorum absentia auctoritati canonis ab Eugenio exhibiti detraxit (4).

25. Ne unus quidem criticorum superest, qui in dubium revocet *γνησιότητα* seu genuinitatem epistolæ S. Innocentii ad Decentium (5), de qua iterum paulo post disseremus.

26. Sed neque dubiæ fidei est canon. XLVII Conc. III Carthaginensis; non enim Conc. III, sed VI Carthaginense illud est, in quo illa apparet subscriptio, qua petitur, ut ad Bonifacium acta illa mittantur cum canonibus præteritorum Conciliorum Carthaginensium. Concilium porro Carthag. VI celebratum reipsa est an. 419 sub Bonifacii pontificatu (6). Inter canones vero Conciliorum anteaactorum, qui solemniter ab hoc Concilio VI Carthaginensi confirmati sunt, reperitur can. XLVII Concilii Carthag. III, celebrati an. 397.

(1) *De præscript. hæret.* cap. 36, edit. Rigaltii.

(2) Cfr. S. August. lib. II, *Cont. advers. legis et prophet.* cap. 4, n. 13; et in lib. *Cont. epist. Fundamenti*, cap. 4 et 5; nec non *De doctr. christ.* lib. II, cap. 8, n. 12.

(3) Cfr. Harduin. *Acta Conc.* tom. IX, col. 1021.

(4) Id constat ex confessione ipsorum

adversariorum, et ex dicendis magis patefiet.

(5) Cfr. Coustant, in adnotatt. ad hanc epistolam.

(6) Conc. Carthag. VI, est XVIII celebratum sub Aurelio an. 419, et ad ipsum spectat clausula, de qua agitur, uti adnotavit Harduinus, t. I, col. 968, ad can. XLVII Concilii Carthag. III.

27. Neque pariter suppositivum aut dubium est decretum Gelasianum; quod si in nonnullis collectionibus Damaso tribuitur, ideo est, quia, ut aliquibus eruditis placet, Damasus incepit elenchum librorum, qui admittebantur aut rejiciebantur ab Ecclesia Romana, Gelasius vero illud confirmaverit atque amplificaverit (1), prout paulo post etiam præstitit Hormisdas, qui decretum Gelasianum, a se confirmatum et auctum, misit ad Possessorem Africæ episcopum, tunc Constantiнопoli exulantem (2). Ex hoc etiam patet, cur illud decretum fuerit etiam Hormisdæ adscriptum. Ceterum Cave aliique heterodoxi ab eruditis viris plene refutati sunt.

28. Esto quod Clemens passim ad librum aliquem nominatim haud appellet; cum tamen promiscue ex libris sive proto-can. sive deutero-canonicis sententias promat eadem prorsus ratione,

(1) Cfr. hoc de argumento eruditus Justus Fontaninius, *De antiquitatibus Hortæ*, lib. II, cap. 3, Romæ 1708, ubi cl. vir adversus J. Pearsonium, Gullielmum Cave, J. Ernestum Grabium ostendit, perperam eos Gelasio abjudicasse decretum, de quo agitur. Urit enim heterodoxos (qui traditionem rejiciunt, ut ipse loquitur, et librorum canonicorum numerum pro arbitrato et sectæ suæ comodo minuunt), ibi in canone recenseri libros Tobiae, Judith, etc. adeoque modis omnibus illud decretum posteriori ævo, et nominatim ab Isidoro Mercatore confictum docent. Ast perperam; nunc enim a criticis omne dubium sublatum est de ejusdem genuinitate.

(2) Cfr. ibid. pag. 215 et seqq. Antonius Pagius sub anno 494, n. 5, putat, Hormisdam, ut petitioni Possessoris, episcopi Africani Constantiнопoli exulantis, faceret satis, tam ad eum quam ad legatos suos decretum Gelasio

misisse, præcipiendo, ut illud ab omnibus religiose observaretur; tuncque decretum illud, in varia exemplaria per Fausti Rejensis adversarios exscriptum, latius per Europam, Africam et Orientem volitasse. Quia vero ab Hormisdæ fuerat missum, ejusque nomine vulgatum, eidem postea tanquam auctori tributum fuisse opinatur. De anno, quo decretum a Gelasio conditum fuit, critici inter se dissident. Baronius ad an. 464, n. 19, datum existimat in Concilio Rom. LXX Episcoporum, *Asterio atque Præsidio consulibus*; pluribus hanc sententiam confirmat Labbeus, tom. IV, col. 1260; consentit demum Chiffletius, in notis ad Vigilium Tapsensem, pag. 157, auctoritate ductus antiquorum codicum, *in quibus hoc decretum notatur a Gelasio in Synodo Rom. LXX Epp., Asterio et Præsidio Coss., qui est an. 494, Gelasio papæ tertius, ante Hormisdæ initia vicesimus.*



non obscure indicat, se hos tanti ac illos facere, alioquin non ita se se gessisset (1). Millius porro non aliud significat, nisi primum canonem, ab universa Ecclesia receptum, ex quatuor Evangeliiis constitisse, quod non abnuimus. Immo addimus, neque canonem Ecclesiæ Romanæ omnibus ecclesiis, præsertim orientalibus, communicatum primis seculis fuisse, aut vim ipsi obligandi Rom. pontifices adjecisse. Non nisi quippe serius tacito omnium Ecclesiarum consensu receptus est Romanæ Ecclesiæ canon (2).

29. Ad 3<sup>m</sup>, *Dist.* Canones diversi ab illo, quem constanter asseruit Ecclesia Romana, *conc.*; canon Ecclesiæ Romanæ, *neg.* Verum est, antiquos canones a canone Ecclesiæ Romanæ diversos interdum abundare, interdum vero deficere, eo quod ecclesiæ particulares nondum inter se convenerant ab initio in canone constituendo (3), neque canon Ecclesiæ Romanæ statim ceteris obligationem intulerat. Attamen negari nequit, eundem constanter canonem obtinuisse in Ecclesia Romana, uti ex allatis documentis certissime constat. Quod vero ad antiquas attinet versiones, cum hæc a privatis fuerint hominibus adornatæ, mirum esse non debet, si illi una cum canonicis libris alios etiam verterint, qui magno habebantur in pretio, ac a nonnullis ecclesiis ut sacri et canonici excipiebantur.

30. Quod si in Concilio III Carthaginensi et in decreto Gelasii omittitur prophetia Baruch, id demum ideo est, quod hæc conjungebatur cum prophetia Jeremiæ, ut patet ex documentis,

(1) Etenim S. Clemens plerumque contentus est sententias promere ex utriusque Testamenti libris, nulla interjecta libri et auctoris mentione, sive agatur de libris proto-canonicis, sive de deuterocanonicis. Indiculus, qui ad oram hujus epistolæ habetur, locorum Scripturarum, quæ proferuntur a Clemente, antiquissimus est, scriptoris nempe seculi quarti.

solemniter ab universa Ecclesia confectus est Scripturarum divinarum canon; sed tacito vel expresso Ecclesiarum consensu tanquam divini spectabantur libri, quos Tridentinum recensuit. Nisi hæretici obstitissent, longe probabilius est futurum fuisse, ut neque a Tridentino canon sanciretur.

(3) Probationes hujus assertionis afferemus in insequenti propositione.

(2) Usque ad Tridentinum nullus

quæ attulimus Ecclesiæ Romanæ necnon ex S. Irenæo (1), ac S. Cypriano, qui eam allegat velut Scripturam canonicam (2), quemadmodum pariter a Clemente Alexandrino (3), Ambrosio (4) aliisque profertur. Falsum autem est, in decreto Gelasiano non recenseri nisi unicum Esdræ et Machabæorum librum; ut enim liquet ex decreto genuino Gelasii edito ab erudito Franc. Blanchinio, duo tum Esdræ tum Machabæorum libri expresse commemorantur (5), prout pariter recensentur a S. Augustino (6), a S. Innocentio (7) et a Concilio Carthag. III (8).

31. Obj. secunda. Tametsi Ecclesia Romana eundem semper canonem retinuerit quoad libros Vet. Test. ut id nunc liberaliter concedatur, certum tamen est: 1<sup>o</sup> libros deutero-canonicos nunquam ab Hebræis in canonem adscitos esse, teste Josepho; 2<sup>o</sup> ne-

(1) Lib. v, cap. 35, n. 1, ubi scribit: *Significavit Jeremias Propheta: Circumspice, dicens, ad Orientem, Hierusalem, et vide lætitiā, etc.* Hic vero occurrit Baruch, iv, 36 et seqq.

(2) *Testimon.* lib. II, cap. 5, et quidem expresse allegat sub *Jeremiæ* nomine, scribens: *Item apud Hieremiam: Hic Deus noster et non deputabitur alius, etc.* quæ verba leguntur, ut vidimus, Baruch III, 36 et seqq.

(3) *Pædag.* lib. I, cap. 10, edit. Potteri, Venet. 1757, tom. I, p. 152, ubi pariter allegat sub Hieremiæ nomine, dicens: *Jam vere per Hieremiam quoque enarrat (Dōminus): Beati sumus Israel, etc.* Prostant porro hæc verba Baruch, iv, 4.

(4) *Serm.* XVIII. in *Ps.* CXVIII, n. 2, ubi legitur: *Docet illa, quæ in libro Hieremiæ flebiliter clamat ad captivos et exules Judæos: Ite, proficiscimini, filii; ego enim derelicta sum deserta, etc.* quæ quidem occurrunt, Baruch iv, 19 et seqq.

(5) Cfr. *Anastasio biblioth. de vitis rom. Pontif.* tom. IV, *Opusculum* III, pag. 61, quo tria exhibentur exemplaria decreti Gelasii 1: primum, quod genuinum dicitur, erutum est e cod. Florentino antiquissimo a Luca Holstenio et Emm. a Schelstrate; alterum est vulgatum, et a Chiffletio erutum sub nomine Hormisdæ ex codice Furensi; tertium cum nævis editum est in lucem ex cod. palatino bibliothecæ vaticanæ, in op. cit. *De antiquitatibus Hortæ.* Jam vero in hoc postremo deest penitus catalogus librorum divinarum; in duobus vero prioribus recensentur *Esdræ libri II* et *Machabæorum libri II.*

(6) *De doctr. christ.* lib. II cit. cap. 8, ubi legitur: *Machabæorum libri duo et Esdræ duo.*

(7) *Epist.* VI, ad *Exsuperium Tolosanum*, cap. 7, scribens: *Machabæorum duo, Esdræ duo.*

(8) Loc. cit. ubi legitur: *Esdræ libri duo, Machabæorum libri duo.*



que ætate Christi fuisse receptos, quippe qui præter Legem, Prophetas et Psalmos, alios non agnovit (1); 3<sup>o</sup> nusquam illis libris usus Apostolos fuisse. 4<sup>o</sup> Cum tamen in versione græca Alexandrina una cum ceteris deuterocanonici reperirentur libri, factum est ut publice etiam legerentur in Ecclesiis, quæ per id tempus una hac versione utebantur. 5<sup>o</sup> Nunquam tamen hisce Ecclesiis mens fuit eandem, quam proto-canonice tribuebant, per hanc lectionem auctoritatem deuterocanonice impertiri, quos scilicet solum ad ædificationem perlegebant. 6<sup>o</sup> Res nihilominus erat alexæ plena, periculumque instabat, ne ex hac lectione eadem utrisque auctoritas tribueretur. Ut propterea abusum prævenirent, aut jam gliscenti huic abusu se se opponerent, vigiles Episcopi de remedio cogitare cœperunt. Etenim Melito Sardinus, Oriente peragrato, canonem edidit Esdrinum veluti solum tunc temporis receptum (2); idem deinde præstitit Origenes (3); postea vero triginta duo Episcopi Laodiceæ congregati, qui canonem vulgarunt Vet. et Novi Testamenti, nullos porro alios ex Vet. Test. libros inter canonicos recensuerunt nisi illos viginti duos, qui reperiuntur in canone Esdræ (4); canon autem Laodicensis vim legis obtinuit apud omnes Orientis ecclesias. Patres quarti seculi, qui nobis catalogum reliquerunt librorum canonicorum Vet. Test., in Oriente quidem Athanasius (5), Cyrillus Hieros. (6), Gregorius Nazianzenus (7), Epiphanius (8) et Amphilochius (9), in Occidente vero Hilarius (10), Rufinus (11) et Hieronymus (12), unanimes plane sunt in rejiciendis apocryphis, libris nimirum deuterocanonice. 7<sup>o</sup> Quamvis autem a nonnullis

(1) Luc. xxiv, 44.

(2) Apud Euseb. *Hist. eccl.* lib. iv, cap. 26.(3) *Comment. in I Psalm.* et apud Euseb. *Hist. eccl.* lib. vi, cap. 25.(4) Can. lxx. Mansi *Collect. Conc.* tom. II.(5) In *Synopsi.*(6) *Catech.* iv.(7) *Carm. ad Saleucum.*(8) *Hæres.* viii, et *De ponder. et mensuris* cap. 5.(9) In *Iambis.*(10) *Prolog. in Psalm.*(11) In *symbolo.*(12) *Præf. in lib. Reg.* nec non in *Præf. ad Proverb., Præf. ad Paralip., Præf. ad Jerem., Præf. ad Daniel. Præf. ad Esdr.*

veluti *Scriptura* afferantur ejusmodi libri, non ideo tamen putandum est, in pari gradu cum libris proto-canonicis eos habuisse, cum recepta apud eosdem fuerit distinctio inter libros *canonicos* et *ecclesiasticos*, qui nempe legebantur in Ecclesia, quamvis inter canonicos non reciperentur. Et hæc quoad primam et secundam epocham, ab Esdra scilicet ad Christum usque, et a Christo ad seculum V. Ad tertiam vero epocham quod attinet, quæ se quidem porrigit a seculo V ad Conc. usque Tridentinum, nova prorsus æra aperitur; 8<sup>o</sup> Suadente quippe S. Augustino, Concilia Africana contra Ecclesiæ orientalis et S. Hieronymi auctoritatem recensuerunt inter canonicos etiam apocryphos seu libros deuterocanonicos; atqui Augustinus deceptus fuit ex antiqua consuetudine lectionis horum librorum in Ecclesia, prout jam decepti fuerant Tertullianus et Cyprianus. 9<sup>o</sup> Nec tamen sibi constitit Augustinus, qui nempe agnoscit, solos proto-canonicos fuisse in canone Hebræorum receptos (1); et in libro *Retractationum* excusat se, quod tanquam Prophetam seu *auctorem inspiratum* recensuerit auctorem *Ecclesiastici* (2); et contra Gaudentium testatur, Scripturam Machabæorum ab Ecclesia receptam esse non inutiliter, si *sobrie legatur et audiatur* (3). 10<sup>o</sup> Itaque ex tota Augustini et Africanorum theoria libri *canonici* existimabantur illi, qui *accipiebantur*, id est, *legebantur* in Ecclesiis, non autem quasi divinam haberent auctoritatem, si proto-canonicos excipias. Quod cum haud satis advertissent posteriores scriptores, eandem in utrisque auctoritatem agnoverunt, et hunc demum errorem sancivit Tridentinum. 11<sup>o</sup> Ceterum nunquam defuerunt viri docti, qui alios ab aliis libris apprime distinguerent. Junilius nempe Africanus an. 560 dividit libros Vet. Test. in tres classes 1<sup>o</sup> *perfectæ auctoritatis*, 2<sup>o</sup> *mediæ auctoritatis*, 3<sup>o</sup> *nulius auctoritatis*; porro in prima classe una cum canonicis collocat *Jesum Siracidem*, in secunda *Judith et Machabaicos*, in tertia *Sapientiam*; deque duabus posterioribus classibus palam

(1) *De grat. et lib. arbit.* lib. II, cap. 2.

(2) Lib. I.

(3) Lib. I, cap. 31.



pronunciat : *Non inter Scripturas canonicas currunt* (1). Vigésimum primum caput Capitularis Caroli M. inter non canonicos refert libros apocryphos seu deuterocanonicos (2); Gregorius M. excusat se, quod testimonium allegaverit ex Machabaicis *libris non canonicis, sed tamen ad ædificationem Ecclesiæ editis* (3). Hugo a S. Victore, anno 1200 de quinque apocryphis *Judith, Tobia, Sapientia, Ecclesiastico et Machabæorum* ait : *Non scribuntur in canone, et tamen leguntur* (4). J. Beleth an. 1162 de quatuor posterioribus scribit : *Hos non recipit Ecclesia* (5). Seculo XIII Joannes Sarisberiensis (6), Auctor glossæ ordinariæ (7), Hugo a S. Charo (8) deuterocanonicos e canone excludunt. Seculo XIV idem præstiterunt Andreas Horneus jurisconsultus Anglus (9), Guillelmus Ochamus (10), Nic. Lyranus. Seculo XV post decretum Eugenii IV S. Antoninus non aliam libris apocryphis auctoritatem decernit præter eam, quam agnoscit in scriptis doctorum Ecclesiæ (11); Alphonsus Tostatus dubitat, utrum inspirati fuerint a Spiritu Sancto (12); in præfatione Bibliorum, quæ edita sunt anno 1498 et anno 1506, dicebatur, eosdem libros Ecclesiam non admittere *inter canonicos*. Initio sec. XVI Card. Ximenes (13) et Card. Cajetanus (14) sententiam profitentur Hieronymi. 12<sup>o</sup> Idem dic de auctoribus Græcis, qui unanimes pariter sunt in rejiciendis apocryphis, ut constat ex Leontio (15) seculo VI, Joan. Damasceno (16), Nicephoro, Anastasio ejusdem annotatore ac Nicephoro Callixto (17). 13<sup>o</sup> Attamen Concilium Tridentinum contra sensum totius antiquitatis anathema

(1) *De part. div. legis*. lib. 1, cap. 3.(2) Apud Harduin. *Act. Conc.*(3) *Comment.* in xx cap. Job.(4) *De script.* cap. 6.(5) *De eccles. offic.* cap. 60.

(6) Epist. 172.

(7) Edit. 1506, siquidem in posterioribus editionibus tractus oppositi canonicitati apocryphorum disparuerunt.

(8) *In prolog Josuæ.*(9) *Præf. summæ juris Aug.*(10) *Dial.* part. III, cap. 16.(11) *Chron.* part. 1, tit. 3, cap. 4.(12) *Comment. in Hieron. prolog. Galeat.*(13) *Præf. Bibl. complut.* 1515.(14) *Præf. com. in omnes libros authenticos Vet. Test.*(15) *De sectis*, act. 2.(16) *De orthodoxa fide*, lib. IV, c. 18.(17) *In Iambis.*

indixit iis, qui non reciperent uti canonicos libros apocryphos, non veritum ea propter anathema scientiæ. In quarta tamen hac epocha, quæ a Conc. Tridentino exorditur, 14<sup>o</sup> non destiterunt viri sapientia conspicui etiam inter catholicos, qui antiquæ adhæserint traditioni, inter auctoritatem librorum proto-canonicorum et deutero-canonicorum probedistinguentes. Tales enim sunt Bernardus Lamy, Jahn, Dupin et Sixtus Senensis. 15<sup>o</sup> De ecclesia Græca, id ex Cyrillo Lucari (1) aliisque fortasse constat; 16<sup>o</sup> ecclesia vero protestans in synodo Dordracena (hæc quippe synodus repræsentabat ecclesiam protestantem *in omnibus suis partibus*), vestigiis insistens antiquitatis, decrevit quidem, posse libros apocryphos in Ecclesia legi, non tamen eandem vim atque auctoritatem librorum canonicorum nancisci, neque ex iis aliquod dogma de fide aut religione christiana certo posse constabiliri. Quare libri apocryphi in Bibliis retenti sunt ad calcem librorum canonicorum cum apposito titulo *Libri apocryphi* (2). Hic jam exoritur quæstio, utra Ecclesia in errore versetur, pontificia ne an protestans, utra melius ad sensum christianæ antiquitatis se gesserit (3). Eligat lector.

32. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Dist.* Ex defectu successionis Prophetarum, postquam canon sub Esdra jam firmatus fuerat, *conc.*; alia de causa, *neg.* Canon Scripturarum divinarum, uti compertum est, sub Esdra, cooperantibus Prophetis, qui illa floruerunt ætate, firmatus fuerat (4). Hoc porro in canone, si paucos tractus exci-

(1) *Confessio christianæ fidei*, Genève, 1633, *Quæstio tertia*.

(2) Sess. 146, art. 4, 5 et 6.

(3) Hactenus quidam Julius Dombre, in opusc. *Histoire de la canonicité des livres apocryphes de l'Ancien Testament*, Genève 1830, quod præmisit thesibus a se propugnandis. Hoc opusculum compendio contraximus, non quod aliquid deferamus huic auctori, qui nullo vel apud suos nomine fruitur, ut certior factus sum ex epi-

tola, quam exinde accepi; sed quia hic paucis congressit, quæ a Protestantibus afferri consueverunt adversus libros deutero-canonicos, tum etiam ut occasionem haberem magis evolvendi, quod ad hos libros spectat eorumdemque divinam auctoritatem.

(4) Omnes docti in eo conveniant, non a solo Esdra, sed præterea a cooperantibus ejus, qui *magnæ synagogæ* nomine donabantur, confectum cano- nem fuisse.



pias, libri hebraice conscripti repositi sunt (1); quoad reliquos, qui vel aliena fuerant lingua exarati (2), vel posthac conscripti sunt, eos in magna semper veneratione apud Hebræos extitisse, sive ante sive post Christum, exploratum est ex testimonio ipsius Josephi, qui ex defectu prædictæ successionis saltem *certainè* Prophetarum unice causam arcessit, quare nec eandem fidem nec eandem auctoritatem nacti sint hi libri, quam primi in canonem Esdrinum relati obtinebant (3). Constat præterea idipsum ex Thalmude, in quo non solum ex illis testimonia allegantur velut *auctoritas*, sed aperte præterea inter *hagiographa* scripta recensentur (4). Quod igitur facere nequivit synagoga,

(1) Tum in prophetia Jeremiæ tum in prophetia Danielis partes occurrunt lingua chaldaica conscriptæ.

(2) Tales sunt liber *Sapientiæ*, *Barruch*, fragmenta seu ut vulgo dicuntur additiones libri Ester, pars deuterocanonica prophetiæ Danielis, quæ chaldaice tantum habentur.

(3) En verba Josephi *Cont. Apionem*, lib. 1, n. 8: *Ceterum ab imperio Artaxerxis ad nostram usque memoriam sunt quidem singula litteris mandata; sed nequaquam tantam fidem et auctoritatem meruerunt, quantum superiores ii libri, propterea quod minus explorata fuit successio Prophetarum.* Edit. Haverc. tom. II, p. 441.

(4) Sane in tract. *Berachot*, fol. 48; in tract. *Herubim*, fol. 54 et 64; tract. *Hhaghiga*, fol. 12; tract. *Yebamot*, fol. 63; tract. *Ketubot*, fol. 110; tract. *Baba-Kamma*, fol. 32; tract. *Baba-batra*, fol. 38-145; tract. *Sanhedrin*, fol. 100, *bis*; item in *Medrasch-rabbà*, sect. *Mikketz*, § 91; sect. *Bereschit*, § 8, allegantur textus ex libris, quos nos deuterocanonicos vocamus, tan-

quam ex libris sacris, ita ut mirum sit, Jahnium in sua *Archæol.* germanice ed. Vien. 1802, tom. I, pag. 136, § 29, potuisse affirmare, thalmudistas minime hosce libros allegare. In censam porro *Hagiographorum* eosdem libros a Thalmude referri aperte constat ex tract. cit. *Baba-batra*, fol. 92, *verso*, ubi legitur: *Raba quæsit a Rabba-bar-Mari: unde provenit proverbium hoc popolare: Arbor sterilis deambulat, et confert se ad arborem infructuosam, (nempe juxta glossam Yarchi, qui sibi assimilantur simulantur); respondit: hoc scriptum est in lege, repetitur in prophetis, et iterum in hagiographis... In hagiographis enim dictum est: omnis avis ad similem sibi conjungetur.* Porro *Thosephot Ghemarà* testantur, hunc versiculum nusquam reperiri in *canone clauso*, sed inveniri posse in libro Ben-Sira (Jesu filii Sirach). Reipsa hic textus legitur *Ecclesiastici*, XIII, 20, nisi quod ibi legitur *caro* (animal), in Thalmude vero *avis*. Et hæc quidem accepta referre debeo cl. Drach, qui in cognitione Thalmu-



spiritu prophetico destituta, catholica effecit Ecclesia, a Christo atque Apostolis edocta, ac infallibilitate prædita (1).

33. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Id est, Christus Dominus non commemoravit nisi *Legem, Prophetas et Psalmos*, quia ita ferebat usus et distinctio, quæ tunc temporis invalescebat, *conc.*; ad ceterorum librorum exclusionem, *neg.* Propositio affirmans non importat natura sua sensum exclusivum; ut igitur aliquid conficerent adversarii, deberent ostendere, Christum elicubi eos libros reprobasse, quod tamen ipsis plane est impossibile.

34. Ad 3<sup>m</sup>, *Neg.* vel *Dist.* Expresse seu appellando ad aliquem librum peculiarem, *trans.*; æquivalenter, *neg.* Mirum nemini esse debet, nullum in specie librum appellari a scriptoribus Novi Test., cum contraria tunc temporis consuetudo id non ferret; ut plurimum enim afferebantur effata ex libris sacris generatim tanquam *ex Scriptura*, aut apertis allusionibus contenti erant scriptores sacri, quibus veluti digito indicabant, ad quos libros sese referrent (2). Jam vero non semel in libris Novi Test.

dis nemini facile secundus est, quiue fortasse hoc de argumento peculiarem dissertationem editurus est. Cfr. præterea Janssens in cit. *Herméneutique sacrée*, § 7, p. 32.

(1) Singularis Protestantium agendi ratio est, qui adeo deferunt Synagogæ, ut ejus judicio penitus acquiescant, quamvis infallibilitate destituta fuerit; contra vero insurgant adversus Ecclesiam, cui Christus ejus conditor solemniter adeo pollicitationes fecit.

(2) Satis est aperire sacros codices Novi Test., ut appareat sæpissime vel allegari vel alludi ad libros Vet. Test., etsi expresse de illis nulla fiat specialis mentio; et nihilominus non solum sententiæ, sed sæpe verba ipsa afferuntur; idque ipsum factum est quoad libros deuterocanonicos. Ceterum apposite

C. E. F. Molinié, auctor et ipse protestans ac Genevensis, in op. *Notice sur les livres apocryphes de l'Ancien Testament*, Genève 1828, in rem nostram scribit in considerationibus generalibus: *Mais, quelles que soient les causes accidentelles qui auront empêché d'ajouter de nouveaux livres au canon rédigé du temps d'Esdras... il nous semble que la synagogue de Judée, telle qu'elle était devenue, n'était plus seule compétente sur ce sujet, et que l'Eglise chrétienne, qui lui succédait, eut aussi cette compétence, comme la synagogue du temps d'Esdras avait été juge des écrits antérieurs, même de plusieurs siècles. Or nous avons vu quel cas les Docteurs de l'Eglise primitive ont fait des livres que nous regardons maintenant comme apocry-*

apertæ ejusmodi allusiones occurrunt ad loca librorum deutero-canonicorum, ex. gr. *Luc.* XII, 19, — *Ecclesiastici* XI, 19; *Rom.* I, 20, — *Sap.* XIII, 1; *Hebr.* XI, 34, — I *Machab.* II, 39; *Epist. Jac.* I, 11, — *Ecclesiastici* XIV, 18; *Ibid.* II, 1, — *Ecclesiastici* XLII, 1, et alibi passim. Cum igitur apertissime Apostoli in scriptis suis vel iisdem phrasibus interdum utantur, quæ in libris deutero-canonicis reperiuntur, vel dicta et historias allegent, quæ nonnisi in iisdem referuntur libris, eadem plane ratione, qua ad loca et historias alludunt contentas in libris proto-canonicis, quid de illis libris revera senserint, abunde ostendunt.

35. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Publice legebantur in Ecclesiis ex versione Alexandrina libri deutero-canonici uti Scriptura divina juxta divinam et apostolicam traditionem, *conc.*; uti libri apocryphi, eaque sola de causa quod reperirentur in versione Alexandrina, *neg.* Totum enim hoc systema, nuper ab adversariis excogitatum, arbitrarium est ac manifeste falsum. Et sane certum est ex dictis: 1<sup>o</sup> Hebræos ipsos magna semper in veneratione hos libros habuisse; eosdemque in classem hagiographorum retulisse; 2<sup>o</sup> Christum et Apostolos ex illis testimonia allegasse, atque ad eos pluribus in locis alluisse; 3<sup>o</sup> ut ex dicendis patebit, antiquissimos Patres ad eos libros tanquam divinos divinamque Scripturam appellasse; 4<sup>o</sup> utramque Ecclesiam orientalem pariter et occidentalem eosdem ut divina inspiratione conscriptos recepisse. 5<sup>o</sup> Si ex versione Alexandrina factum esset, prout adversarii autumant, ut spectati fuerint uti canonici ac divini libri deutero-canonicis, eo quod in ecclesiis legerentur ad ædificationem, tanquam divini et canonici recepti pariter fuissent tertius saltem Esdræ, et III et IV Machabæorum, qui reperiebantur quoque in eadem Alexandrina versione, dum tamen isti rejecti ut apocryphi plane sunt (1). Quaquaversus igitur spectes novum hoc systema,

*phes... et de plus nous avons vu que les Apôtres y font de fréquentes allusions, alors même qu'ils ne les nomment pas, comme ils ne nomment pas tous les livres de l'Ancien Testament qu'ils citent.*

(1) Etenim in editione versionis græcæ LXX, quæ jussu Sixti v opera Card. Antonii Carafa juxta vaticanum codicem adornata est, ac iterum recusa Lutetiæ Paris. 1628, tres libri Esdræ reperiuntur ita dispositi, ut liber 1, qui

patet, illud esse falsum et ad arbitrium confictum. Hac porro machina dissoluta, sua veluti sponte corruunt, quæ ex ejusmodi hypothese ab adversariis sunt superstructa.

36. Ad 5<sup>m</sup>, *Dist.* Id est, solemnî decreto eos libros Ecclesiæ per id temporis non retulerunt in canonem, ac proinde sub hoc respectu eandem non tribuerunt extrinsecam auctoritatem libris deuterocanonicis, quam tribuerunt proto-canonicis, *conc.*; eosdem non spectarunt tanquam libros divinos Scripturamque sacram, *neg.* Latius namque patet notio libri *canonici* quam libri *divini*; omnis quippe liber canonicus divinus est seu divinitus inspiratus, quo fit ut passim etiam a veteribus hæ promiscue voces usurpentur; at non e contra, cum possit aliquis liber divinus esse, qui non item canonicus sit, cujusmodi profecto erant libri, qui postea in canonem ab Esdra ejusque cooperatores adsciti sunt. Sic libri, de quibus agimus, censebantur quidem libri divini, at cum Ecclesia solemnî decreto, ut paulo ante diximus, eos in canonem non retulerit, canonici nec erant nec dici poterant. Hoc sensu apprime intelliguntur, quæ contraria videntur de his libris ab Ecclesiæ Patribus affirmari. Interdum enim, uti mox videbimus, istos libros traducunt veluti dubiæ auctoritatis; negant eandem illis inesse auctoritatem, quam habent libri canonici; pronunciant, inservire eos quidem ædificationi, ad dogmata autem, quæ in contentionem veniunt, confirmanda minus idoneos esse; interdum etiam ad *apocrypha* scripta illos ablegare videntur (1); attamen iidem ipsi libros hosce alibi vo-

inscribitur 'O *ispeus* sive *Sacerdos*, respondeat libro Esdræ tertio; secundus respondeat nostro libro primo; liber Nehemiæ, seu juxta nos etiam Esdræ secundus, respondet tertio in versione *LXX*. Eteadem ratione leguntur in editione *LXX*, quæ ad fidem Codicis Alexandrini sive Londinensis adornata est a J. Ernesto Grabe, et iterum a J. Jacobo Breitingero Tiguri Helvetiorum an. 1731. Rursum in editione Romana et Parisiensi

græcæ *LXX* versionis tres habentur Machabæorum libri, quatuor autem in editione, quæ ad fidem exemplaris cod. Alexandrini a Grabe et Breitingero recusa est.

(1) Multiplicem sensum hujus vocis *Apocryphi*, tum apud veteres tum apud recentiores scriptores, multa eruditione declarat Justus Fontaninius, op. cit. *De antiquitatibus Hortæ*, lib. II, cap. 3, § 3, quæ illic recoli possunt.



cant *Scripturam*, illorum auctores *Prophetas* dicunt, iis inniuntur ad adstruenda fidei dogmata, libros appellant divinos, aliaque ejusmodi de ipsis pronunciant. Quomodo hæc inter se componuntur? Nempe ea, quam apposuimus, distinctione inter libros canonicos et divinos. Quæ namque primo loco ex Patribus attulimus, intelligi debent relate ad canonicitatem, qua libri nostri destituti erant, et ad extrinsecam quamdam auctoritatem, qua scilicet carebant defectu testimonii solemnisius Ecclesiæ; quæ vero secundo loco adduximus, Ecclesiæ mentem circa eorundem divinam inspirationem ac intrinsecam vim patefaciunt (1).

37. Ad 6<sup>m</sup>, *Neg.* Hæc pariter nova theoria adversariorum nostrorum omni est fundamento destituta. Non agebatur quippe de abusu aut præveniando aut coërcendo, cum Melito Sardonius aliique canonem ediderunt; sed res erat de veteri Hebræorum canone cognoscendo et patefaciendo. Hac de causa Melito peregrinationem suam in Orientem suscepit, nec tamen canonem Hebræorum omnino perfectum exhibuit (2). Origenes item profitetur, se Hebræorum canonem exhibere (3). Concilium Laodi-

Ad rem nostram quod spectat, perinde est liber *apocryphus* ac non ab omnibus probatus, cujusmodi erant libri, quos nunc deuterocanonicos vocamus; ab Eusebio vero *Hist. eccl.* lib. III, cap. 25, ἀπτιλεγόμενοι dicuntur ad distinctionem eorum, quos ipse vocat ὁμολογουμένους, qui omnium consensu recepti erant.

(1) Vel ex hac sola animadversione aperte deducitur, vanam esse Protestantium difficultatem: si Ecclesia statuit de canone Scripturarum, ipsam superiorem effici ipsis sacris Scripturis. Etenim per confectionem canonis Ecclesia nihil aliud præstat, quam solemne edere testimonium circa divinitatem, quam agnoscit in sacris Litteris juxta antiquam traditionem, nosque certio-

res reddit, quinam censendi sint libri divini, quinam vero ab hoc numero excludendi. Nihil proinde intrinseci addit ipsis Scripturis.

(2) De scopo Melitonis scribentis ad Onesimum hæc habet Eusebius, *Hist. eccl.* lib. IV, cap. 26: *Universos veteris Testamenti libros, qui omnium consensu recepti sunt, statim in principio operis recenset.* Omittit porro in hac recensione Melito librum Esther, qui tamen, saltem quoad primam partem, certe canonicus semper habitus est.

(3) Etenim, loc. cit. ex *Comment. in Ps.* I, ita scribit Origenes: *Sunt autem viginti duo libri juxta Hebræos hi: primus qui a nobis Genesis dicitur, etc.* opp. edit. De la Rue, tom. II, pag. 529.

cænum, utpote particulare, solos recensuit libros *canonicos*, qui nempe continebantur in canone Hebræorum omnium consensu recepto, adjecto tamen libro Baruch; de reliquis maluit silere, donec ab Ecclesia universali aliquid decerneretur (1). Ne vero longiores simus, eadem aptari debet responsio Patribus, sive orientalibus sive occidentalibus, qui nobis objiciuntur, quorum etiam scopus unicus fuit in suis catalogis librorum canonicorum eos tantum recensere, qui in canone Hebræorum continebantur; quia reliqui, nondum canone ab Ecclesia confecto, reipsa canonici nequaquam erant (2).

38. Ceterum, ut positivis testimoniis elucescat veritas nuper datæ distinctionis inter libros canonicos et divinos, nonnulla hic subjiciere præstat.

39. Origenes, in celebri ad Africanum epistola, non in eo solum totus est, ut veluti genuinam ac sacram historiam vindicet Susannæ, sed insuper alios libros librorumque partes, quæ in canone Hebræorum non continentur, ut hymnum trium puerorum, historiam Beli et Draconis, et sic vocata *additamenta* Esther, concluditque: *Tempus est igitur, si hæc nos non latent, abrogare, quæ in Ecclesiis feruntur exemplaria, et fratribus lege præcipere, ut abjectis, quos penes se habent, sacris Libris, adulando Judæis persuadeant, et ut nobis puros, et qui nihil habeant figmenti, impertiant* (3). Testatur præterea, ecclesias

(1) Celebratum est Concilium istud juxta verisimiliorem sententiam anno 372. Cfr. Cabassutius, *Notitia Concil.* in hanc Synodum; item Harduin. *Acta Conc.* tom. 1, col. 778. Convenerunt autem ad hoc Concilium Patres *viginti duo*, non autem, ut scribit Dombre, *trente-deux*. Quoad libros Novi Test. omnes recenset præter Apocalypsim; jam vero si Protestantibus esset auscultandum, qui urgent Concilium Laodicensem, ut illud opponant decreto Tridentino, deberet e canone expangi hic

liber, quem tamen ipsi recipiunt. Cfr. Cabasutius, op. et loc. cit. ad can. LX. Et hæc quidem in hypothesi de veritate can. LX hujus Concilii, quem tamen haud spernendis rationibus nonnulli critici uti adscititium habent.

(2) Intelligi id debet de Ecclesia universali, seu de canone qui universam Ecclesiam adstringeret; nam de Ecclesia Romana, nullum dubium, ut ex dictis patet, quin semper suum canonem habuerit.

(3) Ὁρα τοίνυν, εἰ μὴ λαοθάλει ἡμῶς



*Tobia uti* (1). Profert demum auctoritates ad veritates fidei constabiliendas ex libris Machabæorum (2), ex libro Sapientiæ (3) et ex Ecclesiastico (4).

40. S. Cyrillus Hierosolymit. passim ex libro Sapientiæ, quem etiam Salomonis vocat (5), tum ex Ecclesiastico (6), ex Baruch, quem Prophetam dicit (7), atque ex postremis Danielis capitibus, testimonia tanquam ex Scriptura divina promit (8).

41. Verus item Athanasius (9) non solum ex eisdem libris adducit testimonia ad ea, quæ fidei sunt, adserenda, sed ea præterea utitur formula apud veteres usitata ad Scripturas divinas significandas, scilicet : *sicut scriptum est* (10).

τὰ τοιαῦτα, ἀτιθεῖν τὰ ἐν ταῖς ἐκκλησιαίαις φερόμενα ἀντίγραφα, καὶ νομοθεῖσαι τῇ ἀδελφότητι ἀποδείξαι μὲν τὰς παρ' αὐτοῖς ἐπιφερομένας ἱερὰς βίβλους, κολακεύειν δὲ Ἰουδαίους, καὶ πειθεῖν, ἵνα μεταδώσιν ἡμῖν τῶν καθαρῶν, καὶ μηδὲν πλάσμα ἔχόντων. n. 4. edit. Maur. opp. tom. 1, p. 16.

(1) Ibid. n. 13.

(2) *Exhort. ad Martyr.* n. 22 et seqq.

(3) *Cont. Celsum*, lib. III, n. 60, et alibi passim.

(4) Ibid. lib. IV, 28, et alibi. Vide indicem locorum S. Scripturæ ad calcem uniuscujusque voluminis.

(5) *Catech.* IX, num. 2. edit. Tontei, et alibi.

(6) *Catech.* VI, num. 4; *Catech.* XI, n. 19, etc.

(7) *Catech.* XI, n. 15, ubi scribit : *Audi Prophetam dicentem : Hic est Deus noster, etc.* et alibi.

(8) *Catech.* XVI, n. 31, ubi agit de historia Susannæ, et addit : *Scriptum est enim ; Γέγραπται γὰρ*, et adducit verba quæ leguntur Dan. XIII, 45 : *Suscitavit Deus Spiritum Sanctum in*

*puero juvenculo.* Porro phrasid *scriptum est* ex usu tum Scripturarum tum SS. Patrum ad denotandas Scripturas divinas usurpatur, ut notum est.

(9) Dixi *Verus Athanasius*, siquidem criticis compertum est, Synopsis auctorem minime Athanasium esse. Cfr. Maurin. edit. admonitio, tom. II, opp. pag. 124 et seq. Attamen noster Dombre Athanasio eam tribuit. Ast hæc sphalmata juveni candidato donanda sunt cum pluribus aliis.

(10) Hac enim phrasi utitur S. Athanasius in *ep.* III, *ad Serapion.* n. 4, allegans verba Sapientiæ I, 7, et in *Apolog. ad Imp. Constant.* n. 17, adducens verba ex Tob. IV, 19. Insuper afferens ex epistola S. Alexandri ad se conscripta, in *Apolog. contra Arianos*, n. 66, verba Ecclesiastici XXXI, 4, scribit : *Ait quodam in loco Sacra Scriptura : mortuus est enim pater ejus, quasi non esset mortuus.* Ex quibus duplex habemus testimoniam Athanasii et Alexandri pro divina auctoritate Ecclesiastici; et allegans in *epist. De decretis Nicænis*, n. 12, verba Ba-

42. Nec sese aliter gessit S. Gregorius Nazianzenus, qui passim deuterocanonicos libros adducit, quos *Scripturam* vocat; explanatque si quæ sint eorum loca adducta ab hæreticis (1), nec uspiam divinam eorum auctoritatem in dubium revocat.

43. Idem præstitit S. Epiphanius, confundens hæreticos, qui nonnullis horum librorum textibus abutebantur; siquidem eos ut divinos admittit, *Scripturam* expresse vocat, atque explanat (2).

44. S. Amphilocheus ex prophetia Baruch et ex libro Sapientiæ velut divinis Scripturis profert testimonia, quamvis eos libros suo in canone non recensuerit (3).

45. Quod diximus de Patribus græcis, qui nobis objiciuntur,

ruch III, 12, scribit: *Verbum item Israellem objurgans ait*, etc. Alibi vero eundem adducit sub nomine Jeremiæ, passim verba ex deuterocanonicis proferens, conjungit, nullo discrimine facto, cum verbis Petri, Pauli, Davidis, etc. Cfr. index locorum Scripturarum sub finem vol. 1. Ceterum si standum esset auctoritati Synopseos, deberemus e censu proto-canonicorum expungere librum Esther, ac recensere inter proto-canonicos partem illam prophetiæ Danielis, quæ complectitur historiam Susannæ, ut alia omittam. Cfr. tom. II, opp. S. Athanas. pag. 126 et seqq.

(1) Sic *Orat.* XXXIV, n. 13, adducens testimonium ex Sap. I, ait: *Quomodo illud tueri poterimus, quod ait Scriptura, Deum omnia pervadere*, etc. et conjungit cum verbis Jerem. 31; item cum *Orat.* LIX profert verba Ecclesiastici XXIV, 5, pag. 730, tom. 1, necnon *Orat.* XXXVI, pag. 586, ubi solvit, quod ei objiciebatur ab Arianis ex Baruch III, et alibi passim. Cfr. in-

dex locorum Script. præmissis duobus voluminibus ejus operum.

(2) Uti *Hæres.* LXX, n. VII, edit. Petav. tom. I, pag. 818, proferens auctoritatem ex Esther XIII, 9; et *Hæres.* LXIV, num. 54, ubi sub nomine Salomonis affert ex lib. Sapientiæ I, 4; item *Hæres.* XXIV, n. 6, adducens testimonium ex *Eccli.* VII, 1, ait: *Quemadmodum Scriptura testatur.* Rursus *Hæres.* LVII, solvit, quod ex *Scriptura* objiciebatur ab hæreticis Noetianis, nempe ex Baruch III, 36, etc.

(3) In *Orat. in Christi Natalem*, n. 2, apud Galland. *Biblioth. Patrum*, tom. VI, p. 464, tanquam ex *propheta* urget auctoritatem Baruch III, 38. Ita etiam citat Sap. IV, 2, in *Orat. in Domini occursum*, n. 4, ibid. pag. 469. Adde, juxta canonem, quem Amphilocheus describit in Iambis, dubitandum esse de libro Esther, cum scribat: *His (libris canonicis) additur Esther a quibusdam*; ibid. pag. 495, vers. 288, perinde ac de non paucis deuterocanonicis Novi Test.



dici pariter debet de Patribus latinis, qui, quamvis canonem contexuerint Hebræorum, nihilo secius constanter afferunt testimonia, veluti ab auctoribus *theopneustis*, ex libris nostris, ut de Hilario certum est, etiam cum agitur de dogmaticis disputationibus (1). Rufinus inter cetera crimini verterat Hieronymo, quod in *Præf. ad librum Danielis* visus esset partem deutero-canonicam respuere, a qua criminatione S. Doctor gravissimis hisce verbis se purgat: *Quod autem refero, quid adversum Susannæ historiam, et hymnum trium puerorum, et Belis Draconisque fabulas, quæ in volumine hebraico non habentur, Hebræi solent dicere, qui me criminatur, stultum se sycophantam probat. Non enim, quid ipse sentirem, sed quid illi contra nos dicere soleant, explicavi* (2); qui præterea, allegans verba ex libro Sapientiæ, hac utitur phrasi: *Dicente Scriptura: in perversam animam non introibit sapientia* (3); et de Ecclesiastico ait: *Divina Scriptura loquitur: musica in luctu intempestiva narratio* (4). Jam vero hæc Rufini et Hieronymi agendi ratio aperte ostendit, quid ipsi senserint de his libris, quanquam ob allatum motivum eos e canone excluserint, imo Hieronymus inter apocrypha ableget, id est, *hagiographa* ex mente Judæorum (5). Ex his novimus, quid sentiendum de hæreticis adversariis, quando firma adeo fronte nobis veteres opponunt.

(1) Cfr. *Tract. in Ps. cxxix*, n. 4, ubi adducit auctoritatem ex lib. Tobiasæ XII, 15; *Tract. in Ps. cxxxv*, n. 11, ubi profert auctoritatem ex lib. Sapientiæ I, 7, tanquam ex *Propheta*, scribens: *Docet Propheta; Tract. in Ps. cxl*, num. 5, affert Ecclesiasticum sub nomine Salomonis cum Latinis; vide hic adnot. edit. Maur. *De Trinit.* lib. IV, n. 24, allegat Baruch III, 36, sub nomine Jeremiæ; partem deutero-canonicam Danielis sub ejus nomine profert *Tract. in Ps. lii*, n. 19, ac Danieli tribuit; ex II Machabæorum libro sæpius auctoritatem adducit, ut

in *Tract. in Ps. cxxxiv*, 25; in lib. *Contr. Imp. Constan.* n. 6, etc.

(2) *Cont. Ruffinum*, lib. II, n. 33, in quem locum cfr. adnot. Vallars.

(3) *Comment. in cap. xviii Jerem.* v. 18, edit. Vallars, tom. IV, col. 972.

(4) *Epist. cxviii*, n. 1, edit. Vall. tom. I, col. 786.

(5) Ex paulo ante dictis, n. 32, et nota apposita, luculentissime constat, Hebræos inter *hagiographa* recensuisse libros deutero-canonicos; merito proinde Jahn in sua *Archæologia biblica* germanice ed. Viennæ 1802, §29, arguit Martianæum, quod contra sanam criticam,

46. Ad 7<sup>m</sup>, *Dist.* Qui allegant hos libros veluti *Scripturam*, putandi non sunt eos in pari gradu habuisse ac libros canonicos, quoad auctoritatem *extrinsecam*, *conc.*; quoad auctoritatem *intrinsicam*, *neg.* Certe de libris proto-canonicis nunquam dubitatio exorta est, utpote in canone ab Ecclesia universali recepto contentis. Quoad reliquos vero, cum, ut exploratum est, non pauci, sed universim omnes hos libros uti divinos et *Scripturam* sacram seu divinitus inspiratam habuerint, eos uti *Scripturam* allegaverint etiam adversus hæreticos pugnantes, imo et allegati ab ipsis hæreticis veluti *Scriptura* fuerint, dubitare nequit, quin eamdem *intrinsicam* ipsis auctoritatem tribuerint. Cum tamen hactenus Ecclesia universa nullum canonem confecisset, ideo ipsis sub hoc respectu non eamdem ac proto-canonicis *juridicam*, ut ita dicam, et *authenticam* auctoritatem tribuisse ad judicantur. Quod vero adjicitur discrimen inter libros *canonicos* et *ecclesiasticos*, quod isti tantum legerentur in ecclesiis, somnium adversariorum est. Nam si quandoque distinguuntur libri in canonicos et *ecclesiasticos*, ideo est quia primi in canone recepti essent, ceteri uti divini haberentur ex ecclesiarum usu,

non obstantibus pluribus codicibus magnæ auctoritatis, contra sensum doctorum hominum, correxerit, quod legitur in parallelis prologis S. Hieronymi in lib. Tobiae et Judith, *hagiographa* in *apocrypha*. Martianæum secutus est Vallarsius, qui pluribus argumentis lectionem Martianæi communire nisus est. Ast perperam, ut ex dictis liquet. Nec ipsi favet, quod scribit Origenes in *Epist. ad African.* n. 13, edit. Maur. tom. 1, pag. 26. Nam, si bene attendatur ad verba Origenis, non absolute affirmat, Hebræos libros Tobiae et Judith inter apocryphos computare, sed solum eos in apocryphis *hebraice* non habere. En ejus verba: Περὶ οὗ (Τοβίας) ἡμᾶς ἔχρη ἰγνω-

κείναι, ὅτι Ἑβραῖοι τῶ Ταβία οὐ χρῶνται, οὐδὲ τῆ Ἰουδήθ· οὐδὲ γὰρ ἔχουσιν αὐτὰ καὶ ἐν ἀποκρύφοις ἑβραϊστὶ· ὡς ἀπ' αὐτῶν μαθόντες ἐγνώκαμεν. Quæ sic vertuntur a De La Rue: *Verum nos oportet scire, Hebræos Tobia non uti* (id est publice non legunt in synagoga), *neque Judith. Nec enim hos libros etiam in apocryphis hebraice habent, ut ab ipsis didicimus.* Ad librum vero Judith in specie quod attinet, certum est, nunc ab Hebræis ejus historiam in synagogis legi primo sabbato octo dierum festi dedicationis (encæniorum), et partem constituere officii publici matutini. Vid. *Yotser Leschabbat Rischon schel Hhanuca.*



quæ factò ipso patefecerunt, se eos in censu divinatorum habere, non autem ex sola lectione ad ædificationem fidelium.

47. Etenim libros nostros veluti Scripturam divinam allegant Clemens Rom. (1), Barnabas (2), Hippolytus (3), Clemens Alex. (4), Irænaeus (5), auctor *Constitutionum apostolicarum* (6), Tertullianus (7),

(1) Epist. 1 ad Cor. cap. 1v, allegat testimonium ex lib. *Sapient.* 11, 24; cap. 1x, ex lib. *Ecclesiastici* xlv, 17; cap. 1v, ex *Judith*, etc. Apud Coteler. tom. 1. Item in epist. 11, *De virginit.* cap. 13, ubi testimon. profert ex Dan. xiii. De quibus duabus epistolis *De virginitate* cfr. Galland. tom. 1, *Biblioth. Patrum*, *Proleg.* cap. 1, sect. 2. In priori autem harum epistolarum ab eodem Clemente allegatur cap. vi, *Eccli.*

(2) *Epist.* cap. vi, affert textum ex *Sapient.* 11, 12, una cum textu Isaia; item ibid. citat *Ecclesiasticum* 1, 10; eundem librum allegat, cap. xix. Cfr. apud Galland. loc. cit.

(3) *In Susannam*, apud Galland. tom. 11, pag. 442 et seqq. In Fragmento autem 1x in *Cantic. Cantorum*, laudat librum *Sapientia*, eumque tribuit Salomoni, ibid. pag. 489; et in *Demonstr. advers. Judæos*, §§ 9 et 10, ter eundem librum adducit, ejusque auctorem *Prophetam* nuncupat, ibid. pag. 450. In op. *De Charism. Tradit. Apostol.* § 2, inter mulieres, quæ prophetaverunt, recenset *Juditham*, ex ejus lib. cap. viii, ibid. pag. 503; qui rursus in comment. hist. Susannæ, ad v. 55, commemorat, quæ referuntur ex lib. *Tobiæ* 11, 24, ibid. pag. 446.

(4) Ter allegat librum *Tobiæ*, bis librum *Judith*, vicies et semel *Sapien-*

*tiam* Salomonis, *Ecclesiasticum* plusquam quinquagies, quater librum *Baruch*, passim in *Eclogis* (si tamen ejus sunt) profert hymnum trium puerorum tanquam ex *Daniele*, tum librum 11 Machabæor. Cfr. *Index sententiarum sacrae Scripturae*, quas Clemens Alex. passim citat, ad calcem edit. ejusdem opp. Joan. Potteri Oxoniensis, Venet. 1754.

(5) *Cont. Hæres.* lib. 1v, cap. 36, n. 2, profert testim. ex lib. *Sapient.* vi, 19, 20. Sic lib. v, cap. 35, sub nomine Jeremiæ, quæ leguntur *Baruch* 1v, 36, et in toto cap. v; lib. 1v, cap. 26, n. 3, Danieli auctori tribuit, quæ leguntur, *Dan.* xii, de historia Susannæ, eidemque Prophetæ refert historiam Beli et Draconis, quæ habetur *Dan.* xiv, ibid. lib. 11, cap. 5, n. 2.

(6) Lib. 11, cap. 49 et 51, sub nomine *Danieils* profertur historia Susannæ; ex libro *Tobiæ* lib. 1, cap. 1, adducitur testimonium ac dicitur *lex Dei*; et lib. vii, cap. 2, adducitur uti Scriptura divina una cum aliis libris proto-canonicis; item lib. 11, cap. 15, *Judith* fit mentio lib. 11, cap. 7. Ibid. lib. 11, cap. 21, ex *Ecclesiastico* textus profertur, etc.

(7) Allegat testimonium ex lib. *Judith*, *Lib. de Monog.* cap. 17. Novies adducit ex libro *Sapientia*, quem adscribit Salomoni; quinquies ex *Ecclē-*

Cyprianus (1), Dionysius Alex. (2), Methodius (3), Pontius (4), Archelaus (5), aliique præter eos, quos paulo ante recensuimus et vindicavimus (6).

48. Ad 8<sup>m</sup>, *Neg.* Etenim S. Augustinus et Concilia Africana sub finem seculi IV aut sub initium seculi V nihil aliud fecerunt, quam in unum demum canonem redigere libros, quos hactenus

*siastico*, quem et Scripturis accenset; totidem ex *Baruch* sub nomine Jeremiæ; Susannæ item historiam Beli et Draconis commemorat, ac *Danieli* tribuit; utrumque denique allegat *Machabæorum* libram, primum nempe et secundam. Cfr. index Scripturarum ad calcem ejusdem operum, edit. Pamelii et Rigalt.

(1) Eosdem libros, quos Tertullianus, veluti Scripturam allegat S. Martyr, ac librum præterea *Tobiæ* passim; Cfr. index loc. sac. Script. edit. Maur.

(2) Tanquam Scripturam divinam adducit testimoniâ ex lib. *Tobiæ*, *Sapientiæ*, *Ecclesiastici* et *Baruch*. Cfr. edit. opp. De Magistris, Romæ 1796, in indice loc. sac. Script.

(3) *In Conviv. decem virg.* Orat. II, § 3, profert textum ex lib. *Sapient.* III, 16, vocatque Γραφήν; item § 6, *Sap.* IV, 6, et § 7, *Sap.* XV, 10, 11, et alibi. Item ibid. Orat. V, § 4, ex libro *Ecclesiastici* VI, 35; item orat. I, ex cap. XVIII, 30, XIX, 2, XXIII, 1, 5, 6, nec non Orat. VIII, § 3, ex lib. *Baruch*. III, 14, 15, sub nomine Jeremiæ; Orat. XI, § 2, in *Psalmo*, ex lib. *Judith* VIII, 1, et ex *Dan.* XIII, 19, ubi agitur de historia Susannæ. Cfr. apud Galland. *Bibl. Patrum*, tom. III, pag. 670 et seqq.

(4) *In vita et pass.* S. Cypriani § 10,

ubi ex lib. *Tobiæ* profert testim. Cfr. apud Ruinart. *Acta M. Martyrum*, pag. 183, edit. Veron. 1731.

(5) *Disput. cum Manete hæresiar-cha*, § 29, allegat ex lib. *Sapient.* I, 19, et quidem in disputatione dogmatica. Cfr. apud Galland. *Bibl. Patrum*, tom. III, p. 587.

(6) Inter alios enim addi possent auctor tractatus anonymi ad Novatianum, *De spe veniæ non neganda*, apud Galland. tom. III, pag. 376, qui citat tanquam *divinam exhortationem* verba *Ecclesiastici* II, 11-13. Eundem librum vocat Origenes, *Hom.* IV, in *Exod.* § 5, *Scripturam*, et *Hom.* VIII, § 4, ejus auctorem vocat *Prophetam*; auctor *Constit. Apost.* qui præter nuper recensitos libros adducit, lib. V, cap. 20, *Baruch* III, 36. Cfr. apud Coteler. tom. I, S. Cornelius in epist. XII ad S. Cyprian. apud Galland. tom. III, pag. 353, librum II *Machab.* vocat *Scripturam divinam*, etc. Ex his patet, universam antiquitatem, Patres græcos et latinos, veluti Scripturam, Scripturam divinam, divina oracula, etc. libros deuterocanonicos allegasse, quamvis eos inter canonicas Scripturas non recensuerint, eo quod, ut diximus, præter priorem canonem ab universa Ecclesia receptum, nullus alius solemnè judicio confectus esset.



tacito vel expresso Ecclesiarum consensu et usu uti divini ex antiqua traditione habebantur. Dicitur enim in Conc. Carthaginiensi VI, anno 409 celebrato : *Quia a Patribus ista accepimus in Ecclesia legenda* (1); et tamen dicuntur libri *divini*, *Scripturæ canonicæ*; qua sola animadversione totum aëreum adversariorum ædificium de distinctione inter libros *canonicos* et *ecclesiasticos* plane labefactatur. Ruit insuper simul, quod adjicitur de oppositione ecclesiæ Africanæ contra auctoritatem orientalis Ecclesiæ et S. Hieronymi; de deceptione S. Augustini, Tertulliani ac Cypriani, addere poterant et aliorum omnium, quos magno numero paulo ante recensuimus, una cum Pontifice Innocentio I, qui eundem canonem tradidit Exsuperio *Tolosano* (2), et Bonifacio, qui africanum canonem probavit; isti porro omnes decepti turpiter sunt tanquam totidem stolidi, ne dicantur decepti sapientes et acuti hæretici nostri (3).

49. Ad 9<sup>m</sup>, *Neg.* Siquidem S. Augustinus, cum fatetur solos proto-canonicos in canone Hebræorum extitisse, idem dixit, quod alii omnes ante ipsum jam dixerant, eademque ratione, ac illi se gesserant, se pariter gessit quoad alios libros in illo canone non contentos. *Falsum* est, S. Augustinum in libro *Retractationum*, excusare se, quod tanquam *prophetam* seu *auctorem inspiratum* recensisset auctorem Ecclesiastici; sed eum solum abjudicat Salomoni, cui tum Sapientiam tum Ecclesiasticum tribuerat (4).

50. Ad 10<sup>m</sup>, *Neg.* hanc illationem, utpote ex falso supposito

(1) Apud Harduin. *Acta Conc.* tom. i, col. 968, ubi cfr. adnot. Harduini ad can. XLVII Concilii III Carthaginensis.

(2) Dixi : Exsuperio *Tolosano*; nam eruditus adversarius Exsuperium dicit Episcopum *Toletanum*, évêque de Tolède (pag. 28).

(3) Semper mira est hæreticorum agendi ratio; si enim aliquid ipsis arripet, nullo licet aut paucorum testimonio innixi, illud amplectuntur; si non

placet, etsi conspiret universa antiquitas in eo stabiliendo, omnino respuant; si quidem ipsi sunt iudices supremi.

(4) En ejus verba ex lib. II *Retract.* cap. 4, n. 2 : *De auctore libri, quem plures vocant Scripturam Salomonis, quod etiam ipsum sicut Ecclesiasticum Jesus Sirach scripserit, non ita constare, sicut a me dictum est, postea didici, et omnino probabilius comperi, non esse hunc ejus libri auctorem.*

derivatam, ut abunde liquet ex dictis; hæc enim non est theoria sive Augustini sive Africanorum, sed adversariorum nostrorum. Idem dic circa ea, quæ de posterioribus scriptoribus affirmant adversarii, quod non satis adverterint ad systema a nostris protestantibus nunc demum excogitatum, ac de errore commentitio, quem sanxit Tridentinum; ne diutius his insistamus.

51. Ad 11<sup>m</sup>, *Dist.* Id est, non defuerunt, qui, nondum canone ab Ecclesia universali confecto, excluderent a censu canonicorum librorum aut aliquos aut omnes libros deutero-canonicos, aut saltem de nonnullis dubitarint, *trans.* vel *conc.*; ademerunt his libris divinam auctoritatem, juxta dicta, *neg.*

52. Ac 1<sup>o</sup> non admodum sincere proferunt adversarii nostri, quæ ex Junilio Africano objiciunt. Nam non Judith solum et libros Machabæorum collocat inter libros *mediæ auctoritatis*, sed libros præterea Paralipomenon, librum Job, duos Esdræ et librum Esther (1), deque his præcise pronunciat: *Non inter canonicas Scripturas currunt, quoniam apud Hebræos quoque super hac differentia recipiebantur.* Ex hoc solo loco specimen habemus tum doctrinæ hujus auctoris, tum *bonæ*, ut ajunt, *fidei* adversariorum, qui illum nobis objiciunt, ne cetera persequamur.

*Falsum* etiam est, quod de catalogo Scripturarum in vigesimo primo Capitulari Caroli M. dicitur; nam nihil aliud de Scripturis sacris ibidem invenitur quam admonitio, ut Sacerdos Dei *de divina Scriptura doctus sit, ac totum Psalterium memoriter teneat* (2).

53. S. Gregorius M. libros Machabæorum vocat *non canonicos* per oppositionem scilicet ad canonem Hebræorum (3), juxta dicta.

(1) Cfr. op. cit. *De part. div. legis*, Paris. 1556, cap. 3, collat. cap. 7. Animadvertendum præterea est, hunc auctorem recensere inter libros *perfectæ auctoritatis* librum *Ecclesiastici* (cap. 5), et inter libros *mediæ auctoritatis* *Canticum canticorum* (ibid.).

(2) Cfr. apud Harduin. *Acta Conc.* tom. iv, col. 961.

(3) Cfr. Præfat. generat. edit. Maur. opp. tom. 1, § 16, ubi ipsi hanc difficultatem jamdiu a Molinæo objectam disjiciunt.



54. Eodem plane sensu loquitur Hugo a S. Victore, qui recensuit solum Hebræorum canonem (1).

55. Sincere non affertur, quod ex Joan. Beleth objicitur; nec enim ipse scribit: *Hos non recipit Ecclesia*; sed: *Verum hos quatuor QUIDAM non recipiunt, Ecclesia tamen eos approbat* (2); et hinc novum specimen sume bonæ fidei adversariorum Ecclesiæ

56. Joan. Sarisberiensis sibi tantum proposuit describere ex S. Hieronymo canonem Hebræorum, ut ipse declarat (3). Loquens vero de libris Tobiae, Judith et Machabæorum, *qui non sunt recepti in canone* (nempe Hebræorum); *quia fidem, inquit, et religionem ædificant, piè admissi sunt*, scilicet ab Ecclesia (4); demum concludit, omnium Vet. et Novi Test. librorum unum eundemque auctorem esse Spiritum Sanctum (5).

57. In Glossa ordinaria pariter canon Hebræorum ex auctoritate Hieronymi præponitur, neque, ut aiunt adversarii, in editionibus anno 1506 posterioribus tractus, qui contrarii sunt canonicitati apocryphorum (*deutero-canonicorum*), omittuntur (6); siquidem nulla erat ejusmodi omissionis ratio.

58. Ita etiã Hugo de S. Charo, qui canonem exhibet Hebræorum, et ad mentem S. Hieronymi vocat apocryphos sive *hagiographos* libros in canone non contentos, declaratque, eos ab *Ecclesia recipi* (7).

(1) Cfr. opp. edit. Venet. 1588, *De Scripturis*, etc. tom. 1, cap. 6 et 7, ubi recenset, juxta can. Hebr., libros xxii.

(2) Cfr. hujus *Lib. officiorum explicatio* ad calcem *Rationalis div. offic.* Guillelm. Durandi, Venet. 1577, fol. 335, 2.

(3) Relato enim ex S. Hieronymo Hebræorum canone, subdit: *Et hæc quidem inveniuntur in Prologo libri Regum, quem Hieronymus vocat galeatum principem omnium Scripturarum, quæ ab ipso de fonte Hebræo-*

*rum manaverunt.* Cfr. in *Biblioth. Patr.* Lugd. 1677, tom. xxiii, pag. 468, col. 1.

(4) Ibid. pag. 469, col. 1.

(5) Ibid. col. 2.

(6) Sane in Bibliis sacris cum *Glossa ordinaria* Lugduni editis anno 1590, ac Sixto V nuncupatis, prologus *De canonicis et non canonicis libris* eadem prorsus ratione legitur tom. 1.

(7) Sic enim scribit in *Postillam super lib. Tobiae*: *Dicimus, quod Hieronymus accipit hic diffusius hagiographa; ut scilicet includat apocrypha,*

59. Guillelmus Ocham nec verbum hoc de argumento habet in objecto loco (1). Lyranus verbis utitur S. Hieronymi, eodemque in sensu loquitur (2). Hornei jurisconsulti opus mihi comparare non potui; at, præterquam quod obscuri jurisconsulti seculi XIV auctoritas hac in parte nimis exigua est, ex analogia licet conjicere, illum a ceteris non dissentire.

60. Dum videtur S. Antoninus non aliam tribuere auctoritatem libris deuterocanonice quam eam, quæ doctoribus competit Ecclesiæ, intelligi debet in ordine ad auctoritatem extrinsecam et canonicam, nondum solemniter Ecclesiæ decreto illis libris tributam; instructio enim ab Eugenio IV Armenis data est, absoluto Concilio Florentino. Utitur autem verbis S. Hieronymi quoad libros in canone Hebræorum non contentos, et profitetur, Ecclesiam hos libros recipere, juxta datam superius a nobis distinctionem (3).

*quæ ab Ecclesia recipiuntur; quorum veritas manifesta est, sed auctor ignoratur, ut est Ecclesiasticus, Sapientia, Judith, Machabæorum, Tobias, Pastor.* Cfr. opp. edit. Venet. 1600, tom. 1, fol. 373, 2, col. 1.

(1) Etenim adversarius allegat Ochamum, *Dial.* part. III, cap. 16. Porro ibi nil tale legitur. Cfr. ejus opera edita a Goldasto in *Monarchia S. Rom. imperii*, Francof. 1614, tom. II, pag. 785. Quod si in lib. III, tractatus tertii, cap. 16, pag. 834, refert effatum S. Hieronymi, asserentis *libros Ecclesiastici et Sapientiæ legi in Ecclesia ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam*, ac præterea extendit ad libros etiã Judith et Tobie, quod dixit S. Greg. M. de libris Machabæorum, non ad detrahendum horum voluminum auctoritati, hæc protulit Ochamus, sed ut ostenderet, minus efficax

argumentum inde desumi, defectu extrinsecæ auctoritatis, seu solemniter Ecclesiæ judicii, quo in album librorum canonicorum referrentur, prout animadvertimus, cum explanarem illorum duorum Patrum effata.

(2) Cfr. in *Præf. super librum Tobie*, edit. Lugd. 1590, tom. II, col. 1495.

(3) Scribit enim, loc. cit. edit. Lugdun. 1586, tom. 1, pag. 65, de libris *Sapientiæ et Ecclesiastici*, quos plures tribuebant Salomoni. De primo vero affirmat: *Apud Hebræos nusquam est secundum Hieronymum, scilicet in numero authenticorum librorum.* Adjicit vero, in hoc libro agi *de tractatu Judæorum, quem fecerunt ad Christum occidendum.* De altero vero scribit: *Quamvis sit plenus morali sapientia, et ideo ab Ecclesia receptus ad legendum, non tamen authenticus ad probandum ea, quæ veniunt in*



61. Idem de Tostato dixeris, qui tamen fatetur, libros deuterocanonicos ab Ecclesia recipi uti authenticos (1).

62. Præfatio, quæ occurrit in Bibliis editis annis 1498 et 1506, eadem repetit, quæ tot alii auctores post S. Hieronymum dixerunt de canone Hebræorum et aliis libris ab Ecclesia receptis. Hos porro eosdem auctores secutus est Card. Ximenes in sua polyglotta Complutensi (2). Idem præstitit Card. Cajetanus (3); hic tamen novitatis, ut solet, amore captus, ulterius, quam par esset, progressus est in commentariis supra Scripturam, qui pedibus pavonis opportune admodum comparati sunt a Card. Pallavicino (4); et in reprehensionem etiam suorum eapropter Cajetanus incurrit (5).

*contentionem fidei*; quæ sunt verba S. Hieronymi, adeoque eodem sensu accipienda sunt, quo paulo ante exposuimus. Ejus mens adhuc melius dignoscitur ex iis, quæ ibidem scribit, tit. III, cap. 9, § 12, pag. 85; loquens enim de quinque libris deuterocanonicis, quos Hebræi inter apocrypha ablegant, hæc habet: *Ecclesia sancta tamen etiam apocrypha recipit ut vera, ut patet dist. 15.* Quæ objicit adversarius, non in loco ab eo allegato, sed leguntur in *Summ. theolog.* part. III, tit. 18, cap. 6, § 11, edit. Veron. col. 1043.

(1) Etenim Tostatus Abulensis, loc. cit. ab adversario, expresse de libris Sapientiæ, Ecclesiastici, Judith, Tobia et Machabæorum scribit, eos *uti authenticos recipi ab Ecclesia; suscipi ac legi ab Ecclesia*, etc. Cfr. *Enarrat. in præfat. D. Hieronymi in lib. Regum*, quæst. 27, 28 et 29. *In Enarratione vero præf. 1 in Paralip.* quæst. 7, exponit, quo sensu libri, qui extra canonem Hebræorum reperiuntur, recepti

tamen sunt ab Ecclesia, *apocryphi* vocentur. Demum in *Præf. in Evangel.* S. Matth. quæst. 1, 2 et 3, ac præcise in quæst. 2, leguntur, quæ opponit adversarius. En ejus verba: *Imo nescit (Ecclesia), an Spiritu S. inspirati scriptores eorum dictaverint illos (libros)*. Idque asserit relative ad omnimodam certitudinem, quam Ecclesia habebat de libris proto-canonicis, ex defectu, ut sæpius diximus, solemnisi decreti nondum emissi, prout demum factum est in Conc. Tridentino; alioquin non posset sibi ipsi constare.

(2) Cfr. in *Prologo II, De his quæ ad lectionem N. T. sunt prænotanda.*

(3) Cfr. in *Comment.* in cap. x lib. Esther. edit. Lugd. 1639, tom. II, pag. 400, col. 2.

(4) *Istoria del Conc. di Trento*, lib. VI, cap. 17, n. 2.

(5) Cfr. Melch. Can. *De loc.* lib. II, cap. 11, in resp. ad sextum argum. Cajetanum in *Vet. Test. hebraizare*, in *Novo erasmizare* in proverbium cessit. Certe Witackerus, opp. edit. Her-



63. Ad 12<sup>m</sup>, *Neg.* Imo Græci et hoc tempore et ætate subsequenti convenerunt in admittendis uti divinis libris ab Ecclesia latina receptis, ut constat ex eo, quod nulla unquam hac de re inter utramque Ecclesiam excitata sit controversia. Quod si Leontius Byzantinus, Damascenus, Nicephorus uterque, Constantinopolitanus et Callixtus recensent canonem Hebræorum, hoc ab ipsis fit absque detrimento aliorum librorum, qui admissi ab Ecclesia sunt (1).

64. Ad 13<sup>m</sup>, *Neg.* Etenim, ut patet ex hactenus expositis, Concilium Tridentinum filium traditionis constantis et perpetuæ Romanæ Ecclesiæ secutum est in canone divinorum Bibliorum sanciendo; traditio hæc viguit in omnibus Ecclesiis orientalibus et occidentalibus, quæ quoad substantiam eosdem libros uti divinos tenuerunt, non ad ædificationem solum, sed etiam ad firmanda fidei dogmata, ut omnia documenta ex Patribus Græcis et Latinis, ex Constitutionibus apostolicis, ex Conciliis, quæ adduximus, evidenter ostendunt, quibus plura alia, præsertim post secula IV et V, adjicere possemus (2). His vero nullo modo opponuntur, quæ ex S. Hieronymo aliisque, qui eum secuti sunt

bornæ an. 1590, pag. 60, Lutherum libros deuterocan. ex canone expungentem defendit exemplo Cajetani, qui ex canone Nov. Test. epistolas Jacobi, II Petri, II et III Joan., Judæ, Pauli ad Hebræos, et partes controversas et alia quædam sustulerat, de quibus Luthero nunquam venerit in mentem dubitare. Cfr. Georg. Czuppon, *Vindiciæ vulg. edit. Biblior. Sabariæ* 1798, tom. I, pag. 53 et seq.

(1) Satis est percurrere indicem loc. sacræ Scripturæ, qui allegantur a S. Joan. Damasceno, ut pateat, eum promiscue adducere testimonia ex lib. Sapientiæ, Ecclesiastici et Baruch. Cfr. edit. Lequien, qui in adnot. I, ad cap. 17, libri IV, *De fide Orthod.* ob-

servat, S. Joan. Damascenum canonem exscribere, quem exhibuit S. Epiphanius in lib. *De pond. et mens.* de quo superius diximus.

(2) Ne prolixior sim in istorum catalogo texendo, cfr. cit. Appendix, quam in præf. generali exhibet cl. Jos. Blanchinius in *Vindiciis canonic. Scripturar.* De auctoribus, qui ab Apostolorum ætate usque ad sacrum Concil. Tridentinum canonis divin. Scriptur. indicem texuerunt, a pag. 5 ad 9, quorum plerique eundem catalogum sacrorum Librorum sequuntur, qui confectus est a Concilio Carth. III et ab Innocentio I, et quem secuta est Synodus Tridentina.

aut descripserunt, afferuntur ab adversariis, cum non loquantur nisi de libris canonicis in presso sensu, de iis nempe qui continebantur in Hebræorum canone. Quod si alios rejecerunt ex censu Scripturarum canonicarum, relate tantum ad illum canonem hoc affirmarunt; quia licet ab Ecclesiis hi libri uti divini admitterentur, quod quidem hi ipsi scriptores fatentur, ex defectu tamen canonis solemniter ab Ecclesia universa confecti, qui omnes adstringeret ad illos admittendos, factum est, ut honor canonicarum Scripturarum solis passim proto-canonicis tribueretur. Ad exactam proinde scientiæ et critices regulam Tridentinum Concilium canonem suum confecit, nec ei propterea verendum erat *anathema scientiæ*. Bene vero protestantes hæretici sibi omnia timenda habent ab anathemate Ecclesiæ Christi, cui rebelles existunt sub obtentu scientiæ suæ, quæ eos inflat cum dispendio æternæ salutis.

65. Ad 14<sup>m</sup>, *Dist.* Id est, non destiterunt viri temerarii, iique perpauca, qui contra Ecclesiæ auctoritatem maluerunt hæreticis velificare, quam sinceram doctrinam catholicam sectari, *conc.*; vere catholici, *neg.* Etenim ab adversariorum censu seponi debent Sixtus Senensis et Bernardus Lamy, qui ejusdem auctoritatis profitentur esse libros proto-can. et deuterocanonicos, quamvis quoad eorum notitiam, seu quoad nos, eosdem inter se distinguant (1). Sane Sixtus Senensis excandescit in hæreticos, eo quod nobis eripere tentaverint libros deuterocanonicos, eos expungendo e sacrorum Bibliorum canone (2). Itaque duo illi supersunt Dupin et Jahn, quorum scilicet satis explorata est temeraria ac libera nimis sentiendi ratio, quique omnibus sin-

(1) Cfr. Sixtus Senensis, *Biblioth. Sanctæ*, lib. 1, sect. 1, edit. Neap. 1742, pag. 2; et Bernard. Lamy, in *Apparatu biblico*, lib. II, cap. 1 et 2, edit. Lugd. 1696, pag. 311 et seqq.

(2) En ejus verba, quæ leguntur in ejus præfat. § 9, quæque certe haud arridebunt adversariis nostris: *Alii, ab ipsa divinarum litterarum aucto-*

*ritate sceleratius magisque impie bellum aggressi, numerum nobis utriusque Testamenti voluminum imminuunt, et ad minorem summam redigunt; inter quos Lutherus et Zwinglius ex Veteri primum Testamento eliminant libros Sapientiæ Ecclesiastici, Tobiae, etc.... veluti apocrypha et incertæ auctoritatis et fidei scripta, etc.*



ceris Catholicis suspecti idcirco sunt; quamquam neque isti omnino adversariis nostris consentiant (1).

66. Ad 15<sup>m</sup>, *Dist.* Cujus nulla auctoritas est, utpote auro hollandico corrupti, et ad ineundam Calvinistarum gratiam proditoris Ecclesiæ suæ, a qua propterea semel et iterum damnatus est, *conc.*; cuius sit auctoritati fidendum, *neg.* Cum hic sycophanta solus sit, qui ab adversariis opponatur, idemque rejectus a suis, exinde patet, quid de libris deuterocanonicis sentiat Ecclesia Græca (2).

67. Ad 16<sup>m</sup>, *Resp.* 1<sup>o</sup> *Neg.* suppositum de ecclesia protestanti; protestantes nunquam constituerunt Ecclesiam, sed agmen hæreticorum, qui perduelles in Ecclesiam Christi sunt, nec minus ab Ecclesia quam a se invicem divisi; Ecclesiam proinde protestantem non potuit synodus Dordracena repræsentare.

68. *Resp.* 2<sup>o</sup> *Dist.* Id est, synodus Dordracena in suo conficiendo decreto antiquitatis vestigiis adversata est, *conc.*; institit, *neg.* Nam, ut vidimus, antiquitas universa, quamvis inter canonicos, prout canonicorum nomine significabantur libri in canone judaico contenti, deuterocanonicos interdum non recen-

(1) Quanquam Dupinius in op. *Dissertation préliminaire sur la Bible*, Paris 1701, tom. 1, ch. 1, § 6, plura habeat communia cum adversario nostro, qui pleraque ab illo mutuatus est, attamen assentitur Conc. Tridentini decreto, quo ut canonicos recipiendos sanxit libros, de quibus agimus. En ejus verba: *Toutes ces raisons et ces considérations jointes ensemble sont suffisantes pour établir l'autorité de ces livres, dont la définition du concile de Trente ne laisse aucun lieu de douter.* Quod vero spectat ad Jahn, ipse in *Introduct. ad lib. sac. Vet. Test.* cap. 2, § 30, ancipitem se ostendit, utrum Conc. Trid. discrimen sustulerit, quod, eo quidem sentiente, extitit

circa diversam librorum proto-canon. et deuterocanonicorum auctoritatem.

(2) Quod nec Dombre ipse dissimulat. Cfr. quæ de Cyrillo Lucari in ordine ad canonem, scribit doctus P. Lequien, in adnot. 1 ad cap. 17, libri iv *De fide Orthodoxa S. Joan. Damasceni*, opp. tom. 1, pag. 283, ubi inter cetera observat, Synodum Bethleemiticam, pag. 389, libris in canone Laodiceno contentis ceteros addidisse, et declarasse *inscite ac maligne* a nefando Cyrillo ἀπὸ κρύφους, *apocryphos*, nominatos. Cui sanctioni Dionysius Constantinopolitatus cum aliis Episcopis bene multis et presbyteris suffragatus est in responsione ad articulos Calvinistarum anno 1672.



suerit, agnovit tamen, eos et sacros esse et ab Ecclesia uti divinos in se probari, etsi eadem certitudine extrinseca seu *quoad nos* eadem ratione ac de primis illis non constaret. Universa insuper antiquitas, nullo discrimine interjecto, eos libros una cum ceteris recensuit firmiterque retinuit. Contra vero synodus Dordracæna ex censu divinorum librorum eos expunxit, et ad calcem librorum proto-canonicorum rejecit cum apposito titulo : *Libri apocryphi*. Ceteræ autem ecclesiæ a synodo representatæ, nulla ejusmodi decreti ratione habita, libros eosdem e Bibliis penitus ablegarunt (1).

69. Post prolixam hanc discussionem juverit et nobis percontari, utra ecclesia ( ut ecclesiæ nomen cœtui Protestantium liberaliter concedamus ) in errore sit, catholicane an protestans ? Quæ in confirmationem canonis Tridentini documenta afferuntur, certissima sunt et ad critices unguem exacta ; quæ ab adversariis vero proferuntur, partim præpostero sensu sunt intellecta, partim exaggerata, partim demum falsa ac putida mendacia. Eligat igitur lector. Tales sunt Protestantium triumphus !

70. Obj. tertia. Nonnulli saltem libri Novi Test. nunc in canone recepti sunt, qui in canone Ecclesiæ Romanæ desiderabantur. Siquidem 1<sup>o</sup> constat ex Eusebio, Cajum presbyterum Ecclesiæ Romanæ seculo III non admisisse nisi tredecim epistolas S. Pauli, cum eam non adnumeraverit, quæ ad Hebræos inscripta est, et S. Hieronymus, qui Romæ Damaso ab epistolis fuit, aperte scribat : *Paulus Apostolus in epistola ad Hebræos, quem latina consuetudo non recipit* (2); quod et alibi repetit (3). 3<sup>o</sup> Idem dici debet de Apocalypsi quoad Orientales, eodem S. Doctore

(1) Cfr. *Notice sur les livres apocryphes de l'Ancien Testament, en réponse à la question : FAUT-IL LES SUPPRIMER ?* par C. E. F. Moulinié, pasteur de l'église de Genève, Genève 1828. Quem rite opponere possumus Dombrio, utpote qui et doctrina et auctoritate plurimum valeat inter suos, dum Dombrio

nulla existimatione clarescit.

(2) *Comment.* in cap. 6 Isaïæ ad v. 2.

(3) In *Epist. cxxix. ad Dardan.* edit. Vallars. n. 3, in *Catal.* in Cajo; ad cap. 8 Zachariæ et in *Matth.* cap. 26; ac demum in *Epist. ad Evangel.* et alia *ad Paulinum*. Cfr. adnot. Vallarsii ad pag. 965 tomi 1.

teste (1), imo teste anteriore scriptore, Magno Dionysio Alexandrino (2). 4<sup>o</sup> Concipi porro nequit; quomodo Ecclesiæ seculo XVI potuerit innotescere, quod quatuor saltem prioribus seculis ignoravit Ecclesia, cum nullam posthac ipsa revelationem habuerit. 5<sup>o</sup> Non immerito igitur Romæ vehementer obmurmuratum est, referente Sarpio (3); quod a congregatione quinque Cardinalium et quadraginta octo Episcoporum, qui exiguis diocesisibus præerant, nec magni erant theologi, præcipiti consilio decretum de re adeo difficili latum fuerit. Ergo.

71. Resp. *Neg. ant.* Ad 1<sup>m</sup> prob. *Dist.* Cajus, Rom. Ecclesiæ presbyter, non adnumeravit epistolam ad Hebræos inter epistolas S. Pauli, *conc.*; non agnovit eam epistolam uti divinam atque canonicam, *neg.* Duæ ejusmodi quæstiones permisceri inter se nequeunt; altera quippe ab altera antiquitus sejuncta fuit. Quidam enim uti divinam habuerunt epistolam ad Hebræos, quamvis eam a Paulo conscriptam esse inficiarentur (4); prout contigit Apocalypsi, cujus auctorem diversum esse ab Apostolo Joanne aliqui ex antiquioribus existimarunt, etsi ejus divinitati nihil derogarent (5). Cajus propterea potuit eam quidem abjudicare epistolam Apostolo Paulo, nec tamen canonicam ejus auctoritatem ob id inficiari, ut patet ex ipsis Eusebii verbis (6).

(1) In *Epist. cit. ad Dardan.*

(2) Apud Euseb. *Hist. eccl.* lib. vii, cap. 25.

(3) *Storia del Concilio di Trento*, lib. n.

(4) Cfr. Michaëlis, *Introduct. au Nouveau Testam.* Genève 1822, tom. iv, chap. 24, sect. 15, pag. 224; et Cellérier, *Introduct.* etc. division. 11, sect. 11, pag. 448 et seqq. Certe Tertullianus, lib. *De pudicitia*, cap. 20, eam adscribit Barnabæ, ac receptiorem eam esse dicit apud Ecclesias epistolam Barnabæ (nempe epistolam ad Hebræos) illo apocrypho Pastore mæcho-

rum. Cfr. etiam S. Hieronymus, *De viris illustr.* in Paulo, et Origenes, apud Euseb. lib. vi, cap. 25.

(5) Cfr. Dionysius, apud Euseb. lib. vii, cap. 25, et ejusdem *Epist. ad Hermammoneum*, quæ est num. 12, edit. ejus opp. De Magistris, num. 2, pag. 178.

(6) Sic scribit Eusebius, lib. iii, cap. 3: *Sciendum tamen est, epistolam ad Hebræos a nonnullis ideo esse repudiatam, quod dicerent, eam ab Ecclesia Romana pro certa ac genuina Pauli epistola non haberi*; et lib. vi, cap. 20, loquens de Cajo, qui tredecim



Sane, cum videamus a Clémente plures ex hac epistola sententias proferri perinde ac ex aliis scriptis canonicis, patet, ab Ecclesia Romana eam inter Scripturas canonicas seu divinas fuisse adoptatam (1).

72. Ex his responsio fluit ad alteram probationem adductam ex S. Hieronymo; qui quidem non de Romana proprie Ecclesia loquitur, sed de ecclesiis *latinis*, seu potius de *latina* consuetudine, quo nomine ecclesiæ occidentales in genere significantur, apud quas potuit esse circa auctorem hujus epistolæ dissensus. Quod si vere loquitur de Ecclesia Romana, non loquitur nisi de nonnullis ejusdem membris; siquidem exploratum est, ætate S. Hieronymi plerosque omnes eandem epistolam recepisse, uti ostendit Bonfrerius (2). Ceterum idem S. Doctor in *Epist. ad Dardanum* testatur, non solum hanc epistolam *ab omnibus retro ecclesiasticis græci sermonis scriptoribus suscipi... et quotidie Ecclesiarum lectione celebrari*, verum etiam profitetur, se eam suscipere tanquam canonicam una cum Apocalypsi: *Nequaquam*, subdit, *hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerumque utriusque*

tantum enumeraverat epistolæ Pauli, subdit: *Sane hæc epistola* (ad Hebræos) *etiamnum a quibusdam Romanis Apostoli esse non creditur*. Porro utrobique Rufinus vertit *latinos*, quam versionem probat Valesius, cum Eusebio insolens non sit *latinos* vocare *romanos*, ut prolatis exemplis ostendit idem Valesius, in not. ad utrumque locum. Inter hos Romanos seu latinos, qui Paulo abjudicarunt hanc epistolam, recensendus etiam est Hyppolytus Episcopus Portuensis, in lib. *Advers. hæreses*, teste Photio in *Biblioth. cod. 121*. Ceterum cfr. Theodoretus, in præmio in epist. ad Hebræos, ubi ex veterum consensu B. Pauli eam esse ostendit. A Clemente Romano epistolam ad Hebr. tributam

fuisse Apostolo Paulo, testatur Stephanus Gobatus, apud Photium.

(1) Cfr. de hoc argumento Estius, in epist. ad Hebr. *De auctoritate epistolæ, et de auctore hujus epistolæ. Comment. in omnes Pauli epist.* Duaci 1616, tom. II, pag. 369 et seqq. item Cellérier op. cit. *Introduct. divis. II, sect. 11*, ubi ejus auctoritatem vindicat adversus Michaëlis, qui præterea causam assignat, quare ab impugnatoribus Cataphrygarum seu Montanistarum in dubium saltem revocata fuerit auctoritas epistolæ ad Hebræos, ob abusum scilicet nonnullorum locorum ejusdem epistolæ.

(2) In cit. præloq. cap. IV, sect. 8.



*abutuntur testimoniis, non ut interdum de apocryphis facere solent... sed quasi canonicis et ecclesiasticis* (1).

73. Ad 3<sup>m</sup>, *Dist.* Sequioris ætatis et quoad verum ejus auctorem, *conc.*; ætatis anterioris et quoad ejus divinam inspirationem, *neg.* Certum enim est, Apocalypsim prioribus duobus seculis etiam ab orientalibus uti divinam admissam fuisse, postea vero dubitari cœptum de divina ejus origine ac de ejus auctore, quem alii Joannem Evangelistam, alii Joannem presbyterum esse contendebant (2). Ceterum in Ecclesia Romana nunquam de ejusdem canonicitate excitata dubitatio est (3), quod nobis plane sufficit.

74. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Si reipsa Ecclesia definivisset seculo XVI, quod ignoravit Ecclesia quatuor priorum seculorum, *trans.* vel *conc.*; si secus egit, *neg.* Jam enim ostendimus, quomodo ab apostolicis inde temporibus in Ecclesia Romana idem canon obtinuerit, ac veluti per manus fuerit huc usque transmissus. Nulla proinde indiguit nova revelatione ad canonem statuendum Ecclesia, sed solo divino subsidio, ne unquam deciperetur, prouti re vera factum est. Laborat propterea difficultas falso, ut ajunt, supposito (4).

(1) Loc. cit. Notanda vero hic est, in S. Doctore conjunctio istarum vocum *canonicis et ecclesiasticis*, quæ pro eodem usurpantur, secus ac contendunt adversarii.

(2) Recolantur superius dicta; cfr. præterea Cellérier, op. cit. divis. III, sect. 5.

(3) Ibid.

(4) Apposite ad hanc ipsam difficultatem respondebat auctor, certe minime adversariis suspectus, scilicet Dupin, op. cit. lib. I, ch. I, § 6: *Quoiqu'il ne se fasse point de nouvelle révélation à l'Église, elle peut après bien du temps être plus assurée de la vérité d'un ouvrage qu'elle ne l'était aupara-*

*vant, quand, après l'avoir bien examiné, elle a trouvé un légitime fondement de n'en plus douter, et une tradition suffisante pour le juger authentique. C'est la raison pour laquelle saint Jérôme dit que l'épître de saint Jude avait acquis de l'autorité par l'antiquité et par l'usage, et mérité d'être mise au rang des livres sacrés du Nouveau Testament.* Atque hic obiter observo, si valerent argumenta, quibus utuntur Calviniani et Dombre inter ipsos ad impugnandam canonicitatem librorum deutero-canonicorum Vet. Test., debere pariter excludi ab hoc censu deutero-canonicos Novi Testamenti, quos tamen ipsi uti canonicos

75. Ad 5<sup>m</sup>, Si fides adhibenda sit huic scriptori, hæreticis colludenti ac in pluribus falsitatis convicto (1), *conc.*; secus, *neg.* Porro decretum, de quo agitur, licet ab initio, prout temporum ferebat conditio, nonnisi a paucis editum fuerit, tamen ab universa Synodo, totaque demum Ecclesia catholica probatum est. Decreta autem omnia anteriora sub Concilii exitum denuo sanxerunt Cardinales sex, Legati quatuor, Patriarchæ tres, Archiepiscopi triginta duo, Episcopi ducenti viginti octo, abbates quinque, generales ordinum ministri septem, Episcoporum procuratores plurimi (2). Addimus, Sarpium una cum hæreticis suis decreto Tridentino, etiamsi decies centena millia Episcoporum congregata illud tulissent, impavide refragaturum fuisse; siquidem non error intellectus, sed voluntatis vitium in eo fuit. Quid porro cum ejusmodi hominibus agas?

## PROPOSITIO II.

*Rejecta Ecclesiæ catholicæ auctoritate, nequeunt Protestantes certum sacræ Scripturæ canonem constituere.*

76. Hujus propositionis veritas suapte natura ex iis profluit, quæ in superiori propositione disseruimus. Etenim non aliunde auctoritas nobis constat sacrarum Scripturarum sive Veteris sive Novi Testamenti, quam ex canone Ecclesiæ Romanæ seu Ecclesiæ catholicæ universæ, quæ labente tempore illum amplexa est juxta illius Ecclesiæ traditionem, constantem sane atque perpetuam ab ætate apostolica ad Concilium usque Tridentinum. Antiqui siquidem canones seu catalogi sacrarum Librorum, quos reliquæ Ecclesiæ particulares ac Patres seorsum sumpti exhibuerunt, plurimum inter se discrepant. Nam alium canonem dedit Melito

admittunt. Eadem siquidem et validiora fortasse urgeri possent adversus horum canonicitatem argumenta, quam ea quæ pugnant contra canonicitatem deuteronomicorum Veteris Testamenti.

(1) Card. Pallavicinus detexit 360 errores *facti* in Historia Pauli Sarpium, quos ei exprobravit.

(2) Sess. xxv.

Sardianus, alium Synodus Laodicena, alium vero canones et constitutiones *Apostolicæ* nuncupatæ, alium Origenes, alium auctor Synopseos Athanasianæ (1), alium S. Gregorius Nazianzenus (2), et ita porro (3). Omnes quippe vel deficiunt vel redun-

(1) Etenim, ut vidimus, Melito in canone suo omittit libros omnes Novi Test., et in can. libror. Vet. Test. prætermittit Baruch; contra vero Synodus Laodicena in suo can. recenset Baruch, omittit vero Apocalypsim. In can. LXXXV apostolico inter libros canonicos recensentur libri Judith et tres Machabæorum; omittuntur vero libri Baruch, Tobix, Sapientix et Ecclesiastici; ex libris vero Novi Test. omittitur Apocalypsis; sed e contra inter canonicos adnumerantur Clementis epistolæ duæ, et octo libri Constitutionum ejusdem Clementis. Origenes exhibet can. Hebræorum; auctor Synopseos Athanasiana numerat 151 Psalmos, excluditque e canone libros deutero-can. Vet. Test.

(2) Et ipse sequitur canonem Hebræorum quoad libros Vet. Test., et omittit Apocalypsim ex libris Novi Test. in suo carm. XXXIII, *De veris et germanis Scripturæ libris*, opp. edit. 1630, tom. II, pag. 98.

(3) Ex. gr. Cyrillus Hierosolym. *Catech.* IV, n. 35, licet et ipse tradat canonem Hebræorum, attamen includit in hoc canone prophetiam Baruch, excludit vero ex libris canonicis Novi Test. Apocalypsim; S. Athanasius pariter in *Epist. festali*, admittit solum canonem Hebræorum quoad libros Vet. Test. addita prophetia Baruch et epistola Jeremiæ, quæ constituit caput 6 Baruch in Vulgata. Philastrius Brix. *De hæres.*

cap. 88, excludit e libris canonicis Epistolam ad Hebr. et Apocalypsim, edit. Brix. 1738. Attamen in hoc sibi non constat. Cfr. cap. 60 et 89. Canon pariter ecclesiæ Syriacæ excludit Apocalypsim. Contra vero Barnabas allegat testimonium ex lib. IV Esdræ, v. 5, in epist. cap. 11, apud Coteler. Sic in *Constitution. Apostol.* lib. VII, cap. 2 et seq. uti ex ceteris Scripturis testimonia adducuntur ex epist. Barnabæ. Ibid. tom. I, pag. 363, et lib. II, cap. 22; Oratio Manasses, ibid. pag. 232. Tertullianus veluti ex Scriptura sacra adducit, lib. *Præscript.* cap. 3, testimonium ex lib. IV Esdr. VIII, 20; et iterum *Cont. Marcion.* lib. IV, c. 16, ex eod. libro allegat c. XV, 1. Cfr. Rigalt. et Pamel. Sic Cyprianus, epist. LXXIV, pag. 141, edit. Maur. laudat lib. III Esd. IV, 38, cujus textum profert. S. Irenæus, *Contr. hæres.* lib. IV, c. XX, n. 2, edit. Mass. citat tanquam Scripturam canonicam librum Hermæ, nempe *Pastorem*, scribens: *Bene ergo pronuntiavit Scriptura, quæ dicit: primo omnium crede, quoniam unus est Deus*, etc. quæ desumpta sunt ex lib. II, Mand. 1; cfr. Massuet. diss. III, art. 1, n. 7; quod et alii Patres præsertim græci præstiterant, quorum testimonia collegit Cotelerius in prævio *Judicio de Hermæ Pastore*. Origenes, *Cont. Cels.* lib. I, n. 63, videtur apostolicam auctoritatem tribuere epistolæ



dant. Scriptura nullum uspiam censum horum librorum exhibet. Cum autem hæc sola documenta sint, ex quibus nobis genuinus canon constare possit, elucet, seposita Ecclesiæ catholicæ auctoritate, nullam viam certam Protestantibus illam respicientibus patere posse ad canonem sibi constituendum.

77. Sane nunquam sibi constiterit acatholici in numero librorum canonicorum definiendo. Lutherani ab initio rejecerunt ex sacrorum Bibliorum censu libros omnes deuterocanonicos Veteris Fœderis, ac omnes deuterocanonicos Novi Testamenti: epistolam videlicet ad Hebræos, epistolam S. Jacobi, et S. Judæ, II S. Petri, II et III S. Joannis una cum Apocalypsi. Calvinus primique ejus asseclæ repulerunt pariter libros omnes deuterocanonicos Vet. Test., cum tamen deuterocanonicos Novi Test. libros retinerent (1). Qua in re videntur antiquos fuisse imitati hæreticos, expungentes nimirum pro lubricitate sua e Librorum sacrorum censu, quos cerebrosis suis commentis adversari posse deprehendebant (2). Protestantes deinceps seorsum sumpti quoad hosce

Barnabæ, prout et ante ipsum præstiterat Clem. Alex. *Strom.* lib. II, edit. Pott. Venet. 1757, pag. 447, ubi cfr. adnot. edit. et iterum ibid. pag. 472, tum lib. V, pag. 683. Et hæc specimenis gratia attulisse sufficiat, ut appareat, quanta olim circa Scripturarum canonem vigeret discrepantia.

(1) Cfr. Jac. Bonfrerii S. J. *Præloquia in totam sac. Script.* cap. 4, sect. 1; Janssens, op. cit. *Herm. sac.* edit. Paris. 1833, tom. I, chap. I, § 5.

(2) Ita de hæreticis Marcionitis in lib. *De præscript. hæret.* cap. XVII, scribit Tertullianus: *Ista hæresis non recipit quasdam Scripturas; et si quas recipit, non recipit integras; adjectionibus et detractationibus ad dispositionem instituti sui intervertit.* De hoc ipso hæreticorum more loquitur Irenæus, *Contr. hæres.* lib. I, cap. 20, n. 1;

Cyprianus in lib. *De unit. Eccles.* edit. cit. pag. 198, ubi hæreticos vocat *corruptores Evangelii*; Basilius M. hom. V, in *Hexæmer.* n. 5; Augustinus, in lib. *Cont. Adimant.* cap. 13, n. 4, aliique passim. Porro eadem ratione se gessisse hæreticos protestantes, dum respuerunt libros deuterocanonicos, vadem damus auctorem protestantem, qui ejus rei causam aperit, nempe Moulinié, op. cit. *Notice sur les livres apocryphes*, etc. *Introduct.* pag. 4, ubi scribit: *Certains passages des livres apocryphes (deuterocanoniques) ont fait croire que la doctrine de ces livres n'était pas conforme à l'analogie de la foi (nempe doctrinæ hæreticorum), et l'on a conclu à la suppression de tous, repassant à cette occasion les objections qu'on avait jadis opposées à leur canonicité.*

ipsos libros in diversas abiere sententias; donec visi demum sunt, ii saltem qui in Germania degunt, unanimi ferme consensione admittere, quotquot Novi Test. libros in canone suo catholica recenset Ecclesia (1). Verum novis Bibliorum studiis excitatis, ac rationalismo in dies percrebescente, adeo secum ipsi pugnare cœperunt, ut vix ullus liber sit, non modo ex deuterocanonicis, sed etiam ex proto-canonicis utriusque Fœderis, quem istorum aliquis ex censu canonicarum Scripturarum non expungat, aut saltem annon expungendus sit vehementer non dubitet (2).

(1) Cfr. Janssens, loc. cit. et Moëhler, *Symbolique*, tom. II, chap. 5, § 41.

(2) Longa nimis res esset velle Protestantibus recensere, qui unum vel alterum librum proto-canonicum suis auctoribus adjudicarunt; proferam nonnulla exempla ex ipsis Protestantibus deprompta. Pentateuchum post exilium babylonicum scriptum autumarunt Fr. Car. Fulda, God. Hasse, Joan. Christ. Nachtigal, Joan. Sever. Vater, Mart. de Wette, Leon. Bertholdt, aliique apud Rosenmüller, *Prolog. in Pentateuch*. Librum Job. non historiam sed fabulam referre contendunt Spanhemius, Carpzovius, Michaëlis, passimque recepta est apud Protestantibus ejusmodi sententia, apud eundem in *Prolog. in Job*; quibus præverat Lutherus. Castalio, Beza teste, apud Bonfrerium loc. cit. tanquam impuram et obscœnam cantionem Canticum canticorum rejicit. Evangeliorum commentarios suis auctoribus, quibus inscribuntur, abjudicant Herder, Eckermann, Gieseleus, Sartorius, Paulusius, apud Kuinoel, *Prol. in Evang.* qui contendunt ex narrationibus, ore Apostolorum pro-

pagatis, ab ignotis hominibus eos fuisse exaratos. Alii, ut Michaëlis et Kuinoel ipse, recurrunt ad ignotum communem fontem nescio quem Syrochaldaicum, ex quo tria priora Evangelia excerpta sunt, *Urevangelium* vocant, ut alias diximus. Vogelius censet, quemdam Judæo-Christianum auctorem esse Evangelii Joannis nuncupati; Ballenstadius et Hortius existimant, hoc ipsum Evangelium ab ignoto quodam homine Alexandrino, seculo I exeunte, aut sec. II ineunte, fuisse conscriptum. Bretschneider neque Joannem Apostolum, neque christianum Palæstina oriundum ibique degentem, neque a Judæis natum, sed alium quemdam disciplinæ Alexandrinæ addictum, sec. II illud conscripsisse, et e traditione aut scripta aut non scripta hausisse; apud Kuinoel, *Prol. in Evang. Joan.* qui tamen laudat Bretschneiderum veluti doctum et moderatum. Quid igitur erit de minus moderatis Protestantibus? Omitto blasphemias, quas jam recensui in tract. *De vera religione*, part. II, prop. IX, de quibus etiam consuli potest Baro de Starck, in *Convivio Theoduli*. Omitto,



78. Neque hoc mirum videri debet in acatholicorum systemate; nam, cum ipsi infallibilem Ecclesiæ auctoritatem agnoscere detrectent, traditionemque divinam rejiciant, nulla ipsis superest norma tuta ad canonem constituendum, silentibus, uti animadvertimus, hac de re sacris eloquiis, ac veteribus inter se discrepantibus. Quapropter alterutrum ipsi tandem eligant necesse est, aut ut canonem admittant, quem Romana semper Ecclesia secuta est, aut ancipites ac incerti circa canonicam unicujusque fere libri auctoritatem hæreant.

79. Quæ cum ita se habeant, intelligi nequit, qua demum ratione possint Protestantes unice appellare ad Scripturam, unice ei insistendum vociferari, hanc unicam controversiarum judicem jactare, dum, quibusnam libris canonica Scriptura constet, ignorent, aut saltem in eo cespitent ambigantque, neque unquam possint ipsi suo hædere vestigio. Merito propterea adversus istiusmodi novatores usurpamus, quod in sui temporis novatores urgebat Tertullianus: *Scripturas obtundunt, et hac sua audacia statim quosdam movent... Si hæ sunt illæ vires eorum, uti eas habere possint, despici debet, cui competat possessio Scripturarum, ne is admittatur ad eam, cui nullo modo competit* (1).

#### DIFFICULTATES.

80. Obj. prima. Multiplici ratione acatholicis innotescere po-

quæ Strauss in vita J. C. effutit; hæc enim sufficiunt, ut pateat, an recentiores hæretici circa libros sacros inferiores sint antiquioribus, præsertim Gnosticis et Manichæis.

(1) *De Præscript*, cap. xv. Ita quidem hæretici antiqui et recentiores; at longe aliam diversam viam tenuerunt quovis tempore Catholici. Nota sunt Augustini verba ex cap. 5 libri *Contr. Epist. Fundamenti*: *Ego vero Evangelio non crederem, nisi me catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas. Lo-*

quens vero, ibid. S. Doctor de *Act. Apostol.* prosequitur: *Cui libro necesse est me credere, si credo Evangelio, quoniam utramque Scripturam similiter mihi catholica commendat auctoritas.* En regulam auream, eamque unice tutam. Cfr. de hac regula et effato S. Augustini Nic. Serarius S. J. in *Prolegomen. Biblicis*, Mogunt. 1612, cap. 7, quæst. 6, ubi adversus hæreticos illam tuetur. Cfr. etiam Melch. Canus, *De loc. theol.* lib. II, cap. 7.



test, quinam sint libri canonicis accensendi, quinam vero ab hoc censu debeant excludi. Etenim quoad libros Vet. Test. id ipsis constat 1<sup>o</sup> ex Hebræis, quibus, ut testatur Apostolus, concredita sunt eloquia Dei (1); 2<sup>o</sup> ex allegationibus, quæ de illis passim occurrunt in libris Novi Test.; 3<sup>o</sup> ex consensu Ecclesiarum quatuor priorum seculorum. Si vero sermo sit de libris Novi Test., id ipsam acatholicis luculentur patefit 4<sup>o</sup> ex canonibus, qui per id tempus prodierunt, nempe ex Origene, Melitone, Eusebio, Concilio Laodiceno, Epiphanio, Hieronymo aliisque passim. 5<sup>o</sup> Demum Protestantes, quinam libri canonicorum loco debeant haberi, ut compertum probatumque assumunt, quin alio opus sit, ex catholicis ipsis, qui eos ut canonicos admittunt ac præ se ferunt. Ergo.

81. Resp. *Neg. ant.* Nam si reipsa, quod jactant adversarii, multiplici ratione, rejecta Ecclesiæ auctoritate, potuisset aut posset certo constare sacrarum Scripturarum canon, semper ipsi inter se consentientes in numero librorum canonicorum asserendo extitissent et adhuc essent. Cum vero Protestantes circa illum neque cum Catholicis neque inter se unquam consenserint aut consentiant, evidens est, non modo haud multiplici ratione, sed nullo prorsus pacto id certo ipsis patere posse. Itaque id non evincunt

82. 1<sup>o</sup> Ex auctoritate Hebræorum quoad libros Vet. Test.; quia, tametsi credita illis fuerint eloquia Dei, nobis certo non constat, actu scilicet authentico, quosnam illi singillatim libros uti canonicos admiserint. Auctoritas Josephi et thalmodistarum tanta non est, omne ut dubium dispellere valeat, præsertim cum in pluribus a vero manifeste illi desciverint. In gravi siquidem adeo negotio opus fuisset iudicio decretorio et authentico magnæ Synagogæ; quod tamen ipsa aut non tulit, aut saltem illam aliquando tulisse nullo nobis historico eoque antiquo monumento certo innotescit (2). Quod vero legitur II Machab. I, 13,

(1) Rom. III, 2.

(2) Cfr. Ackermann, *Introd. in libros sacros Vet. Test.* Vien, 1825,

part. I, cap. I, § 28, in not.; necnon Marchini, tract. *De divinat. SS. Bibl.* Taur. 1777, pag. 3 et seqq.

nimis vagum ac generale est, nec quidquam ex eo confici potest. Quid quod auctoritas divina hujus libri a Protestantibus ipsis respuitur?

83. 2° Neque ex allegationibus; tum quod in hoc argumendi modo ab adversariis jam illud pro certo assumatur, libros omnes Novi Test. esse canonicos, de quo tamen, auctoritate Ecclesiæ seposita, certo ipsis constare nequit; tum quod non omnes libri etiam proto-canonici Vet. Test. in Novo Testamento allegentur (1); tum denique quod mentio, aut saltem allusio in libris Novi Test. injiciatur nonnullorum librorum, quos ipsi plane rejiciunt (2).

84. 3° Neque ex quatuor priorum seculorum Ecclesiarum consensu; ut enim ostendimus, si Romanam unam excipias Ecclesiam, aut illas quæ ex Ecclesia Romana canonem acceperunt (3), Ecclesiæ particulares primis illis seculis inter se minime consenserunt; sed alia plures, alia vero pauciores libros in canonem retulit. Deinde si adversarii, primævæ illius ætatis Ecclesiarum auctoritate permoti, libros proto-canonicos amplectuntur, curnam eadem innixi auctoritate libros deutero-canonicos non susci-

(1) Undecim, ad minus libri proto-canonici nunquam in Novo Test. ex Veteri allegantur, nec ulla ad ipsos allusio fit, nempe 1° lib. Judicum, 2° Ruth, 3° 1 Reg., 4° 1v Reg., 5° Paralip. libr. duor., 6° Esdræ, 7° Esther, 8° Ecclesiastes, 9° Cantici Cant. 10° Abdiæ, 11° Sophoniæ.

(2) Tales sunt liber Sapientiæ, Ecclesiastici, Tobia, libri Machab. uti ex dicendis patebit.

(3) Talis est præter ecclesiam Africanam, ecclesia Hispanica, quæ in can. Scripturarum plane cum Ecclesia Romana consentit, ut patet ex Isidoro Hispal. qui sæpius nobis sacr. Scripturarum canonem, prout recipiebatur in

Ecclesia, nobis exhibet, scilicet *Ety-mologiar.* lib. vi, cap. 1 et 2: in *Proæmiis in libros Vet. et Novi Test.*; tum in lib. 1, *De officiis*, cap. 11, et ubique enumerat libros Vet. et Novi Test. septuaginta duos. Cfr. edit. opp. Faust. Arevali S. J. Romæ 1802, in septem volumina distrib. S. Isidorus expresse distinguit, quemadmodum olim S. Augustinus, canonem Hebræorum a canone Ecclesiæ. Idem dic de ecclesiis italicis, præter Romanam, quarum testem habemus Cassiodorum, qui in lib. de *Instit. divinar. Litterar.* cap. 13 et 14, et ipse eundem canonem cum Ecclesia Romana nobis præbet. Cfr. opp. edit. Rotomag. 1679, tom. II, pag. 546.

piant; cum exploratum ex dictis sit, non paucas ecclesias eos libros uti divinos agnovisse?

85. 4<sup>o</sup> Neque ex canonibus per id tempus confectis; quum canones illi inter se differant, pluresque præterea libros, imo plerosque deutero-canonicos contineant, id quod vel ex ipsa Synodo Laodicensi apparet (1), quos tamen Protestantes non ita pridem ex canonicorum Librorum albo expungebant, pluresque adhuc expungunt.

86. 5<sup>o</sup> Neque ex Catholicis, Catholici enim ideo ex auctoritate Ecclesiæ canonem sacrorum Librorum venerantur atque amplectuntur, quia profitentur, Ecclesiam ex Christi promissis infalibilitate frui iis in omnibus, quæ ad fidem moresque spectant. Contra vero Protestantes, qui ejusmodi privilegium Ecclesiæ collatum inficiantur, nequeunt, quin secum turpiter pugnent, admittere, ut faciunt Catholici ob Ecclesiæ auctoritatem, sacrarum canonem Scripturarum. Quandoquidem Ecclesia, si vel in uno fidei articulo errare potest, errare procul dubio potest et in reliquis omnibus; quod si in uno errare nequit, et in ceteris nequibit errare. Jam vero, si Ecclesia errori obnoxia fuit in canone conficiendo, in errorem Catholici ab illa induci potuerunt; a deceptis autem veritas constare certe non potest. En itaque, quomodo apte sibi Protestantes cohæreant. Quando propterea iidem Catholicos ad disputandum provocant ex solo, ut ipsi loquuntur, *puro Dei Verbo, quod in Scripturis continetur*, tuto isti respondere provocatoribus possunt, ut prius certo constituent, quinam illi libri sint, in quibus purum hoc Dei verbum continetur, eosque ad silentium facile adducent.

87. Obj. secunda. 1<sup>o</sup> Constituta *genuinitate* sacrarum Scripturarum, hoc ipso ejusdem canonica auctoritas in tuto est. 2<sup>o</sup> Jam vero genuinitas argumentis criticis a Protestantibus adstruitur, eo nempe modo quo et Catholici ipsi eam vindicant adversus

(1) Jam vidimus, a Synodo Laodicensi inter libros canonicos Vet. Test. recensitum fuisse librum seu prophetiam Baruch, quæ deutero-canonica est, et

libros omnes deutero-canonicos Novi Test., excepta Apocalypsi. Si tamen hic canon genuinus est.



incredulos. Si igitur absque Ecclesiæ auctoritate Catholici omnes adversus incredulos sacrorum Bibliorum genuinitatem evincunt, quare id ipsum efficere non valebunt Protestantes, atque hinc certiores fieri de eorundem librorum *canonicitate*? 3<sup>o</sup> Ad eum proinde modum, quo argumentis criticis omnimodam moralem certitudinem assequi possumus de genuinitate ac authenticitate operum Tullii, Virgilio ac Taciti, eandem possumus obtinere quoad Libros sacros, adeoque ex dictis constare certe poterit canonica ipsorum auctoritas. Ergo.

88. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Neg.* Potest quippe sacrorum Librorum genuinitas optime vindicari, quin tamen exinde eorundem possit canonica auctoritas constitui. Id luculentissime patet ex iis, quæ in superiori propositione disseruimus; cum liber possit in se authenticus et divinus esse, quin tamen id nobis defectu publici ac solemnisi decreti innotescat. Sane nemo jam est, qui in dubium revocet genuinitatem libri Ecclesiastici; qui authenticos non agnoscat libros Judith, Tobiae ac duos Machabæorum; attamen uno fere ore Protestantes e canone illos excludunt. Idem dic de Judæis respectu eorundem librorum; idem de illis Patribus, quos recensuimus, quibus divini erant ejusmodi libri, dum tamen uti canonicos eos nequaquam admittebant. Non debent proinde duo hæc simul permisceri, quod adversarii minime cavent (1).

89. Ad 2<sup>m</sup>, *Trans. aut. neg. cons.* Vis enim tota argumenti pendet ex commixtione seu confusione genuinitatis et canonicitatis sacrorum Librorum; hac sublata, penitus concidit. Transmissimus autem antecedens, cum aliud sit argumentis criticis

(1) Hic meminisse juverit, eos, qui nunc adeo fidunt argumentis criticis constituendæ authenticitati Librorum sacrorum, eos, inquam, ipsos esse, qui non obstantibus documentis omnigenis, quibus adstruitur Petri Romam adventus, et episcopatus et martyrium, denegare hæc tamen pergunt, ut somniis suis indulgeant de Babylonensi,

Ægyptiaco, aut Chaldaico episcopatu, aut Hierosolymitano, ejusdemque ibidem obitu, aut saltem in Joppe. Longe tamen minor documentorum ejusmodi pars militat pro non paucis libris proto-canonicis tum Vet. tum Novi Test. quam pro Romano Petri episcopatu. Verum Protestantes harum antilogiarum parum solliciti sunt.

ostendere unius alteriusve libri genuinitatem et authentiam aliud vero auctoritatem adstruere omnium et singulorum librorum, qui in canone continentur et ad eum spectare debent. Porro cum Catholici adversus incredulos pugnant, ut plurimum argumentis criticis nonnisi Pentateuchi et Evangeliorum genuinitatem constituunt, pro quibus certe eadem, imo longe potiora militant argumenta, quam pro operum Tullii, Virgilii ac Taciti auctoritate. Paralogismus proinde est argumentum adversariorum, dum a particulari concludunt ad universale (1).

(1) Ex his patet, quam immerito Guil. Palmer, in op. sæpius in altera hujus tractatus part. cit. *Tractatus de Ecclesia Christi*, vol. II, part. III, cap. 1, pag. 3, affirmet, *genuinitatem, authenticitatem et inspirationem* Scripturæ sacræ ab omnibus credentibus (catholicis, schismaticis et hæreticis) iidem argumentis contra incredulos atque deistas propugnari; et pag. 22 et seqq. ubi solvit difficultates, quas sibi objicit, cum inter alias et hanc sibi proposuisset: *Authenticitas et genuinitas* Scripturarum unice innituntur infallibili Ecclesiæ catholicæ existentis auctoritati; ergo debetis ejus testimonium admittere circa doctrinas omnes, etiam probationibus biblicis seclusis, respondet: *Nos recusamus positive huic respondere argumento, donec illi, qui illud urgent, affirment, argumenta omnia, quibus Bellarminus, Bossuetius, Huetius, Bergierius, Du Voisin, Hooke, Frayssinous, Bouvier, La Mennais, ceterique catholici theologi demonstrant authenticitatem et genuinitatem Scripturæ adversus incredulos, quæque item argumenta nostra sunt, omni probandi vi carere. Si id asseruerint, nos equi-*

*dem admitteremus principia adversariorum nostrorum; quod si id facere recusaverint, ipsorum contra nos argumenta ex se plane concidunt.* Ita quidem Palmer, qui deinde prolixam circa hoc argumentum adnotationem subdit. Verum hic, uti etiam alibi, Palmer paralogismo laborat; siquidem aliud est Scripturarum *in genere* genuinitatem, authenticitatem, ac si placet, inspirationem etiam ostendere, aliud eam ostendere in specie, et præcise singulorum librorum canonicitatem, independentem ab auctoritate Ecclesiæ. Aliud præterea est veritatem, ab Ecclesia assertam jam ac definitam, *scientificè* adstruere, prout theologi postulat munus, ac nos ipsi efficere satagemus; aliud vero solius scientiæ ope, independentem ab Ecclesiæ auctoritate ejusque dogmatica definitione, rem totam conficere, nullum ut dubium supersit. Quantum hæc inter se differant, quisque intelligit; ac nos in hujus assertionis confirmationem libenter provocamus D. Palmer, ut, solis argumentis criticis innixus, nitide nobis absque ulla hæsitacione et cum omnimoda certitudine exhibeat catalogum librorum canonicorum tum Veteris tum Novi Tes-



## CAPUT II.

## DE DIVINA CANONICORUM LIBRORUM INSPIRATIONE.

90. Si recensiti Scripturarum libri sunt ut canonici ab Ecclesia sanciti, hoc ipso iidem ut authentici et integri quoad omnes suas partes sanciti sunt. Non enim alia de causa eos in censum Librorum canonicorum retulit Ecclesia, quam ut iis, qui *in se* authentici erant, quippe Spiritu Sancto afflante conscripti, prout mox ostendemus, suffragium suum adjungeret, quo authentici etiam *quoad nos* efficerentur. Authenticum siquidem illud dicitur, quod auctoritatem habet respectu illorum, quibus usui esse potest (1). Quapropter, dum Libros sacros Ecclesia canonicos esse sanxit, hoc ipso sanxit eos authenticos esse et integros, ita ut nusquam vel minimum vitiati fuerint, in iis saltem quæ ad rei substantiam spectant; alioquin nullam ipsi sibi prorsus Libri canonici auctoritatem conciliare valuissent. Quæ cum ita se habeant, supervacaneum ducimus peculiarem instituere controversiam de authentia, ut vocant, Librorum canonicorum et integritate. Quod enim ad *textus* integritatem attinet sive Veteris sive Novi Testamenti librorum, ejus, qui sacras Litteras ex professo tradit, est eam vindicare, cum agendum illi sit de fontibus, ut vocant, originalibus, eorum vicissitudines inquirendæ, in classes seu familias digerendi, variantes exponendæ lectiones, recensiones quæ identidem a doctis viris in Ecclesia catholica factæ sunt dinumerandæ, aliaque ejusmodi præstanda, quæ textui probe cognoscendo lumen affundere queunt.

91. Nostræ itaque partes sunt, canonicorum Librorum divi

tamenti. Procul dubio ingenii atque industriæ suæ nervos in id frustra contendet.

(1) Cfr. Bonfrerius, in cit. *Præloq.* cap. 3, sect. 3, qui præterea *ibid.* sect. 5, animadvertit, distinctionem intercedere inter *canonicum* et *authen-*

*ticum*. Etenim latius patet *authenticum* quam *canonicum*, cum omne canonicum sit authenticum, sed non e converso, quippe aliquid posset esse authenticum et non canonicum, quod opportunis illustrat exemplis.



nam inspirationem vindicare, prout a Concilio Tridentino cum universa Ecclesia quovis seculo asserta est.

92. Verum in plures hic incidimus easque gravissimas quæstiones, quæ sive naturam inspirationis ejusque extensionem, sive ejusdem veritatem seu existentiam attingunt.

93. Ut autem in re tanti momenti quaslibet obscuritatis umbras, quoad ejus fieri potest, declinemus, prius accurate secernamus oportet, quæ ad doctrinam catholicam spectant, tum ab iis quæ libere in scholis catholicis agitantur, tum etiam a nonnullorum erroneis aut singularibus certe sententiis, quæ præterpropter a sincera Ecclesiæ catholicæ doctrina desciscunt.

94. Doctrina porro catholica est, omnes prorsus sive Veteris sive Novi Testamenti canonicos Libros esse divinitus inspiratos.

95. Ast in quo consistit ejusmodi inspiratio? Quænam requiruntur conditiones ac sufficiunt, ut liber veluti divinitus inspiratus habeatur?

96. Existimant nonnulli, ad divinam seu inspiratam Scripturam constituendam requiri, ut, quidquid in ea continetur, fuerit a scriptoribus hagiographis Deo dictante exaratum, nullo discrimine interposito inter ea, quæ primum illis revelata sunt, et ea quæ ipsi sibi humana industria potuerunt comparare, cujusmodi sunt historica atque moralia. Hi porro non res solum atque sententias, sed et verba singula et commata apicesque contendunt fuisse inspirata. Nonnulli vero in hoc tantopere progressi sunt, ut Scriptores sacros velut passiva prorsus instrumenta autument extitisse in iis conscribendis, quæ ipsis divinitus tradebantur (1). Unde *rigidioris inspirationis* sectatores ac vindices passim audiunt.

97. Alii autem ex adverso, qui *liberalioris inspirationis* sectatores dicuntur, per gradus veluti quosdam ita recedunt ab

(1) Cfr. Bern. Rabaudy, Ord. Præd. *Exercitatio de Scriptura Sacra* (in *Thesaurò Theol. Zachariæ*, tom. 1) sect. 2, sub finem § 3; nec non Bonfrerius, op. cit. cap. 8, a sect. 1 ad 7;

Janssens op. cit. lib. 1, chap. 2, § 3 et 4; Nic. Serarius, in *Prolegomenis biblicis*, Mogunt. 1612, cap. 4, quæst. 21.

illa inspirationis notione, ut eam tandem fere ad nihilum redigant. Etenim plerique ad inspirationem postulant motionem ac *adsistentiam*, quam vocant, Spiritus Sancti quoad res atque sententias, sed assistentiam tamen, ut ita loquar, *positivam*, qua Deus omnia suggerat, et auctoribus hagiographis ita sit præsto, ut eos in rebus scribendis omittendisve, ac in verborum etiam delectu et periodorum nexu, dirigat ac moderetur, quamvis verba singula non dictet (1). Alii præter motionem ac incitamentum ad scribendum solam exposcunt assistentiam, quam *negativam* vocant, in eo nimirum positam, quod Deus sacris ita adstet scriptoribus, ut a quovis vel minimo errore immunes solum efficiantur (2). Hic alii non sistunt; sed ad inspirationem plane sufficere contendunt, si Spiritus Sanctus ita scriptoribus afflet, ut graviores saltem errores ipsi præcaveant (3). Alii demum affirmant, ad Scripturam sanctam efficiendam satis esse, si testetur Spiritus Sanctus, nihil falsi in aliquo libro esse, quamvis liber ille humana plane industria sine ullo Spiritus Sancti afflatu fuerit exaratus (4).

(1) Ita inter ceteros sentiunt Valentia, edit. Lugd. 1603, tom. III, disp. 1, *De fide*, q. 1, puncto 8; Rabaudy, op. cit. sect. 2, § 1, concl. Hanc eandem sententiam acriter tuetur P. Ant. Casini S. J. in *Encyclopædia Sac. Scripturæ*, Venet. 1747, vol. 1, *disput. prævia secunda*; Estius in II ad Timoth. III, 16. Plura Patrum sanctorum effata, quæ ab hujus sententiæ patronis afferantur, videntur ei ad stipulari.

(2) Talis est notio inspirationis, quam præbet Jahn, *Introd. biblica Vet. Test.* Vien. 1814, p. 1, cap. 2, § 19. Neque ab hac sententia abludit Janssens, op. cit. tom. 1, ch. 2, § 4. Eandem propugnauerunt Du Pin, op. cit. *Dissert. prélim.* chap. 2, § 7.

(3) Ita sensere Erasmus, Grotius, et juxta plures etiam Holden doctor Sorbonicus; item auctor Anonymus, cuius sententiam *Epist. XI Batavorum theologorum* fuse recenset, in op. *Quorumdam Theologorum sententiæ*, pag. 230-233; aliique apud Calmet, *Dissert. de libror. Sac. inspiratione*, art. 2, quæ præmittitur epistolis catholicis. Cfr. etiam Graveson, *Tract. de Scriptura Sac.* Romæ 1741, part. 1, § 1; Argentré, *Element. Theolog. de Script. Sac.* cap. 4. Huic etiam ad stipulatur Cellérier, in cit. *Introd.* ut patet ex iis quæ scribit pag. 400.

(4) Hæc est celebris sententia Lessii et Hamelii S. J. quam in postrema ex tribus thesibus, *atro carbone* notatis ab Academ. Lovaniensi et Duacena

98. Quod vero ad Protestantés prope attinet, iidem jam inde ab ortu sui initio usque ad medium ferme seculi XVIII rigidiorém inspirationis notionem fuerant sectati, donec scilicet opera prodierunt Toehlneri anno 1772, *De inspiratione*, et Semleri, *De examine canonis*, annis 1771-1773. Ex hoc vero tempore ita a majorum suorum institutis desciverunt, ut non solum notionem inspirationis extenuarint, sed, magna saltem illorum pars, eam prorsus exterminarint. Nunc vero temporis pauci sunt inter Protestantés, qui divinam vere tueantur inspirationem (1); et, si qui adhuc Libris sacris divinam auctoritatem tribuere videntur, eatenus tantum tribuunt, quatenus libri illi quasdam veritates divinas complectuntur (2). Quare Bahrđt, unus ex ipsis, omnem rejiciens inspirationem, adstruit, scriptores sacros nullo

an. 1587 et 1588, illi propugnarunt. Has enim theses emisérant duo illi scriptores an. 1586 : 1° *Ut aliquid sit Scriptura Sancta, non est necessarium singula ejus verba inspirata esse a Spiritu Sancto.* 2° *Non est necessarium ut singulae veritates et sententiæ sint immediate a Spiritu Sancto ipsi scriptori inspiratæ.* 3° *Liber aliquis (qualis forte est secundus Machabæorum), humana industria sine assistentia Spiritus Sancti scriptus, si Spiritus Sanctus postea testetur nihil ibi esse falsum, efficitur Scriptura Sacra.* Calmet, diss. et loc. cit. scribit, Jesuitas valide sententiam suam tuentes, apologiam edidisse, cui Lovanienses doctores, ab Episcopo jussi, die 17 Augusti 1588 respondentes, suam pro viribus censuram defenderunt. Juxta ipsum Cornelius a Lapide, *In epist. II ad Timoth. III, 16*; Bonfrerius, *Proleg. cap. 8, sect. 1*; Mariana, *Tract. de Vulgata edit.* et Bellarminus, *controv. De Verbo Dei*, eandem sententiam

adoptarunt; Janssens idipsum affirmat, loc. cit., et citatis auctoribus adjecit Canum, Dupinium, Rich. Simonium, Contensonium, Calmetum et moderatorum plerosque. Ast ambo permiscerint istorum auctorum opinionem circa rationem inspirationis quoad solas res et sententias, non autem quoad singula verba (in qua unice conveniunt cum Lessio et Hamelio), cum opinione contenta in thesi tertia, quam allegati auctores minime sectantur, imo et ipsi Lessius et Hamelius jam ab ea expunxerant, quæ intra parentheses incluserant. Quoad secundam thesim, cum sensus ejus sit, non indignisse scriptores sacros nova revelatione circa ea, quorum sibi notitiam humana industria comparare poterant, nil vetat, quominus iidem auctores in eam pariter concesserint, prout reipsa Cornel. a Lapide aliique præstiterunt.

(1) Cfr. Jahn, op. et loc. cit. sub finem § 23.

(2) Ibid.



supernaturali dono auctos fuisse, neque Spiritum Sanctum ad eos ab erroribus præmuniendos sua illis præsentia ac numine adstitisse (1). Subsequentes porro rationalistæ non modo inspirationem omnem abjiciunt, verum etiam irrident, ac eos, qui eam adhuc profitentur, per contemptum *supernaturalistas* vocant. Hi nempe sunt progressus apud illos, qui *purum Dei verbum*, scilicet *Scripturam solam* uti adæquatam credendorum omnium et agendorum normam extollunt.

99. Verum hos, quos apposita propositione mox refellemus, dimittentes, atque ex recensitis catholicorum scriptorum placitis circa rationem, qua Spiritus S. scriptores sacros afflaverit, tum rigidioris tum liberalioris inspirationis instituta pariter declinantes, viam mediam vero similiorem arbitramur. Atque illud in primis profiteamur, rejicere nos laxiores eorum sententias, qui nonnisi *adsistentiam* Spiritus Sancti, quam *negativam* vocavimus, adsciscunt, qua fieret ut immunes tantummodo servarentur ab errore scriptores sacri; hæc enim neque satis adæquatam nobis exhibet inspirationis notionem, et competere etiam posset dogmaticis Conciliorum œcumenicorum definitionibus, quas tamen nemo dixerit inspiratas eo sensu, quo inspiratos Libros sacros nuncupamus. Multo vero magis Holdenii, si tamen id docuit (2), aliorumque commentum respuimus, qui ita Spiritus S. *adsistentiam* coarctant, ut ad graviores tantum errores declinandos idoneos effecerit scriptores sacros; hoc enim semel admissio, sequeretur, Scripturam sacram pluribus posse quamvis levibus scateri erroribus, quod quidem ab Ecclesiæ catholicæ sensu alienum omnino est (3). Sic neque illorum admittimus

(1) In opusc. 1, *De system. ac scopo Jesu*, ep. vii; et alii passim, apud Janssens, op. cit. § 5.

(2) Etenim Nicolai, in *Dissert. proœmiali* 1, edit. Firenze 1756, tom. 1, part. 1, pag. 19, 20, eum ab hac criminatione vindicat.

(3) Hoc passim inculcat S. Augustinus, præsertim *Epist. lxxxii*, ad Hie-

ron. n. 3, ubi scribit: *Ego... solis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam.* Quod et ibidem repetit, n. 22, et in ep. xxviii, ad eund. n. 3: *Admisso semel, inquit, in tantum auctoritatis fastigium officioso*

opinionem, qui ad Librum sacrum constituendum affirmant satis esse, si Spiritus S. postea declaret nullum ibi errorem inveniri; ejusmodi siquidem Spiritus S. testimonium certiores quidem nos faceret, illum librum veracem esse; at non omnis liber, qui verax sit, illico divinus dici potest, ut prætereamus, ab Apostolo ethnicorum testimonia adduci, eaque *vera* ab ipso dici (1), etsi inde inferri non liceat, testimonia illa in se evasisse divina.

100. Quemadmodum vero rejicimus laxiores ejusmodi sententias, sic necessum nobis non est ad inspirationem vindicandam rigidiori illorum opinioni subscribere, qui eam extendunt ad singula omnino verba; plura enim sunt quæ nos impediunt, quominus in istorum eamus sententiam. Ac 1<sup>o</sup> quidem consueta divinæ Providentiæ ratio, quæ quoniam non deest in necessariis, sic neque abundat in superfluis; superfluum porro videtur novam suggerere verborum inventionem, quæ naturali scriptoris facultati innotescant; 2<sup>o</sup> styli varietas, quæ in diversis scriptoribus hagiographis pro diverso uniuscujusque cultu, ingenio atque indole elucet; incongruum quippe videtur affirmare, Deum accommodasse verba vario singulorum scriptorum ingenio; 3<sup>o</sup> diversa ratio, qua scriptores sacri rem eandem referunt; certum namque est, Christum ex. gr. non nisi una eademque formula consecrationis seu institutionis Eucharisticæ verba protulisse; si quis tamen conferat Matth. XXVI, 28, Marc. XIV, 24, Luc. XXII, 20, I Cor. XI, 25, comperiet, diversis eam verbis referri, ut alia pene innumera ejusmodi exempla prætermittamus; 4<sup>o</sup> major minorve difficultas, quam in opere suo concinnando expertos se esse hagiographi scriptores ipsi professi sunt, uti auctor II Machabæorum libri, qui cum aggressus esset quinque Jasonis Cyrenæici libros compendifacere, de se scribit: *Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem*

*aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula remanebit, quæ non... ad mentientis auctoris consilium officiumque referatur. Cfr. etiam De consensu Evang. lib. 11, cap. 12; vid.*

Melch. Canum, *De locis*, cap. 12; nec non Graveson, in cit. tract. *De Script. Sacr.* p. 1, § 3, assertio 2.

(1) Ad Tit. 1, 13.



laborem, immo vero negotium plenum vigiliarum et sudoris assumpsimus (1). Quinam autem fuerit ejusmodi labor et negotium adeo difficile, ipsemet declarat, adjiciens: *Sicut enim novæ domus architecto de universa structura curandum est; ei vero, qui pingere curat, quæ apta sunt ad ornatum, exquirenda sunt: ita æstimandum est et in nobis. Etenim intellectum colligere, et ordinare sermonem, et curiosius partes singulas quasque disquirere, historicæ congruit auctori; brevitatem vero dictionis sectari, et executiones rerum vitare, brevianti concedendum est (2).*

101. Ex quibus postremis verbis intelligimus, non solum vocabula, verum etiam hagiographis scriptoribus a Spiritu Sancto relictum esse negotium conquirendi, quæ ad susceptum inspiratumque a Deo institutum pertinerent, quoties aggressi sunt mandare litteris historias, morales sententias, et quidquid eorum animo obversabatur, vel naturali poterat facultate obversari (3).

(1) Cap. II, 27.

(2) Ibid. 30-32.

(3) Cfr. de hoc argumento, *Bible de Vence*, cinquième édit. Paris 1827, tom. I, *Discours prélimin.*, seconde partie, pag. 55 et suiv. Nicolai, *Dissert.* cit. pag. 18 et seqq. Dupin, op. cit. *Diss. prélim.*, lib. I, chap. 2, § 6; Rich. Simon, *Hist. critique du Nouveau Testament*, chap. 23 et 24, ubi sententiam Lessii et Hamelii, quæ illuc refertur, mordicus adversus censuras duarum academiæ Lovaniensis et Duacensis tuetur. Non tamen sine delecta et cautela liberior hic scriptor legi debet. Cfr. item Calmet, *diss. De libr. sac. inspirat.* art. 2; Janssens, op. cit. Hi autem aliique ejusdem latioris inspirationis sectatores, quæ contraria sibi videntur, Patrum testimonia commode exponunt, et alia iisdem op-

ponunt, in quibus Patres contrarium videntur docere. Nobis satis erit hic unum vel alterum afferre speciminis gratia pro hac sententia. S. Augustinus *De consensu Evang.* lib. II, cap. 12, n. 27, de sanctis Evangelistis hæc expresse scribit: *Ut enim quisque meminerat, et ut cuique cordi erat, vel brevius vel prolixius, eandem tamen explicare sententiam, ita eos explicasse manifestum est.* Sed præstat ipsum hic adire; fusius enim rem hanc pertrahat, n. 28 et 29; et iterum cap. 66: *Quod nosse, scribit, et moribus utile est, propter cavenda et judicanda mendacia; et ipsi fidei, ne putemus, quasi consecratis sonis, ita muniri veritatem, tanquam Deus nobis, quemadmodum ipsam rem, sic verba, quæ propter illam sunt dicenda, commendet.* S. Hieronymus, *Epist.* LVII, ad



His alii addunt, si inspiratio non ad res dumtaxat ac sententias, sed ad verba ipsa singula extenderetur, nos, qui versionibus utimur, Scriptura sacra aut omnino, aut saltem magna ex parte carere; quod asserere absonum est (1).

102. Quapropter viam mediam, ut præmonuimus, ineuntes, illam inspirationis notionem amplectimur, quam tenuit Cl. Marchini, ita ut dicenda sit: *Singularis ea Spiritus Sancti moventis ad scribendum impulsio, directio ac præsentia, mentem animumque scriptoris gubernans, quæ eum non sinit errare, efficitque ut scribat, quæ velit Deus* (2). Ex qua notione patet, illa omnia in inspiratione divina reperiri, quæ ad eam constituendam requiruntur ac sufficiunt ex communi theologorum doctrina; nempe 1<sup>o</sup> *excitationem* seu *impulsionem* ad scribendum; 2<sup>o</sup> *illustrationem* mentis ac *motionem* voluntatis, ut non solum nullus sacro scriptori excidat error, sed 3<sup>o</sup> præterea inveniatur in eo *delectus rerum* scribendarum, sic ut nihil omittat, nihil adjiciat ad ea, quæ Deus scribi ab ipso voluerit; 4<sup>o</sup> *adsistentiam* jugem ac singularem in opere perficiendo.

103. Ex his præterea discimus, aliud esse *inspirationem* divinam, aliud autem *revelationem*. Inspiratio enim latius patet quam revelatio, quæ scilicet est patefactio rei antea non perceptæ nec animo infixæ; cujusmodi sunt vaticinia, mysteria, positiva divinæ voluntatis manifestatio. Quare revelatio habet pro objecto rei prius ignotæ patefactionem; inspiratio vero præterea habet pro objecto suo res etiam aliunde cognitæ, seu quæ saltem cognosci naturali possunt industria. In revelatione non solum res patefiunt, sed verba interdum ipsa, quibus manifestatio illa enunciatur vel litteris consignatur, a Deo ipso dictantur; non item vero in iis, quæ per solam inspirationem con-

*Pammach.* n. 6, edit. Vallars: *Alii, inquit, syllabas aucupentur et literas, tu quære sententias; et n. 10: Obtretractores mei quærant et intelligant, non verba in Scripturis consideranda, sed sensum.* Tota hæc epistola de hoc argumento est.

(1) His argumentis nonnulli aliud adjiciunt, deductum ex solæcismis, quibus juxta ipsos identidem sacræ Litteræ inspersæ sunt; cfr. Herm. Goldhagen, *Introd. in Script. Sac.* p. 1.

(2) Op. cit. *De divinit. et canonic. sac. Bibliorum*, part. 1, art. 5, pag. 70.

scribuntur (1). Animadvertendum tamen est, communi loquendi usu receptum esse, ut revelationis nomine universe significetur quidquid in sacris Litteris continetur, aut etiam quod, Spiritu S. dictante, viva voce per traditionem transmissum est (2).

104. His ita explanatis, superest ut tandem deveniamus ad vindicandam Ecclesiæ catholicæ doctrinam, prout a Concilio Tridentino, sess. IV, in decreto de canonicis Scripturis declarata est, cum asseruit, utriusque Testamenti *unum Deum esse auctorem* (3), et anathema illis dixit, qui libros utriusque Fœderis antea enumeratos pro *sacris* non haberent. Quod quidem binis propositionibus conficiemus, quarum altera veritatem adstruemus doctrinæ catholicæ circa divinam horum Librorum inspirationem, altera vero ostendemus, non posse Protestantes, abjecta

(1) Janssens, op. cit. visus est utramque *inspirationis et revelationis* notionem permiscuisse in definitione, quam sub finem § 3 exhibet de inspiratione.

(2) Juxta communem hunc receptumque vulgo loquendi usum nomen inspirationis usurpavit Cornelius a Lapide, dum in *Comm. II epist. ad Timoth.* III, 16, scripsit: *Historias vero et morales exhortationes, quas antea vel visu, vel auditu, vel lectione, vel meditatione didicerant ipsi scriptores hagiographi, non fuit necesse inspirari aut dictari a Spiritu S., utpote cum eas jam scirent et callerent ipsi scriptores.* Patet enim, vocem *inspirari* pro *revelari* aut *dictari* eum adhibuisse, ut patet etiam clarius ex tota orationis serie, in qua declarat, Spiritum S. scriptoribus sacris adstitisse: 1° ne errarent; 2° ut eis suggereret, ut hæc potius quam illa scriberent; 3° ut ordinaret omnes eorum conceptus, digereret et dirigeret. Nullo igitur funda-

mento innixi non pauci scriptores, qui sese invicem exscripserunt, Cornelium inter illos auctores recensent, qui inficiantur inspirationem in historicis et moralibus adfuisse hagiographis. Multo minus debuisset Graveson, in cit. *Tract. de Scriptura sacra*, § 3, pag. 58 et seq. eum impugnare, ac permiscere sententiam Cornelii a Lap. cum tribus thesibus confixis a Lovaniensibus et Duacensis, de quibus superius diximus, eique opponere *doctissimum Anton. Arnaldum doctorem Sorbonicum*; hoc enim vere est hostes sibi confingere et aërem verberare. Longius progressus est Contensonius, qui nonnisi inspirationem *negativam* in recensitis concessit scriptoribus hagiographis, dum apud Calmet loc. cit. scripsit: *In omnibus igitur habuerunt non revelationem, sed adsistentiam et auxilium, ne laborerent.*

(3) Sess. IV.

Ecclesiæ auctoritate, certos esse de singulorum Librorum sacræ Scripturæ divinitate seu divina inspiratione. Sit igitur

### PROPOSITIO I.

*Jure merito Concilium Tridentinum docet, unum Deum esse Librorum canonicorum utriusque Testamenti auctorem, seu eos esse Libros sacros, utpote Spiritu S. afflante, saltem quoad res et sententias, conscriptos.*

105. Prout ex thesis enunciatione liquet, juxta Ecclesiæ doctrinam attingimus solam divinæ inspirationis Librorum canonicorum existentiam, quæ sese extendat *saltem* ad res atque sententias in iis contentas, quaque fiat, ut ipsi non modo immunes sint a quavis vel levi erroris labe, juxta traditam inspirationis notionem, sed præterea ut Deus unus fuerit auctor scriptoribus sacris, ut sese ad scribendum conferrent, iisque in omnibus adstiterit *adsistentia positiva*; quamobrem solus Deus stricto sensu censi et haberi debeat illorum auctor librorum. Diximus porro *saltem quoad res et sententias*, quia, cum noluerit Ecclesia definire seu dirimere quæstionem inter scholasticos agitatam, utrum præterea Deus verba ipsa dictaverit, nexumque verborum et periodorum, ideo, ne controversiam domesticam cum Ecclesiæ doctrina temere permisceremus, coartavimus propositionis sensum ad rei substantiam, sine qua vera inspiratio divina neque est, neque intelligi quidem potest.

106. Jamvero jure meritoque Tridentinum docere in sensu exposito, unum Deum esse Librorum canonicorum utriusque Fœderis auctorem, ita ut omnes et singuli libri in canone contenti tanquam sacri ac divini haberi debeant, seu divinitus inspirati, constat eadem via ac ratione, qua eos canonicos esse ostendimus, videlicet auctoritate Ecclesiæ, quæ ita semper credidit ac docuit, prout a Christo et ab Apostolis didicit, posterisque omnibus constanti traditione transmisit, atque ita filios suos vivens mater ac falli nescia veritatis magistra informavit.



107. Sane, quibus ex fontibus evicimus, sacræ Scripturæ canonem a Tridentino sancitum, firmissimum habere in antiquitate fundamentum, ex iisdem liquet, divinam iisdem libris auctoritatem et originem nunquam non fuisse tributam. Nam 1º eadem fere verba, quibus usa est Tridentina Synodus, adhibuit Eugenius IV, dum canonem Scripturarum ex fide et auctoritate *Ecclesiæ universalis* proposuit Jacobinis, dicens: *Unum atque eundem Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est, Legis et Prophetarum atque Evangelii profitetur auctorem, quoniam, eodem Spiritu Sancto inspirante, utriusque Testamenti Sancti locuti sunt* (1). Deinde subjicit eorumdem librorum canonem. Quam quidem loquendi rationem mutuatus est Eugenius ex pontificali Romano, ubi in consecratione Episcopi ab inaugurando Pontifex sciscitatur: *Credis etiã Novi et Veteris Testamenti, Legis et Prophetarum et Apostolorum, unum esse auctorem Deum ac Dominum omnipotentem? Resp. Credo* (2). S. Augustinus, quarum Scripturarum canonem texuit, vocat *divinas*, ita ut perinde sit vocare Scripturas *divinas* atque *canonicas* (3). Quo autem sensu *divinas* dixerit *canonicas* Scripturas, alibi declarat, scribens: *Denique auctores nostri, in quibus non frustra sacrarum Litterarum figitur et terminatur canon, absit ut inter se aliqua ratione dissentiant. Unde non immerito, cum illa scriberent, eis Deum vel per eos locutum... tot tantique populi crediderunt* (4), id est, omnes Christiani ita ab Ecclesia edocti. Concilium item Carthaginense III *divinas* pariter Scripturas *canonicas* nuncupavit, dicens: *Item placuit, ut præter Scripturas canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine divinarum Scripturarum. Sunt autem canonicæ Scripturæ, etc.*

(1) Apud Harduin. *Acta Conc.* tom. ix, in decreto cit. pro Jacob. col. 1023.

(2) Apud Blanchinium, *Vindiciæ canonic. Scriptur. Præfat. Gener.* pag. 2. Cfr. etiam B. Card. Thomasius, opp. edit. Ant. Franc. Vezzosi, Romæ 1747, tom. II, pag. 9. Hæc a con-

secrando Episcopo emittebatur fidei professio adversus Manichæorum hæresim, qui negabant Deum auctorem esse Vet. Testamenti.

(3) *De Doctrin. Christ.* lib. II, cap. 8, n. 12.

(4) *De Civ. Dei*, lib. xviii, c. 41, n. 1.

Adjicit nempe horum librorum canonem, quem ibidem profite-  
tur se a Patribus accepisse (1). Clemens vero Romanus, a quo,  
ut diximus, omnes ferme utriusque Fœderis libri canonici addu-  
cuntur, universim sacras Scripturas vocat *Spiritus Sancti ora-  
cula* (2). Ex his evidenter patet, eadem Ecclesiæ auctoritate,  
quæ nobis constat de Scripturarum canone, de ipsarum pariter  
divinitate atque inspiratione constare.

108. Exinde factum est, ut certatim Patres juxta fidem in  
Ecclesia receptam docuerint, *Spiritum Sanctum esse, qui loqui-  
tur in Scripturis*, ut Origenes (3); *Scripturam, Spiritu Sancto  
conscriptam, ingentem in se continere thesaurum*, ut Chrysos-  
tomus (4); linguas et manus scriptorum sacrorum nihil aliud esse  
quam *Spiritus Sancti calamos*, ut Theodoretus (5), et S. Gre-  
gorius M. (6); item ut Scripturam sacram vocaverint *Epistolam  
omnipotentis Dei ad creaturam suam*, ut S. Augustinus (7) et  
rursum S. Gregorius M. (8). S. Augustinus præterea adjicit, in  
Scripturis *divinis*, quæ *canonicæ* vocantur, vel levissimum men-  
dacium sine crimine admitti non posse, ac solis canonicis Scrip-  
turis eum esse honorem deferendum, nullum ut earum aucto-  
rem scribendo aliquid errasse firmissime credamus (9). Cum  
S. Isidorus Hispalensis canonem integrum sacrorum Librorum,  
prout Ecclesia Romana semper obtinuit, exhibuisset, his verbis  
catalogum suum absolvit: *Hæc sunt nova et vetera, quæ de  
thesauro Domini proferuntur... Hæ Literæ sacræ, hi libri  
integri numero et auctoritate; aliud cum istis nihil est com-*

(1) Apud Hard. op. cit. tom. I, col. 968.

(2) Sic enim scribit, *Epist. I ad Cor.* cap. 45: *Ἐνύπτετε εἰς τὰς γραφάς, τὰς ἀληθεῖς ῥήσεις Πνεύματος τοῦ ἁγίου*, seu *Diligenter inspicite Scripturas, Spiritus Sancti vera oracula.* Apud Cotel. tom. I, pag. 172.

(3) *Hom. xxvi in Num.* n. 3, edit. Maur. opp. tom. II, pag. 371.

(4) *Hom. III in Genes.* n. 1, et alibi passim.

(5) *Præf. in Psalm.* edit. Paris. 1642, opp. tom. II, pag. 395 et seq.

(6) *Præf. in Job.*, cap. I, n. 2.

(7) *Serm. II, in Ps. xc*, n. 1, et *Enarr. in Ps. cxliix*, n. 5.

(8) *Lib. IV, indict. XII, epist. xxxi, ad Theodor. medicum.*

(9) *Epist. cit. xxviii*, et *lxxxii, ad Hieronymum.*



*parandum. Quidquid extra hos fuerit, inter hæc sancta et divina nullatenus est recipiendum* (1). Cassiodorus itidem cum sacrarum Scripturarum præstituisset canonem, qualem Romana asserebat Ecclesia, scribit : *Has siquidem litteras non ratio humana reperit, sed hominibus sanctis virtus cælestis infudit* (2). Et hæc attulisse sufficiat, cum Patrum opera plane referta sint ejusmodi effatis, quibus divina inspiratio aut generatim aut in specie libris, quibus coalescit canon Tridentinus, asseritur (3).

109. Quum vero nobis propositum fuerit omnium et singulorum librorum, qui in canone Concilii Tridentini continentur, divinam inspirationem vindicare ex antiquæ Ecclesiæ auctoritate, idcirco ab iis argumentis proferendis consulto abstinuimus, quæ *intrinseca* audiunt. Quanquam enim, ut par est, hæc magni faciamus, ea tamen minus idonea nobis ad propositum, quod intendimus, visa sunt. Argumenta siquidem hæc, sive ab intima rei natura sive a Scripturarum ipsarum testimoniis petita, evincunt quidem in genere, aut in Libris sacris veritates a Deo revelatas contineri, aut *Spiritu Sancto inspirante locutos esse sanctos Dei homines*, ut ait S. Petrus (4), aut *omnem Scripturam divinitus inspiratam* esse, ut loquitur S. Paulus (5), aliaque ejusmodi, quæ aperte produnt Scripturas Deo auctore esse exaratas; verum, præterquam quod hæc aliaque his similia testimonia ad solas referuntur Vet. Test. Scripturas, nusquam declaratur, quinam singillatim ii demum libri sint, qui inspirati censi debeant. Nostri porro instituti est ostendere, omnes ac singulos utriusque fœderis libros, qui in canone ab Ecclesia catholica recepto inveniuntur, Spiritu S. afflante fuisse conscriptos, sive iis omnibus et singulis libris divinam ejusmodi inspi-

(1) In libros Vet. et Nov. Test. *proæm.* n. 14, 15, 16, cfr. edit. Arevali, tom. v, pag. 194. Cfr. item *Ety-mologiar.* lib. vi, n. 9, ibid. tom. iii, pag. 241.

(2) *De institut. divin. litter.* cap. 13 et 14, collat. cap. 26, opp. edit. Maur. tom. ii, pag. 546 et seqq.

(3) Qui plura ejusmodi Patrum testimonia cupit, adeat inter alios Marchini, op. cit. part. i, art. 5, pag. 72 et seqq. Casini, *Encyclopædia Sac. Script.* vol. i, disput. prævia 2.

(4) Epist. ii, cap. 1, 21.

(5) II Tim. iii, 16.



rationem competere; de quo quidem nonnisi ex unica Ecclesiæ auctoritate constare nobis potest, uti plenius paulo post ostendemus in insequenti, qua Protestantes impetimus, propositione (1). Interim ex allatis documentis patet, assurgendo a Tridentino decreto ad ætatem usque apostolicam, iisdem plane fontibus, quibus adstruitur identitas canonis sacrorum Librorum, qui quovis tempore viguit in Romana Ecclesia, ac pluribus abhinc seculis in Ecclesia obtinet universa, adstrui item ac vindicari divinitatem omnium et singulorum librorum, qui in eodem continentur, id quod nobis demonstrandum assumpsimus.

#### DIFFICULTATES.

110. Obj. prima. 1<sup>o</sup> Nulla est Religio, quæ suos non jactet libros sacros; habuerunt enim Romani libros Sibyllinos, Zendavesta Persæ, Indi libros Vedæ, Islamitæ Alcoranum se possidere gloriantur. Jam vero hos omnes libros Deum auctorem habere societates singulæ, perinde ac Ecclesia catholica, auctoritate seu testimonio suo adstruunt; nec tamen dici propterea debet, eos reipsa sacros esse ac divina inspiratione conscriptos. 2<sup>o</sup> Argumentis proinde intrinsicis innotescere nobis debet ejusmodi librorum inspiratio, prout hactenus a theologis ipsis catholicis præstitum est; alioquin 3<sup>o</sup> et illud oriretur ex nova hac methodo vitium, quod petitio principii sive, ut vulgo dicitur, circulus vitiosus omnino committeretur, dum nempe existentia et infallibilis Ecclesiæ auctoritas per Scripturas probaretur, et

(1) Quare Rob. Barclæjus, in op. *Theologiæ vere christianæ*, edit. sec. Lond. 1729, ita pag. 67, perstringebat protestantes evangelicos, *Exempli gratia, quomodo potest protestans alicui neganti Jacobi epistolam esse canonicam (adeoque inspiratam) per Scripturam probare? Ad hanc igitur angustiam necessario res deducta est, vel affirmare, quod novimus eam esse*

*authenticam eodem Spiritus testimonio in cordibus nostris (juxta systema Quakerorum) quo scripta erat; vel Romam reverti, dicendo, traditione novimus, Ecclesiam eam in canonem retulisse, et Ecclesiam infallibilem esse; medium, si quis possit, inveniat. Cfr. Moehler, Symbolique, tom. II, § 66 circa finem.*

divinitas Scripturarum per Ecclesiam (1); 4<sup>o</sup> præsertim cum noverimus, ab antiquis Patribus recensitos esse inter canonicos, proindeque inter divinitus inspiratos, nonnullos libros, qui ex canonis albo posthac expuncti sunt. Ergo.

111. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Dist.* Quarum tamen religionum nulla est, quæ illis fulciatur credibilitatis motivis, quibus unica firmatur vera Religio, seu Ecclesia catholica, *conc.*; quæ iisdem fulciatur motivis, *neg.* Cum igitur pro sola catholica Religione militent ea, quæ dicuntur credibilitatis motiva, uti suo loco ostendimus, quæ divinam hujus originem et auctoritatem evidenter patefaciunt, nulla ratio est cur illarum societatum testimonio assentiamur, dum sacros dictitant libros suos atque divinos. Divina porro Ecclesiæ catholicæ origine atque auctoritate semel constituta, consequens est, ut fidem illi adhibeamus, dum testatur nobis, qui sint libri canonici, adeoque divini, cum ipsa sola custos ac depositaria divinæ revelationis a Deo ejus conditore constituta fuerit.

112. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* In genere, *trans.*; in specie, omnium et singulorum librorum, qui in canone continentur, *neg.* Theologi enim catholici, dum adstruunt divinam sacrorum Bibliorum inspirationem ex argumentis intrinsicis, id generatim tantum efficiunt. Quum vero de libris singillatim agunt, nemo ex illis est, qui non confugiat præterea ad traditionem auctoritatemque Ecclesiæ, ex qua id unice confici potest (2). Quapropter, cum nobis pro-

(1) Hanc petitionem principii catholicis theologis, qui methodo a nobis vindicata uterentur, objicit etiam Georgius Hermesius, *Einleitung in die Christ. cath. Theol.* seu *Introductio in Theologiam Christ. catholicam*, Monast. 1829, part. II, pag. 17.

(2) Sane hoc est unum ex argumentis, quibus Theologi catholici utuntur ad adstruendam canonicitatem et divinitatem omnium sac. Librorum, qui in canone continentur, et ex quo etiam

inferunt necessitatem alicujus auctoritatis infallibilis, quæ nos certos reddat certitudine fidei de hoc præcipuo articulo, qui debet constituere regulam remotam et partialem fidei nostræ. Hæc autem non aliâ est nisi Ecclesiæ catholicæ auctoritas. Hinc vidimus, S. Augustinum solius Ecclesiæ auctoritati inniti ad credendum Evangelio, seu sacris Scripturis. Vidimus præterea, Patres passim, solius Ecclesiæ auctoritate permotos, admittere uti sacros et canoni-

posuerimus omnium et singulorum, quos nobis exhibet decretum Tridentinum, librorum divinam evincere inspirationem, aliud fuit iter nobis necessario ineundum.

113. Ad 3<sup>m</sup>, *Neg.* Etenim, cum Ecclesia, ut ostendimus, anterior sit et præscribat libris omnibus Novi Test. quî potuit divina ejus auctoritas et origo primis Christi fidelibus demonstrari testimoniis exinde petitis? Ergo aliunde iis id innotescere debuit, ex motivis scilicet credibilitatis, quibus veritas ipsa asseritur christianæ Religionis, cum qua illa identificatur. In tuto vero ex illis credendi motivis Ecclesiæ catholicæ veritate ac divina auctoritate prius collocata, ex ejusdem auctoritate deindeprehendimus, quinam libri sive Vet. Test., quos ipsa ex Christo didicit, sive Novi Test., quos ipsa probavit, uti canonici ac divini habendi sint. In hoc autem processu, ut liquet, nulla petitio principii, aut circulus vitiosus locum habere potest.

114. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Si canonica ac propterea divina librorum sacrorum auctoritas ex uno aut altero Patre aut scriptore desumenda esset, *conc.*; si ab Ecclesia, *neg.* Hæc porro difficultas thesim nostram mirifice confirmat.

115. Obj. secunda. 1<sup>o</sup> Divina Bibliorum auctoritas, si germanas catholicas notiones spectes, a Christo, qui præcedit Ecclesiam, repeti debet, minime autem ab Ecclesia, a qua *recta tantummodo Bibliorum intelligentia seu depositum fidei*, quod in illis continetur, derivari potest. 2<sup>o</sup> Exploratum siquidem est ex doctrina SS. Augustini et Thomæ, aliorumque plurimorum sane atque insignium theologorum catholicorum, imo et totius, qua late patet, campi historici christianismi et catholicismi, Biblia, utpote verbum Dei, fundamentum esse, quo Ecclesiæ ipsius auctoritas demonstretur. 3<sup>o</sup> Sane in historia prius occurrit *Christus*

cos etiam libros illos, qui in canone primitivo non continebantur. Neque ab hac regula desciverunt sani catholici theologi, qui ideo adserunt prioritatem seu *anterioritatem* Ecclesiæ Scripturis Nov. Test. quia illius tantum est judicare de canonicis Scripturis; uti Mel-

chior Canus, *De locis*, lib. II, capp. 6, 7, 8. Sic etiam Bellarminus, qui, ut alias vidimus, statuit, Ecclesiam magis notam esse quoad nos, quam sint Scripturæ, quas ab ipsa et per ipsam cognoscere possumus. Sic Gard. Hosius, Walemburgici, aliique passim.



ejusque doctrina, et in hac ipsa doctrina *promissio* Ecclesiæ deinceps ædificandæ. Quapropter fides in Christum et in auctoritatem doctrinæ ejus, quæ in Bibliis continetur, cum inclusione fidei in Ecclesiam a Christo promissam, jam præcedit fidem in realem hujus ipsius Ecclesiæ foundationem; ac propterea fidem in ecclesiasticam auctoritatem infallibilem *apostolici magisterii*, quod ex divina illa veluti inauguratione, quæ die Pentecostes contigit, suum cœpit exordium. 4<sup>o</sup> Qui proinde contendit, ab Ecclesia omnino arcessendam esse auctoritatem Bibliorum, quatenus Dei verbum a Christo enunciatum complectuntur, næ iste prius ponere Ecclesiam debet, deinde vero Christum; prius fidem in Ecclesiam, quam fidem in Christum divinamque ejus doctrinam; atque ita historicæ veritatis campo adversa fronte refragari, quippe qui contrarium prorsus ordinem exposcit. Quid! quod ipsum deberet ordinem sus deque vertere, quem Symbolum apostolicum præ se fert, a quo nempe prius adducimur ad fidem in Deum creatorem cœli et terræ, deinde verò in Jesum Christum filium ejus unigenitum, ac demum ad professionem fidei in Spiritum S. catholicamque Ecclesiam. At enim in novo hoc systemate en quomodo symbolum Apostolicum efferri opus erit: *Credo Ecclesiam catholicam, et in Jesum Christum unigenitum filium ejus et in Deum Patrem J. C. creatorem cœli et terræ* (1). Quis talia ferat? Ergo.

116. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Dist.* Auctoritas divina *in se* seu *intrinseca*, *conc.*; *quoad nos*, *in ordine nimirum cognitionis*, sive *extrinseca*, *neg.* Nemo certe unquam negaverit, divinam Bibliorum auctoritatem intrinsecam, scilicet in se spectatam, a Deo seu Christo, qui illam dictavit, unice repetendam esse; sed

(1) Hæ sunt difficultates, quas urget Dr. J. B. Baltzer, facult. theol. professor in univers. Vratislav. in scripto suo: *Beiträge zur Vermittlung*, etc., seu, *Documenta ad rectum judicium conformandum de catholicismo et protestantismo*. Vratislavice 1839, fas-

cic. I (quem nuper alter excepit), § 9, pag. 26 et seqq. De hoc porro auctore, qui antea hermesianæ scholæ placitis nimis addictus, nunc ad æquiores animi sensus accessisse videtur, fusius in tertia hujus operis parte pertractandum nobis erit.

quæstio hic versatur de ordine cognitionis quoad nos, utrum nempe per Ecclesiam noverimus divinam auctoritatem Bibliorum, an vero per Biblia cognoverimus Ecclesiam. Jam vero ullo absque dubio prius nobis innotuit Ecclesia, a qua Biblia ipsa accepimus, quæque nobis annunciavit Christum, quam Christus ipse et Biblia. Christus Apostolus misit ad se doctrinamque suam prædicandam; prius igitur nobis comperta Ecclesia fuit, quam Christus doctrinaque ejus, quæ objectum apostolicæ Ecclesiæ sive prædicationis extiterunt. Hac de causa Christus discipulos suos miraculorum ceterorumque charismatum donis instruxit, ad fidem sibi tanquam Dei nunciis apud populos conciliandam, ut pronas isti aures doctrinæ, quæ ipsis prædicabatur, accommodarent. Absurdum porro est affirmare, divinam Bibliorum Novi Test. auctoritatem, in ordine *cognitionis nostræ*, a Christo esse derivandam, cum nondum illa, Christo in terris versante, existerent. Æque vero improbandum, quod de recta Scripturarum intelligentia adjicitur, perinde ac si ipsa sola constitueret *depositum fidei*, quod nimirum tum Biblia, tum traditionem, tum rectam utriusque intelligentiam complectatur necesse est.

117. Ad 2<sup>m</sup>, *Neg. vel dist.* Tanquam regulam fidei remotam, ut vocant, *conc.*; tanquam regulam proximam, seu in ordine cognitionis quoad nos, *neg.* Quo posteriori sensu neque S. Augustinus neque S. Thomas aut alius plane theologus catholicus, multo vero minus *campus ille historicus* (ad quem adversarii appellant) christianismi et catholicismi, aliquando inficiatus est, per Ecclesiam nos Christum ejusque doctrinam, ac proinde Biblia cognovisse uti auctoritatem divinam. Itaque ex Catholicorum sensu nos *immediate* Ecclesiam, *mediate* vero per Biblia, quæ nempe divina esse per Ecclesiam et sub Ecclesiæ magisterioprehendimus, penitius cognovimus Christum doctrinamque ejus, uti suo loco ostendimus (1); atque in Bibliis ipsis promissionem legimus Ecclesiæ ædificandæ cum omnibus iis dotibus, quibus Christus eam instructam voluit atque insignitam (2). Nisi enim

(1) In prima hujus tractatus parte, cap. I, prop. II, tom. VIII, pag. 15.

(2) Cfr. *ibid.*

prius ab Ecclesia certiores facti essemus de divina Bibliorum auctoritate, nullum jam haberent valorem promissiones ipsæ in illis contentæ, id quod ex *Biblicis* societatibus nuncupatis clare liquet, quæ, quoniam sine auctoritate ac sine missione apud infideles Biblia diffundunt, nullam plane fidem inveniunt (1).

118. Ad 3<sup>m</sup>, *Dist.* In ordine essendi seu existentia, *conc.*; in ordine cognoscendi, *neg.* Eadem siquidem semper oberrat chorda adversariorum argumentandi ratio, dum hæc duo permiscant. Certe Deus prior est in existendo quam nos et mundus; attamen num nos prius non cognoscimus nosmetipsos et mundum quam Deum? Id profecto adversarii, quibuscum agimus, acerrime contendunt et propugnant, et quidem, ut nos ipsi profitemur, merito; quandoquidem ex effectu, cujusmodi creaturæ sunt, ad causam, nempe Creatorem omnium cognoscendum assurgimus. Retineant ergo adversarii necessariam, quam ipsa philosophia tradit, distinctionem inter ordinem *ontologicum* ac ordinem *psychologicum*, et tunc in eo, quod nos contendimus, nil deprehendent, quod cum veritate, sive logica sive historica, optime non cohæreat.

119. Ad 4<sup>m</sup>, *Neg.*, ex dictis, ejusmodi sequelas. Symbolum enim apostolicum ordinem geneticum et historicum exhibet, minime vero ordinem cognitionis, de quo loquimur (2). Ceterum nos et

(1) Hac de causa infideles, quibus biblici Scripturarum sacrarum exemplaria dispensant, imo obtrudunt, ea despiciunt, irridunt, commercium de eis faciunt, communibus usibus, profanis, imo turpibus et obscænis ea impendant. Cfr. quæ scripsimus in tract. *De vera relig.* part. II, prop. x, t. I, p. 316.

(2) Hanc ipsam difficultatem, quam urget Baltzer, jam proposuerat iisdem pene verbis minister Claudius calvinianus Bossuetio. En Claudii objectionem, et responsionem Bossuetii: *M. Claude nous dit que pour autoriser la méthode,*

*par laquelle nous ( catholiques ) prétendons mettre la foi de l'Église comme le fondement de tout le reste, il faudrait dans le Symbole mettre la foi de l'Église comme le fondement de tout le reste ; il faudrait dans le Symbole avoir commencé par dire : Je crois l'Église, au lieu qu'on y commence par dire : Je crois en Dieu le Père, et en Jésus-Christ, et au Saint-Esprit. Et il ne songe pas que c'est l'Église elle-même qui nous apprend tout le Symbole ; c'est sur sa parole que nous disons : Je crois en Dieu et*



Symbolum apostolicum Ecclesiæ acceptum referimus; quis enim nisi Ecclesia nos hoc Symbolum docuit? Ergo Ecclesia quoad nos nostrarumque ordinem cognitionum semper anterior habenda erit et est.

120. Obj. tertia. 1<sup>o</sup> Divinæ inspirationis notio repugnat ideæ Dei spiritus perfectissimi (1); hominisque libertati ejusque dignitati intellectuali derogat. 2<sup>o</sup> *Argumenta præterea, quibus subtilior illa inspirationis doctrina ecclesiastica impugnata et pene explosa est, 3<sup>o</sup> deprompta sunt primum ex universæ Scripturæ sacræ indole; quæ partim magnam orationis (2), interpretationis singulorum Vet. Test. locorum (3), fontium (4), chronologicæ (5), et ipsius doctrinæ argumenti diversitatem (6) exhibet; partim*

*Père, et en Jésus-Christ son fils unique, et le reste; ce que nous ne pouvons dire avec une ferme foi, sans que Dieu nous mette en même temps dans le cœur que l'Eglise, qui nous l'enseigne, ne nous trompe pas. Après donc que nous avons dit sur sa parole: Je crois au Père, et au Fils, et au Saint-Esprit, et que nous avons commencé notre profession de foi par les Personnes divines que leur Majesté met au-dessus de tout, nous y ajoutons une sainte réflexion sur l'Eglise qui nous propose cette créance, et nous disons: Je crois l'Eglise catholique. A quoi nous joignons aussitôt, après toutes les grâces que nous recevons par son ministère: la communion des Saints, la rémission des péchés, la bienheureuse résurrection, et enfin la vie éternelle. Ita quidem Bossuet, in op. Réflexions sur un écrit de M. Claude, opp. edit. cit. tom. xxiii, pag. 363, qui deinde, pag. 365, propius adhuc attingens quæstionem nostram, pergit: Nous convenons qu'il (Dieu) se sert de l'Eglise et de l'Ecriture. Notre ques-*

*tion est de savoir, par où il commence, si c'est par l'Ecriture ou par l'Eglise; si c'est, dis-je, par l'Ecriture qu'il nous fait croire à l'Eglise, ou si c'est plutôt par l'Eglise qu'il nous fait croire à l'Ecriture. Je dis que c'est par l'Eglise que le Saint-Esprit commence; et il faut bien qu'il soit ainsi, puisque constamment c'est l'Eglise qui nous met en main l'Ecriture. Sed ipse cfr. ibid.*

(1) Joan. iv, 24; 11 Cor. iii, 17.

(2) Ex. gr. Exod. xx, 2 et seqq. et Deut. v, 6 et seqq. Matt. v, 1 et seqq. et Luc. vi, 20 et seqq.

(3) Matth. viii, 17, et 1 Petr. ii, 24; Act. xiii, 33; Hebr. i, 5.

(4) Num. xxi, 14; Jos. x, 13; Luc. i, 2.

(5) Matth. xxiii, 35; Luc. ii, 2, iii, 1; Act. v, 36, vii.

(6) Act. xv, 1-31; et Gal. ii, 14; Joan. xiii, 2-27; Act. v, 3; Ephes. ii, 1-3, et Marc. vii, 21-23; Jac. i, 13-15; Joan. v, 22, xii, 31, et iii, 17, 19, xii, 47; 1 Cor. xi, 5, et xiv, 34; 1 Tim. ii, 10-12.

*argumentum continet multis in locis ambigue et obscurissime expressum, aut temporis successu emendatum aut etiamnum emendandum, et quod omnino ita comparatum est, ut inventio ejus e virium et præsidiorum naturalium usu optime explicari queat. Accedit, quod pars aliqua Librorum sacrorum non ab illis, quorum nomina præ se ferunt, auctoribus, sed ab interpretibus et amanuensibus (1), de quorum inspiratione nil constat, litteris consignata est. 5º Præterea, si Numen divinum pro sapientia et bonitate sua inspirationem illam miraculosam Librorum sacrorum verè necessariam duxisset, eandem et interpretibus quibusvis omni temporis concedere debebat, ut Scripturarum sensus, haud raro inventu difficilis, omni ætate et in omni populo recte cognosci posset. 6º Argumenta porro petita sunt e singulis scriptorum sacrorum effatis, quibus ii vel suarum ingenii mentisque virium usum sibi vindicant (2); vel divinum illum instinctum, quo correpti sibi esse videbantur, sed quem nusquam certius definiverunt, ad solos propheticos sermones, minime vero ad scripta sua diserte referunt (3); vel ipsos spiritu divino actos diligenter examinandos esse docent (4). 7º Addi possunt ea Scripturæ sacræ dicta, ex quibus Apostolos eorumque socios, etiamsi Spiritus S. dotibus imbuti fuerint, sensim pedetentimque ad perfectiorem religionis scientiam provecos (5), nec omnes opiniones præjudicatas penitus exuisse apparet (6), testante ipso Paulo Apost., se ceterosque christianos imperfecta religionis cognitione imbutos fuisse (7). 8º Nec minus denique argumenta affert historia, tum populi cujusque incultiore, opinionibus de efficacia Numinis imme-*

(1) Rom. xvi, 22; Col. iv, 18; II Thess. iii, 17.

(2) Dent. xxx, 11-14; Prov. iv, 3 et seqq. Luc. i, 3; I Cor. vii, 10 et seqq. collat. 25, 26; II Cor. xi, 17.

(3) Num. xi, 26 et seqq. I Sam. x, 10 et seqq. Jerem. i, 9; I Cor. ii, 13; II Petr. i, 21.

(4) I Joan. iv, 1, coll. Gal. ii, 6; I Cor. x, 15, xiv, 29.

(5) Act. x, 10 et seqq. xv, 1 et seqq. xxi, 15 et seqq. I Tim. iv, 14, 16. Add. Luc. xxiv, 25; Joan. xvi, 12.

(6) I Cor. v, 5, vi, 3, xi, 30, xv, 22, 29; Jacob. v, 8; I Thes. iv, 15, collat. I Cor. xi, 51, et alibi.

(7) I Cor. xiii, 9-12.

*diata et miraculosa imbuti, tum ipsius dogmatis de inspiratione historia, quæ libri inspirati nomen promiscue ad scripta non canonica, v. g. librum Enoch, oracula Sibyllina aliaque translatum fuisse, et subtiliorem inspirationis formam sæculo decimo XVII effictam esse, certissime demonstrat* (1). Ergo.

121. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Neg.* Quænam enim repugnantia fingi in eo potest, quod Numen summe perfectum, quum hominem ratione præditum condiderit, eundem et moveat et illustret, eique adsistat? Quid porro evincant, quæ afferuntur ex Joan. IV, 24, ubi dicitur: *Spiritus est Deus*, et II Cor. III, 17, ubi legitur: *Dominus spiritus est*, plane ignoro. Quid enim? Si Deus spiritus est, num propterea nequit homini inspirare? Imo hoc ipso magis idoneus erit ad id efficiendum.

122. Negamus præterea, per divinam inspirationem derogari quidquam aut hominis libertati aut intellectuali ac morali ejus dignitati, quæ potius ex illa plurimum perficiuntur, quemadmodum gratiæ supernæ accessio naturam hominis vehementer perficit ac complet. Inspiratione quippe homo in eorum devenit notitiam, quæ ex se aut nullo modo aut ægre omnino cognoscere potuisset, quæque talia sunt ut valde conferant sive ad pleniorum Dei cognitionem sive ad perfectionem hominis ipsius assequendam.

123. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Inspirationis doctrina ecclesiastica, nempe protestans, seu prout a sectis protestantibus asseritur, seclusa Ecclesiæ catholicæ auctoritate, impugnata et pene explosa est, *trans.*; prout a nobis adstruitur ex Ecclesiæ catholicæ auctoritate, perpetuæ traditioni innixa, *neg.* Fatemur, imo contendimus, haud posse Protestantes ex solis argumentis intrinsecis canonicorum librorum divinam evincere inspirationem, quod ex professo in altera mox subjicienda propositione ostendemus. Qua posita animadversione, tuto possemus ejusmodi difficultates, quæ probationem nostram nec minimum attingunt, omnino prætermittere. Cum tamen pleræque aut falsæ sint, aut sacris Scrip-toribus injuriosæ, singillatim iisdem occurrimus. Itaque

(1) Ita Wegscheider, §§ 42 et 43.



124. Ad 3<sup>m</sup>, *Dist.* Et ejusmodi diversitas orationis, interpretationis, etc. apparens est, *conc.*; verà et realis, *neg.* Diversitas illa magna orationis in adductis locis in eo sita est, quod Deut. V nonnullæ a Mosè interseruntur explanationes decalogi, qui datus a Deo perhibetur Exod. XX; et quod S. Lucas, cap. VI, summam referat, quæ fusius Matth. V et seqq. traduntur. Diversitas item interpretationis, quæ occurrit singulorum Vet. Test. locorum, Matth. VIII, et I Petri II, respicit Isaiaë vaticinium, LIII, 4: *Vere languores*, etc. quod Matthæus exponit de infirmitatibus corporalibus, S. Petrus vero de infirmitatibus spiritualibus, seu potius de pœnis peccatis nostris debitis, quas sibi Christus lueudas in cruce suscepit. Nulla porro in his occurrit repugnantia. Vaticinium enim Isaiaë causam simul complectitur et effectum. Quod igitur Petrus de causa, Matthæus exponit de effectu (1). Neque pariter dissident interpretationes verborum Ps. II: *Filius meus es tu*, etc. quas exhibet Paulus, Act. XIII, de resurrectione, et Hebr. I, de æterna ejusdem ac temporali generatione, si illud probe spectaveris, divinam Christi generationem in tempore, ipsiusque ad vitam reditum fundari in æterna ejusdem generatione, quæ nimirum ipsi jus dedit ad utramque assequendam (2). Quod vero spectat ad fontes ab adversario indicatos, quibus usi sunt scriptores hagiographi, nullam patefacit diversitatem: quasi vero non ageretur de eadem re diversis e fontibus derivata; in quo tamen nihil est quod repugnet; sed solum ostendit, divinam inspirationem, ut antea animadvertimus, humanam industriam mediorumque naturalium usum non excludere.

125. Verum neque diversitas est *chronologiæ* in locis allegatis; e quibus primo seponendus est Matth. locus, ubi non agitur de chronologia (3). Loca porro, quæ ex Luc. II et III adducuntur,

(1) Cfr. quæ scripsimus de hac ipsa difficultate, quam jamdiu opponebant Sociniani, in tract. *De Incarn.* part. II, cap. VI, prop. n. 624, tom. IV, p. 320.

(2) Cfr. *ibid.* cap. I, n. 240.

(3) Nam, Matth. XXIII, 35, referuntur

Christi verba: *Ut veniat super vos omnis sanguis, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiaë, quem occidistis inter templum et altare.* In quæ verba cfr. Maldona-

pendent a quæstionibus de censibus factis a Cyrino, ac supputatione annorum imperii Tiberii Cæsaris, quæ multiplici ratione a chronologis exponuntur (1). Id ipsum dicatur de illis tantum apparentibus discrepantiis, quæ occurrunt, Act. VII, in oratione S. Stephani, quas nempe iidem chronologi apprime inter se componunt (2). Quod objicitur ex Act. V, supponit unum eundemque esse Theudam, de quo loquitur Flavius Josephus (3), ac Theudam, de quo verba facit Gamaliel, Act. V, cum tamen plures iique gravissimi auctores id merito negent (4). Nulla demum ipsius doctrinæ diversitas occurrit Act. XV et Gal. II, cum utrobique gentes immunes a legalibus ritibus declarentur (5). Quoad cetera, quæ ab adversario in medium proferuntur loca, satis cuique erit ea inter se comparare, ut expudoratam hominis frontem deprehendat, dum ea veluti dissentientia adducit, quæ ne in speciem quidem diversitatem ullam præ se ferunt. Interim ex hisce specimen capere possumus, quibus armis pugnent novi istiusmodi gigantes, qui in Deum ipsum superbissime insurgunt.

126. Esto quod multis in locis, uti adjicitur, plura offendantur obscura; ex hoc tamen id unum evincitur adversus Protestantes, Scripturam adeo claram non esse, prout ad hæc ferme tempora ipsi prædicabant, ullo ut proinde supremo interprete non indigeat. Quod vero dicitur successu temporis in Scripturis

tus, qui causas affert, quare Christus meminerit Abel, quamquam non fuerit ex Judæis, et Barachiæ, etsi postremus non fuerit Prophetarum, qui sunt ab illo populo occisi.

(1) Cfr. eruditum opus Henrici Sanclementii, *De vulgaris æræ emendatione*, Romæ 1793, lib. IV, cap. II et seqq.

(2) Cfr. Corn. a Lapide in cap. VII, *Act. Apost.* ubi fuse de his apparentibus antilogiis disserit easque dissolvit.

(3) *Antiquit.* lib. XX, cap. V, edit. Havercamp.

(4) Cfr. adnotat. in loc. cit. Flavii Josephi; Grotius, ad Matth. cap. XXIV, 5; Lightfoot, *Horæ hebr. ad Acta Apost.* cap. V, v. 36, edit. Ultraj. 1694, vol. II, pag. 704; Valesius, ad Euseb. lib. II, cap. VI; Lud. Cappellus, in *Spicilegio ad Acta*, cap. V, 36; Simon, *Hist. crit. du Nouv. Test.* chap. II; Cornel. a Lap. hic.

(5) Satis est utrumque locum inspiciere et conferre, ut pateat, nullum inter utrumque interpositam esse discrimen.

emendatum, idem habet fundamentum ac illud, quod adversarius affirmat adhuc esse emendandum, incredibilem scilicet in asserendo temeritatem. Circa subsidia naturalia, paulo ante, quid sentiendum sit, exposuimus.

127. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Ita ut ex his appareat Scripturam sacram inspiratam non fuisse quoad verba, *trans.*; quoad res atque sententias, quas amanuensibus hagiographi dictabant, *neg.* Hoc enim nobis sufficit ad rem nostram.

128. Ad 5<sup>m</sup>, *Neg.* Satis quippe est, Deum providisse per infallibile Ecclesiæ magisterium, ipsamque divinitus fuisse legitimam Scripturarum interpretem constitutam, ut paulo post ostendemus. Hæc porro difficultas solos Protestantes suos impetit.

129. Ad in 6<sup>m</sup>, *Dist.* Id est, non excludunt a se sacri scriptores humana præsidia, ut toties diximus, *conc.*; secus *trans.* Ex his observationibus tantum consequeretur, quod contendimus, non posse ex sacris unice Litteris, amota Ecclesiæ auctoritate, divinam singulorum librorum canonicorum ostendi inspirationem. Quod vero additur de diligenter examinandis spiritu divino actis, putidum mendacium est. Aliud siquidem est, quod probare debeamus, *spiritus an ex Deo sint*, ut ait S. Joannes loc. cit, aliud, quod viri, Dei spiritu vere acti, examini subigendi sint, quod non asserunt nisi soli rationalistæ. Reliqua porro ibid. allegata loca non sunt ad rem (1).

130. Ad 7<sup>m</sup>, *Neg.* Cum vero idem semper Scripturarum abusus occurrat in iisdem allegandis, supersedemus ab iis singillatim expendendis, quod præstare quilibet per se potest.

131. Ad 8<sup>m</sup>, *Neg.* Historia namque incultioris cujusque populi id unum evincit, persuasam nempe hominibus quovis tempore fuisse, non a sola ratione, quemadmodum vellent rationalistæ,

(1) Apostolus, Gal. II, 6, refert, se nihil ab hominibus accepisse, sed a solo Deo; I autem Cor. X, 15, scribit: *Ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate, quid dico*, nempe haud posse christianum participem fieri mensæ Domini et mensæ dæmoniorum, ut ibid.

subdit. Demum, XIV, 29, ejusdem epistolæ, loquitur de donis gratis datis tunc in Ecclesia communibus. Judicet nunc lector, quid sentiendum sit de perpetuo Scripturarum abusu ex parte istorum hominum.



sed omnino a Deo repetendam esse doctrinam, quæ tuto nos ad cœlum perducat; quamvis populi ex defectu accurati examinis credendi motivorum, quibus vera revelatio fulciri debet, falsis identidem revelationibus decepti fuerint. Historia autem inspirationis nos docet, non a privatis hominibus, sed ab Ecclesia, quæ ejusdem custos et depositaria a Deo constituta est, expetendam esse genuinam revelationem, ab eaque propterea decerni oportere, quibusnam eadem libris contineatur. Quod demum postremo loco adjicitur, non divinam inspirationem sive ejus existentiam attingit de qua nunquam dubitatum in Ecclesia est; sed peculiare afficit controversias circa rationem, qua Librorum sacrorum scriptores inspirati censendi sunt; quæ quidem nonnisi serius agitari cœperunt (1).

## PROPOSITIO II.

*Rejecta Ecclesiæ catholicæ auctoritate, certo constare nequit Protestantibus divina Librorum canonicorum inspiratio.*

132. Diximus, rejecta Ecclesiæ catholicæ auctoritate; quia per illam solam societatem id nobis constare debet, quæ hoc a Christo et ab Apostolis accepit, ut filium nunquam interruptum illius traditionis conservaretur, quæ ab ipsius fundatione originem duxit. Nulla porro acatholica secta, saltem ex iis quæ supersunt, ad ætatem usque apostolicam assurgit. Diximus præterea, *certo constare non posse*; quia major minorve probabilitas non excludit

(1) Omnium primus, qui de ratione inspirationis sac. Librorum agere cœpit, est Agobardus, Episcopus Lugdunensis seculo ix, in *Epist. ad Fredegisum abbatem*, qui contendebat, Spiritum Sanctum non solum res et sententias, verum etiam et singula verba scriptoribus hagiographis dictasse, imo et in ore formasse, ut asinæ Balaami. Ostendit porro Agobardus, non ad voces,

sed ad res et sensus se porrexisse divinam inspirationem illis fere ipsis argumentis, quibus posteriores ejusdem sententiæ adstipulatores usi sunt, solvitque ea quæ ex Scripturis objiciebantur a Fredegiso. Cfr. inter ejus opera in *Biblioth. Patrum de la Bigne*, vol. xvii, pag. 580 et seqq. seu tomi ix, p. 11, edit. Colon. 1618.

omne dubium; quod tamen excludi necessario opus est in re tanti momenti, cujusmodi est purum Dei verbum a puro verbo hominum tuto discernere, ut inde firmissimus fidei actus elici possit. Diximus denique *Librorum canonicorum*, omnium videlicet et singulorum tum Veteris tum Novi Testamenti.

133. Jam vero rem ita esse, prout enunciavimus ostendere operosum non est. Seclusa enim Ecclesiæ auctoritate, nulla alia nobis superest via ad divinam sacrorum Librorum inspirationem internoscendam, nisi aut Scriptura ipsa, aut antiqua documenta, aut intrinseca quædam Librorum illorum proprietas (*saporem* eam veteres Protestantes vocare delectabat), qua veluti quodam gustu Scriptura sacra a non sacra tutissime discernatur. Porro nihil horum ad rem conficiendam valet.

134. 1° Non *Scriptura ipsa*; nusquam enim Scriptura declarat, quinam singillatim libri Spiritu S. afflante conscripti sint, quinam vero nequaquam. Et quamvis nonnulla huc illuc afferantur dicta tanquam oracula a Spiritu S. dictata, hæc præcise non afficiunt integrum librum, ex quo peculiaria illa testimonia promuntur, ita ut presse inferi possit ac debeat, librum integrum cum omnibus suis partibus fuisse Spiritu S. afflante conscriptum. Si interdum legitur, *omnem Scripturam esse divinitus inspiratam*, uti superius monuimus, ejusmodi effata nonnisi de libris Vet. Test. accipi possunt, idque sane generatim, sic ut semper incertum maneat, quinam libri singillatim Spiritu Sancto afflante fuerint exarati, seu quinam illam *omnem Scripturam* Spiritu S. inspiratam revera constituent. Accedit, ipsis Protestantibus fatentibus, imo et contendentibus, effata illa, quibus doctrina de inspiratione inñitur, plures eisdemque diversos sensus atque interpretationes admittere (1), quibus immediata Dei ac supernaturalis

(1) Nonnulli enim, ut Camerarius, contendunt, verba Pauli, II Tim. III, 16, non ad totam Scripturam Vet. Test. referri, sed generalia esse, ita ut hic sensus subsit: *Omnis Scriptura, Deo inspirante conscripta*, est etiam utilis,

etc. Hinc aliqui ad sola scripta prophetica, aut quæ Deo jubente scripta sunt, ea coarctant. Alii, ut Tellerus, exponunt ita, ut sensus sit: omne bonum, ad animum pertinens, Deum habet auctorem, *est a Deo quasi inspiratum.*

operatio excluditur (1). Neque omittendum, haud posse a Protestantibus divinam inspirationem Scripturarum auctoritate vindicari, quin incidant in vitium *petitionis principii* a logicis nuncupatum. Nam ex eorum principiis unice probaretur, Scripturas esse divinitus inspiratas, quia Scripturæ, quæ uti divinitus inspiratæ assumuntur, id testantur; quod merito illis vitio vertunt rationalistæ (2).

135. 2º Non valent antiqua documenta; nam quoad eos, qui Ecclesiæ auctoritatem rejiciunt, eandem plane vim obtinere debent antiquitatis documenta, et quæ ab hæreticis et quæ a catholicis auctoribus supersunt. Porro ecquis est qui ignoret, hæreticos antiquissimos, Ebionitas, Cerinthianos, Gnosticos, Marcionitas,

Cfr. Rosenmüller, in II Tim. III, 16. Juxta Henricum Heinrichs Apostolus loc. cit. auspicatur a generaliore sententia vel loco communi, *ut adeo neque de Vet. Test. neque de Nov. Test. accipienda ipsi videatur*. Cfr. *Nov. Test. Græce, perpetua annotatione illustratum*. Edit. Koppianæ, vol. VII, Götting. 1788, pag. 170 et seqq. item Knapii, *Scripta varii argumenti*, Hallis Sax. 1823, tom. I, *De usu vatic.* ad loc. II Petri I, 19-21.

(1) Cfr. Chr. Frid. Fritzsche, *De revelationis notione biblica commentatio*, Lips. 1828. Ex hac apparet, quænam inter Protestantes controversia fervereat circa *mediatam* (seu per rationem) et *immediatam* efficaciam divinam in manifestatione Dei voluntatis. Naturalistæ, qui nonnisi *mediatam* Dei efficaciam admittunt, eatenus pro divinis habendas Scripturas esse autumant, quatenus præcipua capita veritatis laude florent. Imo quæstionem, ut vocant, de *mediata* aut *immediata* Dei operatione ad scholasticas controversias aman-

dant. Hebræos statuisse eodem modo, quo prisce populi omnes, de prophetis suis, et iis omnibus, quibus suam Deus *revelasset* voluntatem, longe probabilius existimant. Atque huc referunt, quæ Ægyptii, Persæ atque Indi hac de re senserunt; item accommodant, quæ de poëtis et vatibus Socrates in *Jone* Platonis dicit, quod Deus scilicet, *iis mentem eripit, ut illis utatur ministris oraculorumque nunciis; ut a nobis, qui audiamus, intelligi possit, eos ipsos non esse, qui ejusmodi res tanti momenti dicant, sed Deum esse, qui illa dicat, et per hos homines nos alloquatur*; nec non quæ Tullius habet, *De natura Deorum*, lib. II, cap. 66, cum scribit: *Nemo vir magnus sine aliquo afflatu divino unquam fuit*, et in orat. pro Archia poëta, cap. 8. Talia de divina sac. Librorum inspiratione sentiunt et effutiunt profani isti homines.

(2) Ita sane suos protestantes supernaturalistas nuncupatos urget Wegscheider, § 42, et alibi passim.



Alogos, Manichæos, plerosque Vet. et Novi Testamenti libros Deo abjudicasse; ac eadem ratione se gessisse, qua Protestantes hodierni, sprete Ecclesiæ catholicæ auctoritate, quos volunt, libros uti divinitus inspiratos admittunt, quos vero nolunt, repudiant, præsertim cum eos suis erroribus aperte contrarios esse deprehendunt (1)? Jam vero cur Patrum potius quam hæreticorum testimoniis inniti debent Protestantes, eo vel magis quod Patres passim parvi pendant, hæreticos vero illos veluti antecessores suos passim agnoscant, quibuscum præterea se nescio qua cognatione conjunctos esse jactant (2)? Deinde, vidimus Patres ipsi singillatim sumpti, et concilia particularia, seu particulares ecclesiæ, si Romanam unam excipias, minime inter se conveniunt in Scripturarum canone, adeoque juxta adversarios et in admittendis libris divinitus inspiratis; sed alii plures alii pauciores agnoscunt. Nec est quod confugiant ad traditionem oralem, quæ ad posteros ex apostolica ætate descenderit; siquidem Protestantes nusquam ejusmodi traditionem suscipiunt; præterea, Ecclesiæ auctoritate seclusa; traditio illa circa inspirationis singulorum librorum canonicorum articulum in incerto admodum versatur.

136. Nec 3<sup>o</sup> demum id, quod intendunt, efficere valent Protestantes ex intrinseca illa Libris sacris proprietate, quæ attingatur gustu; quamque *saporem spiritualem* appellitare cœperunt. Etenim, præterquam quod nemo jam est alicujus nominis protestans, qui ad postremum hoc effugium recurrat, plura sunt quæ idipsum excludunt. Atque in primis illud urgemus, quod ex fallacia hujusmodi saporis exurgit. Si enim hæc in Libris sacris se proderet proprietates, quare tum veteres tum recentiores ex ea sacros ejusmodi Libros Spiritu Sancto afflante conscriptos discrimi-

(1) Paulo ante attulimus verba Mounié, ministri protestantis, qui id exprobrat suis.

(2) Huic cognationi innituntur Protestantes, ut ab argumento semper ipsis permolesto se expediant, quo ipsos Catholici urgent: *Ubinam erat vera Ec-*

*clesia ante Lutherum?* Confugiunt porro ad Ecclesiam invisibilem, quæ a piis, scilicet hæreticis, quovis tempore conflata est. Cfr. Bossuet, *Histoire des variations*, lib. xv, § 16 et suiv. opp. edit. Versailles 1816, tom. xx, pag. 461 et seqq.

nare non valuerunt? Quandoquidem constat ex dictis, alios a veteribus velut inspiratos admissos fuisse, qui posthac ex hoc censu rejecti sunt, alios vero e converso fuisse expunctos, qui tamen postea tanquam inspirati sunt habiti; neque hæc poterunt unquam apte conciliari nisi Ecclesiæ auctoritate accedente. Id ipsum contingit recentioribus, nempe protestantibus, excusso semel auctoritatis jugo; nam sapor ille, quo illectus est Lutherus ut veluti *stramineam* S. Jacobi epistolam repudiaret (1), effecit, ut Calvinus eandem tanquam divinam suspiceret. Eodem sapore permoti Lutherani libros deuterocanonicos omnes Novi Test. veluti apocryphos rejecerunt, quos contra Calviniani tanquam divinitus inspiratos, eodem ducti sapore, amplexi sunt. Nulla igitur ratione constitui potest inhærens ejusmodi sacris Libris proprietates seu qualitas aut sapor uti criterium tutum, quo Scripturæ inspiratæ a non inspiratis distingui atque internosci possint. Huc accedit, nunquam præterquam posteriori hac ætate, idque a solis hæreticis, provocatum fuisse ad fictitium hunc saporem, ut ejus ope inter Libros sacros et non sacros fieret discretio (2).

137. Quocumque igitur se vertant Protestantes, aut devenire tandem debent ad Ecclesiæ catholicæ auctoritatem, ut hanc dirimant controversiam, aut necessario incerti, dubii ac fluctuantes

(1) Cfr. Moehler, *Symbolique*, tom. II, § 41. Bayle ipsi, *Diction.* art. *Luther*, rem. N. non pauca anecdota refert circa Lutheri effatum de epistola Jacobi.

(2) Apposite Michaëlis, *Introd. au Nouveau Testam.* quatrième edit. Genève 1822, tom. I, première part. chap. 3, sect. 2, pag. 215, de ejusmodi criterio scribit: *Une sensation intérieure des effets du St.-Esprit, et la conviction de l'utilité de ces écrits pour améliorer le cœur et nous purifier, sont des critères aussi incertains que le précédent. Quant à cette sensation intérieure, je dois avouer que je*

*ne l'ai jamais éprouvée, et ceux qui la ressentent ne sont ni dignes d'envie, ni plus près de la vérité, puisque les Mahometans l'éprouvent aussi bien que les chrétiens; et comme cette sensation intérieure est la seule preuve sur laquelle Mahomet ait fondé sa religion, que tant de milliers d'hommes ont adoptés, nous devons conclure qu'elle est trompeuse. L'autre caractère est également insuffisant, puisque de pieux sentiments peuvent être excités par des ouvrages purement humains, par les écrits des philosophes, ou même par des doctrines fondées sur l'erreur.*

hæreant oportet in re tam gravi, prout ex ipsorum experimento fieri certissime constat. Etenim, ut silentio prætereamus varietates antiquorum Protestantium circa inspirationem singulorum Librorum tum Veteris tum Novi Testamenti (1), jam innuimus, plesque recentiores Protestantes post Töllneri ac Semleri lucubrationes omnem prorsus inspirationem presse acceptam rejicere (2). Chillingworth animadvertens, neque ex Bibliis ipsis neque ex traditione constare inspirationem posse, concludit, Biblia non esse objectum fidei, posseque obtineri salutem, quamvis non credatur in ipsis verbum Dei contineri (3). Recens auctor protestans, appellans ad theologos protestantes præstantiores, affirmare non dubitat, quod *inspiratio sacræ Scripturæ sit chimæra; quod Biblia* (præsertim vero Novum Testamentum, hoc scilicet obstaculum, ut ipse loquitur, quod progressum luminum maxime impedit, utpote quod nostris temporibus accommodatum non sit) *evadant inutilia* (4). Magna adhuc apud Protestantes fervet lis inter *naturalistas* nuncupatos et *supernaturalistas*, quorum priores inficiantur, Deum *immediata*, ut loquuntur, operatione et efficacia doctrinam suam manifestasse, omnemque propterea inspirationis propriæ dictæ notionem tum ab auctoribus sacris tum ab eorum libris repellunt; supernaturalistæ e contra eam

(1) Ut specimen habeamus harum variationum, satis est animadvertere, antiquiores Protestantes acerrime *θεοπνευστίας* seu divinam inspirationem punctorum propugnasse; quos inter eminent Buxtorfii pater et filius, academia Basileensis professores. Buxtorfius filius edidit contra Lud. Cappellum Salmuriensem, qui contrariam defenderat sententiam, tractatum *De punctorum vocalium et accentuum origine, antiquitate et auctoritate*, Basil. 1648; quo facto ecclesiæ Helveticæ, in additamento ad libros symbolicos, quod *Formulæ consensus* nomine appellatur, § 21,

Cappelli librum et sententiam publice damnarunt. Apud Wegscheider, § 41, not. (m). Nunc vero rarus jam est ex auctoribus protestantibus, qui supernaturalem inspirationem admittat.

(2) Cfr. superius dicta.

(3) Apud Grégoire, *Histoire des sectes religieuses*, Paris 1829, tom. iv, *Eglise anglicane*, ch. ix, pag. 434.

(4) Ita auct. oper. cui tit. *Nouveaux Aphorismes au tombeau de la théologie*, Genève 1801. Cfr. opus: *Le ministre protestant aux prises avec lui-même*, Lyon 1836, cinquième entretien, pag. 47.



adhuc admittere pergunt, aliquo licet latiori sensu (1). Ad primam classem referuntur rationalistæ ac mythici omnes, qui Deum nonnisi *mediata ratione* homines, imo et Christum ipsum docuisse autumant, non sine tamen speciali aliqua providentia (2); spectant ad secundum Protestantes, quos orthodoxos vocant. Ex iis vero, qui quamdam adhuc inspirationis speciem colere pergunt, illi quidem inter se quoad omnes libros minime consentiunt. Nam Michaëlis inter ceteros divinam inspirationem abjudicat Evangeliiis Marci ut Lucaë, Actisque Apostolorum (3). Alii eam ablegant ab Evangelio Joannis, cujus verum auctorem gnosticum quemdam extitisse rentur, et ita porro alii ab aliis libris, ut alibi scripsimus (4). Patet igitur ex hisce aliisque documentis, quæ, si opus esset, magno numero afferri possent, omnia apud Protestantes circa hunc inspirationis articulum in incerto posita esse. Nec aliter esse potest, quandoquidem inspiratio *factum* est, quod propterea non alia potest ratione quam per auctoritatem constare. Cum vero Protestantes auctoritatem sive Ecclesiæ sive traditionis, quæ in illa ac per illam jugiter conservata est, recipere recusent, consequitur necessario, ipsos perpetuo fluctuare debere, omnique rapi ventu doctrinæ.

Tum igitur ex jure tum ex facto, agendi scilicet Protestantium ratione, liquet, quod proposuimus, rejecta nempe Ecclesiæ catholice auctoritate, certo ipsis constare non posse divinam Librorum canonicorum inspirationem.

#### DIFFICULTATES.

138. Obj. prima. Regulæ non desunt, quarum ope, etiam Ecclesiæ auctoritate semota, tuto possint acatholici libros inspiratos a non inspiratis distinguere. Ac 1<sup>o</sup> quoad libros Vet. Test. illi omnes

(1) Recolantur sup. dicta ex Fritzsche.

(2) Ibid. pag. 2, 5.

(3) *Introd. au Nouveau Test.* t. 1, chap. 3, sect. 3, pag. 129-135; et tom. III, pag. 281-285. Huc demum devenire debuit hic auctor juxta sys-

tema suum ad discernendos libros inspiratos a non inspiratis, de quo paulo post.

(4) Cfr. Bar. de Starck, *Entretiens philosoph.* Paris 1818, pag. 133.

et soli inspirati censendi sunt, qui hebraica lingua fuerunt exarati, atque uti tales ab Hebræis admissi (1). 2° Id ipsum ex auctoritate Christi et Apostolorum palam fit, qui nempe ad illos provocant tanquam ad *Scripturam divinam*, et *eloquia Dei* vel *Spiritus Sancti* (2). 3° Quod vero ad libros spectat Novi Test., ex eorum authenticitate ac veritate necessario exurgit divina ipsorum inspiratio; quippe Christus, cum missionem Evangelium prædicandi Apostolis demandavit (3), sese illis perpetuo adfuturum spondit; idemque professus est, non ipsos locuturos, sed Spiritum Sanctum in eis (4); quod quidem privilegium reipsa sibi passim vindicant Apostoli (5). 4° Deinde quis eo usque desipiat, ut abjicienda esse contendat argumenta omnia interna, quibus utriusque Fœderis librorum inspiratio a tot doctis viris tum protestantibus tum catholicis invicte adversus incredulos demonstratur? 5° Verum et hoc prætermisso, falsum est quod a Catholicis assumitur, Protestantes videlicet non admittere traditionem, saltem tanquam monumentorum historicorum collectionem, seu traditionem historicam (6). Jam vero cum per hanc semel constiterit de authenticitate et veracitate Librorum sacrorum, eorum scilicet quos primitiva Ecclesia suum in canonem retulit, quid ultra requiras? Scripturæ enim sunt id, quod sunt independenter a quovis hominum testimonio. Satis proinde erit Protestantibus, si ex traditione, veluti monumento historico, juxta regulas critices explorata atque comperta, deveniant ad dignoscendos libros, quos

(1) Ita quidam Monod genevensis, qui Lugdunum non ita pridem se contulit ad proselytismum sectæ suæ propagandum, apud cit. op. *Le Ministre*, etc. pag. 11. Cfr. etiam Jahn, *Introduction in lib. sac. Vet. Test.* § 21.

(2) Matth. xi, 13; xv, 3-6; xxii, 31, 43; xxvi, 34; Luc. xvi, 29; xviii, 31; xxiv, 25, 27; Marc. vii, 9, 13; Joan. v, 39, 46; Act. iii, 18, 21, 25; xxviii, 25; Rom. 1, 2; iii, 2; iv, 3, 23; Gal. iii, 8; Hebr. iii,

7; xii, 26, 27; i Petr. i, 11; ii Petr. i, 21, etc.

(3) Matth. x, 19, 20.

(4) Ibid. Luc. xii, 11, 12; Marc. xiii, 11; Luc. xvi, 14, 15.

(5) II Cor. xiii, 3; i Thess. ii, 13. Ita Michaëlis, qui fuse hoc argumentum persequitur, op. et loc. cit. sect. 2, pag. 120 et seqq.

(6) Ita apud Grégoire, *Hist. des sectes*, tom. iv, pag. 434 et seq.

antiquitas uti canonicos habuit, ut inde eosdem quoque sese divinitus inspiratos certo tutoque concludant (1).

139. Resp. *Dist. ant.* Non desunt regulæ, quibus majori vel minori probabilitate possint acatholici libros inspiratos a non inspiratis distinguere, *trans.*; omnimoda certitudine seu certitudine fidei quoad omnes singulosque libros, *neg.* Alioquin nulla unquam extitisset inter ipsos discrepantia circa gravissimum ac primarium hunc articulum, a quo partialis saltem fidei regula pendet.

140. Ad 1<sup>m</sup>, *Neg.* Ridiculum sane est tamquam divinæ inspirationis criterium statuere linguam hebraicam, quasi videlicet Deus haud potuerit græca lingua scribentes afflare, quemadmodum hac ipsa Scriptores librorum Novi Test. inspiravit. Quod si huic esset insistendum criterio, paraphrases omnes antiquæ chaldaicæ, itemque libri thalmudici sacros inter libros omnino essent referendi (2). Quod vero de libris inspiratis adjicitur admissis ab Hebræis, jam reposuimus, unico id Josephi testimonio niti, cujus quidem auctoritas, uti animadvertit etiam Michaëlis, ad inspirationem librorum Vet. Test. asserendam minime sufficit (3).

141. Ad 2<sup>m</sup>, *Neg.* Formulæ enim, quas Christus et Apostoli adhibuere, vagæ ac generales sunt, quod etiam paulo ante adnotavimus; et quemadmodum ex illis nequit canon omnium et singulorum librorum confici, sic neque omnium potest et singulorum

(1) *Ibid.*

(2) Nonnullæ partes librorum proto-canonicorum lingua chaldaica conscriptæ sunt: Dan. ii, 4-7, 28; 1 Esdr. iv, 8; vii, 19; viii, 11-27, et Jerem. x, 11. Aut igitur linguæ hebraicæ nomine significant adversarii linguam hebraicam proprie dictam, et in hac hypothese e censu Scripturæ inspiratæ deberent partes has omnes expungere; aut late sumunt pro lingua etiam chaldaica aut syro-chaldaica sive aramæa, prout passim hebraicæ linguæ nomine linguæ illæ

designantur in Nov. Test., et in hæ altera hypothese nulla ratio est, quare hoc idem criterium ad significandos libros divinitus inspiratos non debeat aliis libris deuterocanonicis, hac lingua exaratis, applicari, quin imo, uti diximus, libris thalmudicis et paraphrasibus chaldaicis aptari. Adeo imperitum se præbet Monod, dum huic regulæ innititur ad discretionem faciendam inter libros inspiratos et non inspiratos!

(3) *Loc. cit. pag. 114.*



confici inspiratio, cum canon et inspiratio in *subtrata*, quam vocant, *materia* prorsus relativa sint. Etenim nunquam aliquis in canonem adscitus est liber, quin idem inspiratus fuerit creditus. Multo vero minus ex generalibus illis formulis constare nobis poterit, singulas uniuscujusque libri partes fuisse inspiratas.

142. Ad 3<sup>m</sup>, *Dist.* Prout ab Ecclesia eorum authenticitas et veracitas asseruntur, *conc.*; prout ex solis historicis documentis critices ope deprehendi possunt, *neg.* Verum est, uti modo diximus, *canonicitatem*, ut vocant, atque inspirationem sacrorum Bibliorum mutua secum relatione arctissimoque vinculo devinciri. At enim cum de illa, tum proinde etiam de ista, ex sola Ecclesiæ auctoritate ac testimonio constare nobis debet, ut certitudine fidei utramque teneamus. Alioquin, quemadmodum de librorum canonicitate, quæ authenticitatem et veracitatem complectitur, ita pariter de eorum inspiratione anxii incertique hæere deberemus. Monumenta historica ope critices quantumvis accurate excussa non omnem prorsus dubitationem amovent, nec unquam queunt fidei nostræ fundamentum suppeditare. Quod et experientia ipsa ostendit; ex qua discimus, quavis ætate ab hæreticis aliquot fuisse libros rejectos, quamvis et ipsi se monumentis historicis niti profiterentur. Id ipsum contigit, ut vidimus, Protestantibus, qui nunquam in eo inter se consenserunt; neque modo consentiunt.

143. Nec quidquam proficit Michaëlis, dum nititur inspirationem librorum Novi Test. evincere ex inspiratione Apostolorum; tum 1<sup>o</sup> quia ipsius argumenta labilia sunt, utpote privata et incerta interpretatione verborum Christi suffulta (1); tum 2<sup>o</sup> quia pleraque testimonia ab eo congesta afficiunt collectionem seu uni-

(1) Sic, ex. gr. Matth. x, 19, 20, loquitur Christus de fortitudine, quam discipuli sui coram Præsibus positi essent patefacturi, atque de sapientia, qua sua essent daturi responsa. Idem dic de Luc. xii, 11, 12; Marc. xiii, 11, et iterum Luc. xxi, 14, 15. Quamvis porro videantur Apostoli privilegium, de quo est sermo, sibi tribuere, alibi

tamen, si insistas litteræ, videntur sibi denegare, ut 1 Cor. vii, 12, 40; xiv, 37, 38; quæ reipsa loca una cum pluribus aliis nobis obijciuntur a rationalistis ad excludendam divinorum Bibliorum inspirationem. Quapropter, secluso Ecclesiæ magisterio ac testimonio, ex adductis testimoniis res confici nequit, ita ut dubium omne tollatur.

versum collegium apostolicum, ac proinde universam Ecclesiam, cui Christus infallibilitatem per jugem suam adsistentiam promisit (1); tum 3<sup>o</sup> quia deberet prius in ejus hypothese certo constare, scripta, quæ nomina Apostolorum non præ se ferunt, aut etiam quæ præ se ferunt, illorum vere esse, quibus adscribuntur, quod tamen non nisi Ecclesiæ auctoritate certo constat; idque ex ipso Michaëlis exemplo firmatur, qui nempe se subdubitare ostendit utrum epistola II Petri, quæ profecto nomen Apostoli gerit, authentica revera sit (2). Huc præterea accedit, argumenta, quibus hic auctor utitur ad inspirationem librorum Novi Test. probandam, aut nihil aut non satis ejusmodi inspirationem evincere. Etenim aut Christi verba solos Apostolos attingere dixeris, et in hac hypothese e librorum inspiratorum censu exturbari debent Evangelia S. Marci et S. Lucæ una cum Actis apostolicis, prout Michaëlis ipse revera præstitit contra unanimum totius antiquitatis consensum; aut ea sese extendere contenderis etiam ad Apostolorum discipulos, et nulla tunc erit ratio, cur ut inspirata admittantur scripta Marci et Lucæ, excludantur autem ab inspiratis Epistola S. Clementis Romani, epistola Barnabæ et *Pastor* Hermæ, præsertim cum non defuerint ex antiquis, qui hæc scripta uti canonica atque inspirata allegaverint (3).

(1) Cujusmodi sunt, quæ leguntur Matth. xvi, 18 et seqq. xxviii, ult. Joan. xiv, 16, 17, aliaque ejusmodi, quibus Catholici infallibilitatem Ecclesiæ a Christo promissam ostendunt.

(2) Loc. cit. pag. 128. Idem dic de epist. Judæ, et a fortiori de epist. ad Hebræos, quam Michaëlis ab epistolis Paulinis, adeoque et a censu Scripturarum divinarum juxta suum systema exterminat.

(3) In prop. 11, capituli 1, plura testimonia hac de re attulimus. Sed adversus Michaëlis opinionem videsis Cellerier, qui pariter in sua *Introd. au Nouv. Test.* deuxième part. divis. 1,

sect. 8, illam fuse refellit, et quæ Michaëlis videntur argumenta validissima, veluti infirma traducit; contra vero, quæ eidem infirma sunt, ea Cellerierio sunt validissima. Etiam Paley anglicanus tredecim tantum genuinas Pauli epistolas admittit, in op. *La vérité de l'hist. de S. Paul*, Paris 1821. Hac porro in concertatione quis judex erit, quis litem dirimet? Apud Protestantés nullum plane ejusmodi tribunal est, cui partes inter se dissentientes acquiescere teneantur. Et en eos in perpetua fluctuatione absque ulla spe exitus cujuscumque.



144. Ad 4<sup>m</sup>, *Resp.* neminem certe ita desipere, ut interna argumenta, quibus sacrorum Librorum divina vindicatur inspiratio, rejicienda esse affirmet. Verum aliud est ejusmodi argumenta e medio tollere, aliud asserere illa haud sufficientia per se esse ad nos ea de re certos reddendos, certitudine nimirum fidei et omnimoda, quæ omnem errandi formidinem excludat. Argumenta interna optime conferunt ad evincendam *in genere* adversus incredulos revelationis divinitatem, cum resolvantur in ea credendi motiva, quæ nos ipsi fuse attulimus ac vindicavimus (1). Ast in præsentī controversia, qua cum hæreticis, præsertim vero Protestantibus, circa inspirationem *in specie* singulorum Librorum canonicorum et cujusque illorum partis manus conserimus, argumenta illa rem penitus non conficiunt; cum infallibili ad hoc opus sit auctoritate, cujusmodi solam auctoritatem esse ostendimus catholicæ Ecclesiæ (2). Hæc vero potissima ratio est, cur theologi catholici hac in quæstione vix aut nullatenus ejusmodi argumenta attingant, cum ipsi in Ecclesiæ judicio tutissime conquiescant; contra vero ea urgeant Protestantes, qui propterea semper animo fluctuant ac opinionum veluti undis huc illuc jactantur.

145. Ad 5<sup>m</sup>, *Dist.* Qui proinde hac ipsa de causa semper incerti sunt et inconstantes, *conc.*; his innixi fiunt certi, *neg.* Quatenus traditio divina cum ipsa identificatur Ecclesiæ doctrina, ut postea ostendemus, vim certe ad probandum ineluctabilem habet, quia per illam in auctoritatem Ecclesiæ relabimur; quatenus vero solis ipsa historicis monumentis innititur aut conflatur, atque ut historica mere spectatur, illico obnoxia fit innumeris prope criticis discussionibus, quibus necesse est ut illi, qui eam sibi veluti uni-

(1) In tract. *De vera relig.* part. 1, cap. iv, prop. 11. Hoc ipsum argumentum evolvunt passim apologetæ christianæ religionis adversus incredulos. Cfr. inter ceteros Ant. Casini S. J. *Encyclop. Sacr. Script.* tom. 1, disp. 1; Nicolai, *Diss. e lezioni di Sacra Scrittura, Dissert. Proem.* 1; Bergier, *Traité historique et dogmatique de la vraie Re-*

*ligion*, Paris 1784, tom. v, part. 11, ch. 3, art. 5, § 1 et seqq. et tom. viii, trois. part.; Th. Mariæ Carboni, Or. Pr., *De theologia revelata lib. tres*, Romæ 1768; Valsecchi, *Dei fundamenti della Religione, e dei fonti dell'empietà.*

(2) In hujus tract. part. 1, sect. 1, cap. iv, art. 11, prop. 1, t. viii, p. 227.



cam ducem, quam sequantur, adsciscunt, in diversas distrahantur sententias. Exinde contingit, ut, quod uni certum est, alteri sit incertum, quodque hodie velut firmissimum statuitur, cras in dubium vocetur, quemadmodum ex diuturno Protestantium experimento jam nimis elucet (1). Crescit ex eo difficultas, quod veteres inter se minime conveniant circa canonicitatem ac proinde inspirationem sacrorum utriusque Fœderis Librorum, nec ullum primitiva Ecclesia canonem universalem, quo scilicet Ecclesia universa obstringeretur, confecerit ea de re; alioquin nulla circa canonem Ecclesiam inter orientalem et occidentalem dissensio, nulla inter diversas particulares Ecclesias, neque ipsos inter Patres extitisset. Quod si Protestantes nos provocant ad canonem Concilii Carthaginensis III, nos iterum ipsos rogamus: cur igitur libros deuterocanonicos Fœderis utriusque in illo recensitos minime admittant; sed Calviniani solos deuterocanonicos Novi Test. amplectantur ut vere canonicos et divinitus inspiratos, rejicientes simul deuterocanonicos libros Vet. Test. tanquam apocryphos; Lutherani vero utrosque ad tempus saltem repudiarent, nunc vero inter se divisi plane sint? Nonne ista pro lubitu ab hæreticis fiunt?

146. Desipiunt porro adversarii, dum subdunt: *Scripturæ sunt id quod sunt, independenter a quovis hominum testimonio*; nam quæstio proprie atque unice hic versatur circa modum, quo nobis certo constare possit, utrum Scripturæ sint, et quænam sint id quod sunt, seu quænam Scripturæ divinitus inspiratæ censi debeant, quænam vero ab hoc censu debeant excludi. Utique Scripturæ nihil ex testimonio Ecclesiæ intrinsecus acquirunt; at nos ex ejusmodi testimonio certitudinem assequimur infallibilem de Scripturis divinitus inspiratis. Pari profecto ratione de quovis fidei articulo ex posito adversariorum principio ratiocinari fas esset. Quæritur ex. gr. utrum Christus sit Deus, an pura creatura? Utrum unica in eo sit an vero duplex natura, et ita porro? Atqui

(1) Plura documenta hujus assertio- nis dedimus. Sane difficile omnino est duos Protestantés plane inter se conve-

nire. Vere dixeris Protestantium barometron semper signare *varium!*

posset quisquam reponere : Quorsum Ecclesiæ auctoritas ? Num *Christus non est id quod est, independenter a quovis hominum testimonio* ? Hoc certe modo dogmata nutarent omnia, prout reipsa apud Protestantés nutant, ac omnino apud rationalistas conciderunt. Ita ergo auctoritas Ecclesiæ quoad sacrorum Librorum codicem plane se habet, quemadmodum in ordine ad codices legislationis politicæ se habet *promulgatio* : qui nempe, tametsi vim suam a legislatoris potestate intrinsece nanciscantur, a sola tamen promulgatione illam obtinent auctoritatem, qua regulam subditorum constituere valeant iisdemque obligationem inducere (1).

147. Juverit hic demum animadvertere, quod ex principio fundamentali Protestantismi, de omnimoda cujusque independentia et libertate examinis, deberet quodlibet individuum protestans, etiam e fæce plebis, sibi e monumentis historicis et exquisitoris critices ope certitudinem comparare librorum, qui inspirati habendi sint. Quod si id assequi non possit (et quot demum sunt qui pares tanto muneri existant), eos ex auctoritate doctiorum admittat, oportet. Hinc fit ut illi, qui auctoritatem abjiciunt Ecclesiæ universæ, qua libros aliquos tanquam inspiratos ac divinos habeant, obsequi debeant auctoritati criticorum, qui nunquam inter se nec semper sibi ipsis cohærent. Talis porro est protestantismi sibi intrinsece repugnantis natura !

148. Obj. secunda. 1<sup>o</sup> Quæ spectant ad Scripturas, cujusmodi sunt earum existentia, veracitas, authenticitas, canonicitas ac divina inspiratio, non constituunt dogma aut articulum fidei ; sed quædam veluti præliminaria sive præambula fidei sunt, de quibus propterea non ex auctoritate, sed e regulis critices constare debet (2). 2<sup>o</sup> Ad eum scilicet modum, quo existentia Dei, quæ fidei præambulum est, non ex revelationis auctoritate, sed ex philosophicis argumentis a naturali ratione depromptis demonstratur ; aut etiam existentia Ecclesiæ, quæ pariter quoddam

(1) Cfr. quæ scribit Grégoire, op. *protestant nonconformity, seu De nonconformitate protestantica*, London

(2) Ita Josiah Conder, in op. *On* 1818, tom. II, pag. 311 et seqq.

veluti fidei præambulum censetur, ex motivis evincitur credibilitatis; aut quemadmodum quoque demum divinitas revelationis, ita plane existentia, integritas, canon, divinaque sacrorum Bibliorum inspiratio, aut argumentis internis, aut monumentis, aut etiam utrisque simul vindicari possunt ac debent. Ergo.

149. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Neg.* Etenim Scripturas divinas et canonicas existere dogma fidei est sub anathemate a Conc. Tridentino sancitum, neque unquam de hoc fidei articulo dubitatum in Ecclesia catholica est. Si qua viguit in Ecclesiis particularibus controversia, hæc nonnullos tantum libros in specie, præsertim quos deuterocanonicos vocamus, nunquam vero rem ipsam affecit. Hinc Scripturæ communiter receptæ tanquam divinitus inspiratæ in Ecclesia habitæ sunt juxta divinam traditionem; idque non ex antiquitatis dumtaxat monumentis, sed ex earum usu in magisterio quotidiano atque ex actis Conciliorum probatur. Divina Scripturarum auctoritas ad fidem semper spectavit, adeo ut novatores, qui identidem ausi sunt Ecclesiam aliquo peculiari libro expoliare ex iis qui communi calculo probabantur, illico tanquam hæretici proscripti fuerunt, ut patet ex Gnosticis, Valentinianis, Alogis, aliisque ejusmodi pestibus (1). Quod si fideles omnes fide divina libros illos uti canonicos et inspiratos crediderunt, nonnisi auctoritate ac testimonio Ecclesiæ ducti eam fidem iisdem abhibuerunt. Quapropter nunquam ut simplex quoddam præliminare aut præambulum fidei, in sensu adversariorum, primi Christiani spectarunt Litteras sacras; sed eas tanquam objectum fidei ha-

(1) Cfr. Tertullianus tum in lib. *Præscr.* tum adversus Valentinian. et adversus Marcionem; S. Epiphanius in respectivis hæresibus; S. Irenæus passim, qui non solum hæreticis illis exprobrant rejectionem plurium librorum divinorum, verum etiam mutilationes, corruptiones, quod et nos passim animadvertimus. Sed qui sitim suam plene cupit explere, adeat Sixtum Senensem, in *Bibliotheca sancta*, lib. III

et VII, in quibus recensentur singuli antiquiores hæretici, qui libros sive Veteris sive Novi Testamenti adorti sunt; comperietque ex parallelismo, vix recentiores hæreticos excogitasse aliquid hoc de argumento, quod antiquiores non præoccupaverint atque effutierint. Sic enim fert nativa hæreseos indoles. Cfr. etiam Bellarmin. *De verbo Dei*, lib. I, cap. 5 et 6.



buerunt omnino, non secus ac reliqua dogmata, quæ ab Ecclesia ipsis credenda proposita sunt. Ecclesia enim, ut toties diximus suoque ostendimus loco (1), præscripsit seu anterior est libris omnibus Novi Test. quos ipsa probavit, ac uti Spiritu S. afflante conscriptos fidelibus tradidit.

150. Ad 2<sup>m</sup>, *Neg.* paritatem juxta modo dicta. Existentia siquidem Dei est in *subjecta materia* prima veritas, quæ necessario supponi debet; alioquin enim, illa nondum constituta, absurdum esset de divina revelatione quidquam proferre. Cum igitur ex sola revelatione, quin *circulus vitiosus* admittatur, ostendi nequeat supremi Numinis existentia, ex argumentis a ratione petitis demonstrari et potest et debet; qua de causa præambulum fidei recte illa vocatur. Quod vero spectat ad Ecclesiam, ut alias pariter innuebamus, ab ipso ortu suo secum illa suas attulit probationes per ea credendi motiva, quæ identificantur cum ipsis divinæ revelationis probationibus, quibusque divinam originem suam luculentissime declaravit. Accepta enim a Christo divina missione, Apostoli, qui primum constituerunt Ecclesiam, miraculis potissimum et vaticiniis se divinitus missos Judæis atque ethnicis ostenderunt, neminemque in album Christianorum cooptaverunt, quin simul Ecclesiæ filium efficerent. Porro ceteros inter articulos, quos catechumenis credendos proponebant, fides erat in Ecclesiam, ut liquet etiam ex Symbolo apostolico: *Credo sanctam Ecclesiam*. Quo quidem in articulo implicite continebantur illa omnia, quæ Ecclesia auctoritate sua credenda proposuisset tanquam divinitus revelata. Hic est analyticus atque, ut ita dicam, *geneticus* processus regulæ proximæ credendorum, ut nempe prius quasi præambulum admittatur existentia Ecclesiæ divinitus institutæ per eadem ipsa motiva credibilitatis, quibus existentia adseritur divinæ revelationis; deinde, hac evidenter cognita ac comperta, credatur ut fidei articulus eadem Ecclesia a Deo ipso fundata cum omnibus prærogativis, quibus se a Christo auctam hæc eadem Ecclesia profitetur; demum ex infallibili ejus

(1) Tum in tract. *De vera Relig.* tractatus part. 1, sect. 1, cap. 1, prop. 11, part. 11, prop. 1 et 11, tum in hujus tom. VIII, p. 15.

auctoritate et testimonio cætera credantur, quæ ipsa tanquam divinitus revelata proponit, inter quæ Scriptura canonica divinoque afflante Spiritu exarata præcipuum obtinet locum. Siquidem Scriptura regulam constituit remotam, partialem et inadæquatam credendorum sub Ecclesiæ ejusdem magisterio. Quævis alia via a Protestantibus excogitata aut incerta aut insufficiens plane est, uti ex hactenus disputatis aperte colligitur (1).

### CAPUT III.

#### DE SACRARUM SCRIPTURARUM INTERPRETATIONE.

151. Duplex sacrarum Scripturarum interpretatio distingui debet, *dogmatica* videlicet et *exegetica*. Interpretatio dogmatica ea est, quæ *potestate* seu *auctoritate* fit cum obligandi vi, pro suoque objecto habet aliquod fidei dogma, seu aliquam veritatem exhibet ad fidem moresve pertinentem, aut quæ alio quovis modo ad fidei depositum refertur; interpretatio exegetica est quædam privata, doctrinalis aut scientifica enarratio vel expositio, quæ faciliorem præbet sacri textus intelligentiam. Jam vero juxta Catholicos dogmatica interpretatio ad solam exclusive pertinet Ecclesiam, utpote quæ sola a Christo infallibili auctoritate ac magisterio instructa sit ad veram fidem tradendam, omnesque controversias fidei dirimendas; e contra juxta Protestantès quilibet e Christianis legitimus esse potest dogmaticus sacrarum Litterarum interpres. Interpretatio exegetica uniuscujusque industriæ, diligentæ ac studio dimittitur ab Ecclesia, dummodo intra fines et regulas ab ipsa præstitutas, quasque rei ipsius natura exposcit, quisque se contineat.

152. Porro præcipua controversia, quam vere *fundamenta-*

(1) Cfr. Bossuet : *Instruction sur les promesses de l'Eglise, pour montrer aux Réunis, par l'expresse parole de Dieu, que le même principe qui nous fait chrétiens nous doit aussi faire ca-* *tholiques*. Op. edit. cit. tom. xxii, pag. 373 et seqq. necnon *Conférence avec M. Claude, ministre de Charenton, sur la matière de l'Eglise*, loc. cit.

*lem* vocaveris, Catholicos inter et Protestantes fervescens, interpretationem dogmaticam attingit. Ad proprium systema suum constabiliendum non unam eandemque viam Protestantes sive veteres sive recentiores inierunt. Nam ad excludendam solius Ecclesiæ dogmaticam et authenticam interpretationem sacrarum Litterarum: 1° Alii summam prædicarunt Scripturarum in omnibus claritatem (1). 2° Alii autumarunt, spiritum privatum legitimum esse Scripturæ sacræ interpretem; quo nomine nonnulli ex prioribus Protestantibus intellexerunt internam illustrationem, quam asserebant unicuique a Spiritu S. communicari, vi cujus infallibiliter quisque certior fieret de vero Scripturæ sensu (quam unicam fidei regulam dicebant), independenter ab Ecclesiæ definitione, aut etiam adversus illam; dum spiritus privati nomine alii intelligerent proprium suum iudicium (2). 3° Alii contenderunt, Scripturam ipsam *cum* aut *sine* spiritu privato iudicem esse controversiarum, sui nimirum ipsius interpretem existere.

153. Ut igitur ea, qua par est, claritate fundamentale ejusmodi evertamus Protestantium principium, quod demum resolvitur in libertatem individualement examinis, immunem a quavis auctoritate in sacris interpretandis Litteris, ac in fide propterea sibi cudenta, tria efficiamus oportet: ostendi debet, 1° Scripturam sacram non adeo in omnibus, præsertim vero in rebus fidei ac morum, perspicuam esse, ut non aliquo egeat interprete; 2° interpretem hunc alium non esse, aut esse posse præter Ecclesiam; 3° dubium ac fallax necessario esse quodcumque systema a Protestantibus tum antiquioribus tum recentioribus invectum ad authenticam dogmaticam Ecclesiæ interpretationem eliminandam.

(1) Uti Lutherus, Brentius alique passim antiquiores Protestantes, apud Bellarm. *De verbo Dei*, lib. III, cap. I. Cfr. Bonfrerius, in *Præloquiis*, cap. IX, sect. I.

(2) Cfr. Bellarm. loc. cit. cap. III, ubi notandum est, cum prætensa illa Protestantium illustratione Spiritus

Sancti haud commiscendam esse veram internam Spiritus Sancti illustrationem ad salutariter credendum necessariam; item neque confundendum esse spiritum privatum cum recta ratione (aut recto rationis usu), quæ nunquam divinæ contradicit revelationi.



Quibus constitutis , nonnulla de exegetica Bibliorum sacrorum interpretatione subjicere præstabit.

In duos proinde articulos caput hoc dispartiemur juxta duplicem , quam præmisimus , sacrarum Scripturarum interpretationis notionem.

## ARTICULUS I.

### *De sacrarum Litterarum interpretatione dogmatica.*

154. Quidquid in sacris Litteris continetur , profecto fidei nostræ objectum est , hoc ipso quod divinitus sit inspiratum. Quo sensu ipsa Scripturæ sacræ existentia , uti ostendimus , fidei articulus est ab omnibus omnino credendus. Verum cum sacra Scriptura , ex dictis , sit regula fidei partialis et fons , ex quo dogmata peculiaris fidei magna saltem ex parte derivantur , difficultas nobis oritur haud exigua in sensu detegendo et determinando illorum textuum , ex quo peculiaris quæque veritas , sive ad fidem sive ad mores pertinens , pendet. Idque multiplex ex capite , uti mox ostendemus , contingat oportet. Scripturæ enim , præterquam quod in pluribus obscuræ sunt ac difficilis interpretationis , nusquam expresse nobis symbolum exhibent aut singularum veritatum catalogum credendarum. Exinde enascitur necessitas alicujus interpretis infallibilis , visibilis , viventis , publica auctoritate ac jurisdictione instructi , qui non solum absque formidine erroris nos certos ac securos queat efficere de singulis veritatibus in ea Scriptura contentis , sed qui præterea omnes cogere potis sit ad eas firmiter credendas profitendasque. Ejusmodi porro interpretatio ea demum est , quam dogmaticam nuncupavimus , quamque a sola Ecclesia proferri posse contendimus , ita ut , hac sublata , actum prorsus de fide sit. Hæc autem ut per partes evincamus , insequentes statuimus propositiones :

## PROPOSITIO I.

*Scriptura Sacra, etiam in iis quæ ad fidem et mores pertinent, non ita clara est, ut interprete non indigeat.*

155. Diximus, *etiam in iis quæ ad fidem et mores pertinent* Scripturam claram non esse, ut effugium Protestantibus præcluderemus, qui facile nobis dant, Litteras sacras in rebus minoris momenti obscuras esse; at ejusmodi obscuritatem sese etiam porrigere ad fidei res ac morum, id vero vehementer negant.

156. Ut igitur in eo insistamus, quod proposuimus, ex triplici capite enunciatae propositionis veritatem eruimus; ex auctoritate scilicet, ex intima ipsa rei natura, ac demum ex confessione et experientia ipsorum adversariorum nostrorum.

Atque ut a primo exordiamur, ceteris omissis, nota sunt verba Petri, qui loquens de epistolis Pauli, ait: *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut et ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem* (1). Agi porro hoc in loco de iis quæ ad fidem moresque pertinent, patet ex eo quod, qui sic Scripturas depravarent, *perditionem sibi adsciscerent*, quod levioribus de rebus dici profecto nequit. Quo pariter referuntur preces et vota, quibus Psalmista a Deo legis suæ intelligentiam efflagitavit: *Da mihi intellectum, et scrutabor legum tuam; — Doce me justificationes tuas; — Faciem tuam illumina super servum tuum* (2); aliaque ejusmodi, quibus Psalmi referti sunt. Hisce permotus Hieronymus, in *Epist. ad Paulinum*: *Si tantus Propheta, scribebat, tenebras ignorantiae confitetur, qua nos putas parvulos et pene lactentes inscitæ nocte circumdari* (3)? Quare Christus non solum plures Scripturæ textus discipulis suis explanavit (4), sed præterea *aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas* (5). Quid porro intererat Scriptu-

(1) 11 Pet. III, 16.

(2) Ps. CXXVIII, 34, 68, 135, etc.

(3) *Epist. LVIII, ad Paulin.* n. 9,

edit. Vallars.

(4) Luc. XXIV, 27.

(5) *Ibid.* v. 45.

rarum sensum explanare, vel sensum, mentem nimirum, aperire ad intelligendas Scripturas, idque sane circa præcipuum dogma de divina sua missione, si adeo omnibus obviæ sunt Scripturæ, ut quisque per sese eas intelligere valeat, atque inde sibi fidei objecta componere?

157. De Patrum hac in re sententia verba facere supervacaneum est, cum unanimes plane sint in exageranda Scripturarum obscuritate. Plura eorum testimonia profert ac urget Bellarminus (1), ac longe plura allegat Bonfrerius (2), qui ad viginti classes revocat diversa Patrum effata, quibus ipsi Scripturæ prædicant obscuritatem, unde ingens oritur difficultas vel in rebus gravioris momenti, quæ fidem moresque attingunt. Nam id imprimis inter cetera adnotant, non aliunde enatas ac succretas hæreses esse, quam ex prava Scripturarum intelligentia (3).

158. Verum non est cur in auctoritate urgenda immoremur, cum intima ipsa rei natura id, quod proposuimus, manifesto ostendat. Duo quippe potissimum conferunt ad obscuritatem Scripturis ingerendam, *res* scilicet et *modus*. Res enim quamplurimæ in iis continentur natura sua nobis imperviæ, cujusmodi sunt quæ Dei naturam, operationes, consilia, etc. afficiunt, quæ mysteria pro objecto habent, ex. gr., Trinitatem, Incarnationem, propagationem originalis noxæ, prædestinationem, justificationem, distributionem gratiæ, aliaque ejusmodi, in quibus propterea hallucinatio facillima est et aleæ periculosæ plenissima; quæ item de virtutibus agunt et vitiis, de præceptis et consiliis, in

(1) *De verbo Dei*, lib. III, cap. 1.

(2) In *Præloquiis*, cap. 9, sect. 2; cfr. etiam Serarius, in *Prolegom. Bibl.* cap. 22.

(3) Inter ceteros S. Augustinus, *Tract. xviii in Joan.* II, 1, scribit: *Neque enim natæ sunt hæreses, et quædam dogmata perversitatis illa queantia animas, et in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene, et quod*

*in eis non intelligitur, etiam temere et audacter assertitur.* Et ante ipsum S. Irenæus, lib. III, cap. 12, n. 12, loquens de hæreticis, ait: *Scripturas quidem confitentes, interpretationes vero convertunt.* Edit. Massuet. p. 198. Eadem ratione loquitur S. Cyprianus, in lib. *De unitate Eccles.*, edit. Maur. pag. 198, dum hæreticos vocat *interpretes falsos*; alique passim.



quibus haud pauca occurrunt intellectu difficilia, ita ut prona nimis deceptio sit (1). Quod si attendamus ad modum, quo res ipsæ in Scripturis efferuntur, haud minor inde difficultas exurgit; sæpe enim ipsæ alludunt ad præteritas res, quæ nos latent, ad consuetudines, moresque tunc temporis receptos; inveniuntur præterea crebro apparentes antilogiæ; phrasæologia ipsa, ab indole idiomatum nostrorum immane quantum discrepans, difficul-

(1) Exemplo sint, quæ leguntur Matth. v, 40: *Ei qui vult tecum iudicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium*. Continent ne verba hæc præceptum, an vero solum consilium? Idem dic de iis, quæ leguntur Luc. xiv, 33: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; et ibid. xii, 33: *Vendite quæ possidetis, et date eleemosynam*; aliæque ejusmodi pene innumera, quæ quamvis, spectatis verbis, videantur clarissima, illorum tamen intelligentia absque interpretatione Ecclesiæ obscurissima est. Hæc autem eo potiori jure urgemus adversum Protestantes, quod integræ sectæ interdum cortici litteræ inhærentes contendunt, illicita nonnulla esse, quia ea damnare Scripturæ videntur. Ita Quackeri recusant juramentum interponere, etiam in iudicio, quia scriptum est, Matth. v, 34: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino*. Alii autem, quia scriptum est, Exod. xx, 8: *Memento ut diem sabbati sanctifices*, ridicule dominicam diem *Sabbati* nomine vocant, ne videantur hujusmodi transgredi præceptum. Nonnulli Protestantes, huic principio insistentes, ulterius progressi sunt; quidam enim ascendebat super domus suæ tecta ad

prædicandum transeuntibus, quia legitur, Matth. x, 27: *Quod in aure auditis, prædicate super tecta*; alius vero serio docebat mysteria fidei canem suum, quia, Marc. xvi, 15, dicitur: *Prædicate Evangelium omni creaturæ*; teste vero ipso Leibnitio, in dissert. *De conformit. fidei cum ratione*, § 21, nonnulli fanatici Protestantes existimarunt, Herodem reapse in vulpem mutatum fuisse, dum Christus, Luc. xiii, 32, verba illa protulit: *Dicite vulpi illi*, etc. Hoc vero undenam nisi ex difficultate discernendi, quando Scripturæ verba metaphorice, quando vero litteraliter accipienda sint, ut Leibnitius adnotat? Carlostadius, in disciplinis theologicis Lutheri professor, prius catholicus, *puro verbo Dei* innixus, 2° lutheranus effectus est, 3° anabaptista, 4° sacramentarius, 5° deinde uxorem duxit, 6° demum se pistoris arti addixit, quia scriptum est, Gen. iii, 19: *In sudore vultus tui vesceris pane*. Cfr. Audin, *Histoire de la vie de Luther*, nouv. edit. Paris 1841, tom. 1, pag. 19 et seq. et pag. 37. Plura alia possem exempla adducere; sed ne tædio sim, ista sufficiant. Cfr. Milner, *Excellence de la Relig. cathol.* Paris 1825, tom. 1, lett. 9.

tatem auget (1); idiotismi, quibus explicandis opus est exquisita linguarum antiquarum peritia (2); sensuum varietas, qui sub cortice litteræ (3) delitescunt; figuratæ locutiones, aliaque pene innumera, quæ longum esset recensere, quæque in singulis pene dixerim Scripturarum paginis offenduntur, quibus necessario fit ut obscuræ nobis evadant (4).

159. Demum ipsa adversariorum confessione et agendi ratione res nostra conficitur. Ut enim prætermittamus Protestantium parentem, Lutherum, qui omnium primus Scripturarum claritatem proclamavit, postea vero parum sibi consentiens (quod hæreticis sane omnibus contingit), profundam earumdem fassus est obscuritatem (5). Francowitz, *Flaccus Illyricus* nuncupatus, in *Catalogo testium veritatis* (6), centum quinquaginta et unum argumenta ad ostendendam Scripturarum obscuritatem protulit in medium. Irridet editor ejus recentior Dallæum, qui in op. *De Patrum usu*, Scripturarum perspicuitatem populo persuadere nisus est.

(1) Cfr. *Prolog. ecclesiastici*.

(2) Apud Milner, epist. cit. Episcopus voluisset ut Christiani omnes ad discerent linguas hebraicam et græcam, ut possent sacra Biblia in linguis suis originalibus perlegere. Cfr. etiam Th. Moore, in *Voyages d'un jeune Irlandais*, trad. de l'angl. Paris 1836, pag. 380, cum adnot. ex Jerem. Taylor, pag. 426 et seq.

(3) Huc enim spectant quæ de duplici Scripturarum sensu interpretes tradunt, de quo argumento paulo post agemus. Interim cfr. Bonfrerius, in *Præloquiis*, cap. 21, sect. 1 et seqq.

(4) Cfr. Bonfr. ibid. cap. 2, sect. 1 et seqq.; Serarius, in *Prolegom. Biblic.* cap. 22; Bellarm. *De verbo Dei*, lib. III, cap. 1.

(5) Etenim in *Symposiacis*, cap. 1, fol. 2, 6: *In Scripturis*, ait, *vix*

*scimus A B C, et adhuc non recte; et fol. 3: Dei verbum est inscrutabile. Unicum sac. Scripturæ verbum perscrutari; et e profundo eruere, omnino adûvaros est. Nego, eruditos et theologos, ut vel maxime velint, id posse. Quia enim Spiritus sancti verba sunt, ideo supra homines sunt... Volui aliquoties Decalogum meditari, et quando prima illa verba: Ego sum Dominus Deus tuus, offendi, cæpi hæsitare in pronomine illo Ego; et hoc Ego nondum recte possum intelligere.* Ex Lutheri sectatoribus alii priorem ejus sententiam de claritate Scripturarum secuti sunt, alii posteriorem de earumdem obscuritate; utrorumque catalogum exhibet Nic. Serarius, op. et loc. cit. quæst. 6.

(6) Francofurti 1672.

Bayle ipse, quamvis calvinianus idemque incredulus, asserit, nulla prorsus ratione cum ignaros tum doctos certo sibi comparare genuinum posse Librorum sacrorum sensum (1). Moshemius, historicus protestantismi κατ' ἐξοχήν dictus, disserens de Socinianis, quorum principium est, sacras Litteras esse juxta rationis lumen interpretandas, respondet, quod si regula isthæc invalesceret, tot plane religiones haberentur quot capita (2). Jam vero in disceptationibus cum Socinianis inficiabitur nemo de præcipuis agi dogmatibus fidei. Paulo ante verba attulimus Wegscheideri, asserentis, Scripturam sacram argumentum continere *multis in locis ambigue et obscurissime expressum*, item *Scriptorum sacrorum sensum haud raro inventu difficilem* (3), ex quo ipse inferre contendit, Libros sacros minime fuisse divinitus inspiratos. Lockius fatetur, se, quamvis studuerit Pauli epistolis, perinde ac Scripturis ceteris, comperisse tamen se eas minime intelligere; loquitur autem de rebus, ut ejus verbis utamur, doctrinæ ac discussionis (4). Macknight plures detexit fontes obscuritatis, quæ reperitur in Pauli epistolis, quos inter loquendi formas recensuit, quibus Apostolus usus est (5). Boyle, præter stylum quo utitur Apostolus, aliam aperit obscuritatis causam, quod Paulus scilicet pluribus in locis quamdam inducat taciti dialogi speciem, qua factum est, ut sæpe velut argumenta assumpta fuerint, quæ Apostolus nonnisi uti objectiones evidenter attulerit (6). Jeremias Taylor, celebris inter anglicanos Protestantes, pluribus data opera ostendit summam difficultatem recte sacras Litteras interpretandi (7). Adeo ut visi hac ætate Protestantes sint omni ope propugnare Scripturarum obscuritatem adversus primores protestantismi parentes.

(1) Apud auc. cit. *Le ministre protest. aux prises avec lui-même*, pag. 27.

(2) *Institution. Hist. christianæ recentioris*, Helmstadii 1741, secul. xvi, sect. 3, cap. 4, § 14. En ejus verba: *Hoc qui dederit, is etiam concedat necesse est, tot esse religiones posse, quot capita sunt.*

(3) Ex § 43.

(4) Cfr. Apud Moore, op. cit. pag. 383 et seq. in nota (1).

(5) Ibid.

(6) Ibid.

(7) In op. *De libert. prophetandi*, sect. 4. Ejus verba ex anglica in linguam gallicam conversa ita se habent:



160. Agendi vero ratio adversariorum apertam veritatem consignat; etenim, si Scripturæ sacræ eam præ se ferrent perspicuitatem, quam tantopere non ita pridem crepabant Protestantes, in iis præsertim quæ ad fidem ac mores pertinent, qui fieri tandem potuisset, ut adeo inter se in illarum interpretatione discreparint? Notæ sunt Lutheri, Zwinglii, Calvini eorumque gregalium interpretationes verborum Christi: *Hoc est Corpus meum*; ita ut *bis centum* recenseantur (1). *Viginti* eodem tempore opiniones de *satisfactione* viguisse apud Confessionis Augustanæ asseclas, quæ omnes Scripturis innitebantur, affirmat Osiander; *sexdecim* præterea recenset sententias diversas circa *peccatum originale*; tot vero asserit de Sacramentis extitisse, quot sectæ inter se dissidebant (2). Denique, ne prolixiores simus, tot sunt obscuritatis Scripturarum testes, quot extiterunt et adhuc existunt sectæ sectarumque portiunculæ, a Cerinthianis et Gnosticis initio ducto usque ad Methodistas, quæ numerari vix possunt (3). Omnes siquidem sectæ, præsertim quæ post Lutherum

*On y trouve des mystères qui, quelque bien qu'ils soient exprimés, ne sont pas faciles à saisir, et qui seront toujours obscurs et inintelligibles pour notre conception bornée. Enfin les moyens ordinaires d'interpréter les Ecritures, tels que l'examen des originaux, le rapprochement de divers passages, la parité de raison, l'analogie de la foi, sont tous douteux, incertains et très-faibles. De tout cela il suit que les plus sages, et par conséquent ceux qui paraissent devoir le plus probablement découvrir le vrai sens, méritent néanmoins peu de confiance. Ces causes d'erreurs sont comme autant de raisons de douter qu'au milieu de tant de mystères et de difficultés ils aient rencontré juste.*

(1) Cfr. Bellarm. *De Eucharist.*

lib. 1, cap. 8, n. 2. Duæ hæ vocellæ: *Hoc est*, tres factiones seu sectas genuerunt, lutheranam, calvinianam, zwinglianam. Harum quælibet subdivisa est in sectas alias, *panerariam, accidentariam, corporariam, arrhabonariam, tropistam, metamorphistam, iscariotistam, schvinkesfeldritam*, etc.

(2) Cfr. apud Moore, op. cit. pag. 384.

(3) S. Augustinus, in lib. *De hæresibus*, enumerat 90 diversas hæreses, quæ post Christi adventum ortæ sunt ad reformandam Ecclesiam. Ab ætate S. Augustini usque ad Lutherum aliæ 180 hæreses apparuerunt. A Luthero, an. 1517 ad an. 1595, Staphylus, Hosius, Puteolus aliique scriptores alias 270 novas sectas enumerarunt; quoad sectas ortas ab illa ætate ad nos usque, satis est percurrere quinque proluxa volumina

ortæ sunt, eamdem originem habuerunt, quod nempe earum parentes sibi visi sunt clare peculiarem suam interpretationem contineri in Scripturis, seu Scripturas sacras clare uniuscujusque præconceptum placitum seu potius inventum præ se fere. Cum vero sectæ omnes sibi invicem adversentur, hoc ipso patet, Scripturas haud claras esse, sed sacra veluti quadam caligine obductas, qua factum est ut tumidi isti scrutatores majestatis opprimerentur a gloria, totidemque se *factis* præberent testes illius obscuritatis, quam *dictis* scriptisque negabant.

161. Porro si Scriptura ea claritate non fulget, quam Protestantes fingebant, aut dicendum Deum verbum suum in has terras jecisse, ut illud, perinde atque hoc universum, traderet disputationi hominum, aut interprete certo ac tuto ipsum providisse, quo homines verum ejus sensum assequerentur, in iis præsertim quæ ad fidem moresque spectant. Cum vero prius illud absque impietate dici nequeat, posterius affirmemus necesse est (1).

Sive igitur ex auctoritate, sive ex intima ipsa rei natura, sive demum ex confessione agendique adversariorum ratione constat, quod ostendendum proposuimus, Scripturam sacram, in iis etiam quæ ad fidem et mores pertinent, non ita claram esse, ut interprete non indigeat.

#### DIFFICULTATES

162. Obj. prima. Utriusque Fœderis paginæ collineant in adstruenda Scripturarum claritate, præsertim circa fidem ac mores. Et 1<sup>o</sup> quidem ex Vet. Test. notissima sunt Deuteron. XXX, 11, verba : *Mandatum hoc, quod ego præcipio vobis hodie, non supra te est, neque procul positum.* Quibus concinens David, Ps. XVIII, 9, ait : *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos;* et Ps. CXVIII, 105 : *Lucerna, inquit, pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis;* et iterum v. 130 : *Declaratio sermonum tuorum illuminat et intellectum dat parvulis.* His

Grégoire, *Histoire des sectes religieuses*, nouvelle édit. Paris 1829.

(1) Cfr. Milner, op. cit. tom. 1, lettre VIII et IX.

congruit, quod legitur Prov. VI, 23 : *Mandatum lucerna est, et lex lux.* 2<sup>o</sup> Ex Novo autem Testamento id ipsum patet ab Apostolo Petro scribente, II ep. I, 19 : *Habemus firmiorem propheticum sermonem; cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.* 3<sup>o</sup> Quod si alicubi obscura prædicatur Scriptura, non absolute et in se, sed relative, ad pravam scilicet legentium dispositionem, id accipiendum esse declarat Apostolus Paulus, II Cor. IV, 3, dicens : *Quod si etiam opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, est opertum; in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi;* ergo.

163. Resp. *Neg. ant.* Objecta enim Scripturarum testimonia hanc ipsam, quam adversarii propugnant, Scripturarum claritatem eliminant. Etenim ne unum quidem ex illis est, quod eo sensu intelligendum sit, quo ea adversarii exponunt, ut ex responsione ad singula evidenter patebit.

164. Ad 1<sup>m</sup>, *Dist.* Mandatum, de quo agitur, non est, Dei gratia opitulante, ad observandum impossibile, *conc.*; facile aut difficile ad cognoscendum, *neg.* Nec enim hic agitur de intelligentia, sed de observatione divinorum mandatorum, ut liquet ex orationis serie (1).

165. Sic verba Psalmistæ et Proverbiorum continent legis seu mandatorum divinorum commendationem, *conc.*; exhibent claritatem Scripturæ Sacræ universim, *neg.* Addo, legem facilem æque ac difficilem intellectu dici posse; facilem quidem quoad verborum, ut ita loquar, corticem, quibus expresse quidquam vel præcipitur vel vetatur; ex. gr. cum dicitur : *Non occides,* quisque intelligere potest, quodlibet interdici homicidium voluntarium et injustum; difficilem vero, si spectentur illa, quæ implicite sub quolibet præcepto continentur. Atque ut in allato

(1) Cfr. Bellarm. *De verbo Dei*, lib. III, cap. 2, n. 2, 3; Becan. *Manuale contro.* lib. 1, cap. 1, quæst. 4, n. 7 et 8. Ipse protestans Knappius, in *Diatribæ in loc. Paulinum ad Rom. x*,

4-11, et *Mosaicum Deut. xxx*, 11-14, eandem exhibet interpretationem. Cfr. ejus *Scripta varii argumenti*, edit. sec. Halæ 1823, pag. 552-563.



insistamus exemplo, obscurum sane est, utrum præcepto illo, quemadmodum homicidium, sic odium, ira, rixæ, etc, interdicerentur, prout reipsa Christus exposuit, et Judæi minime intelligebant (1). Multo vero magis lex, prout vox isthæc in amplissima sua significatione usurpatur, complectens videlicet non præcepta solum moralia, verum judicialia quoque et cæremonialia, difficilis censenda est, quatenus typica erat et reconditiores sensus includebat. Hac ratione recte simul componuntur, quæ sibi invicem adversantia primo veluti intuitu de illa prædicari videntur. Interdum enim, ut ex adductis patet testimoniis, lex dicitur *lucida*, *lucerna*, *lux*, *lumen*, ex altera vero parte Propheta *lucem* ac *lumen* a Deo flagitat ad ejus legem scrutandam. Quæ quidem apprime inter se congruunt, si dicatur, legem in litteræ cortice, et prout expresse aliquid præcipit aut vetat, lumen ac lucem esse, imo lucidam prorsus et planam; prout vero implicite aliquid includit, et quoad multiplicem sensum ac mysteria, quæ sub littera delitescunt, obscuram existere, et ad ejus intelligentiam vel interiori illustratione vel interprete opus esse (2).

166. Ad 3<sup>m</sup>, *Neg.* Sane claritatem Scripturarum non evincit locus ex Petro allatus, qui et ipse obscurus est ita, ut Protestantes, dum verum ejus sensum assequi nituntur, in varias abeant sententias (3). Loquitur porro S. Petrus non de tota Scriptura,

(1) Cfr. Becan. loc. cit.

(2) De præceptorum Decalogi difficili ac profundo sensu et interpretatione argumentum ineluctabile suppeditant tot tractatus, qui ab institutoribus theologiæ moralis ad illorum explanationem in lucem editi sunt, qui tamen in pluribus non conveniant inter se.

(3) Integra huc refertur *Prolusio in loc. 11 Petr. 1, 19-21*. cit. Knappii, quæ tenet primum locum inter *Scripta vari argumenti*, ex qua patet, quam obscurus sit horum verborum sensus. Sic etiam Rosenmüller, in suis comment. in hunc loc. præterquam quod

adoptat expositionem Knappii, quam adducit, subdit: *Vaticinia Vet. Test. doctrinæ Prophetarum comparantur (a S. Petro) cum lucerna, quia monstrabant quidem viam salutis, sed obscure tantum. 'Αυχμηρὸς τόπος est locus siccus, siticulosus, desertus.* Plura item cfr. apud Pott in hunc loc. in *Novo Test. Græce perpetua annotatione illustrato*, edit. Koppianæ, vol. 11, fasc. 2, Gottingæ 1810, pag. 203 et seqq. ubi refert etiam aliorum Protestantium expositiones, quæ non parum inter se discrepant.

sed omnino de vaticiniis, quibus prænunciabatur Christus, quæque post ejus adventum majorem sunt claritatem et firmitatem adeptæ, eo ipso quod eventus responderit vaticiniis. Verum enimvero nec post eventum vaticinia illa eam claritatem obtinuerunt, ut interpretatione non indiguerint. Patet id ex Christo, qui Luc. XXIV, 27, illa interpretatus est duobus discipulis euntibus in Emmaus; ac præterea Apostolis sensum aperuit, ut intelligerent Scripturas, ibid. 45; Joannes fatetur, se et Petrum nondum *scivisse Scripturas*, quia oportebat Christum a mortuis resurgere (Joan. XX, 9). Post hunc etiam eventum interrogatus Eunuchus a Philippo, Act. VIII: *Putasne intelligis quæ legis? Qui ait: et quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Attamen de quonam agebatur nisi de prophetia Isaïæ, in qua sermo habetur de Christo? Patet præterea ex insequentibus verbis adducti testimonii, ubi Petrus pergit: *Donec dies elucescat, et lucifer oriatur in cordibus vestris; prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Nec enim auctoritate humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Ex quibus discimus, neque omnino claras esse prophetias, ut facile intelligi queant (ac propterea tenui lucernæ lumini comparantur ab Apostolo), neque ex proprio sensu eas esse intelligendas, sed eodem Spiritu, quo editæ fuerunt auctore (1).

167. Ad 3<sup>m</sup>, *Neg. suppositum*, quod scilicet Apostolus de Scripturis ibid. loquatur; etenim eo loci disserit de fide in Christum, quam *Evangelii* seu prædicationis evangelicæ nomine significat. Nec aliud hic sibi vult Apostolus, quam causam afferre, quare Judæi, præposteris abrepti judiciis, non crediderint in Christum, quamvis et antiqua vaticinia in ipso impleta essent, ac tot in divinæ ipsius missionis confirmationem miracula fuissent patrata (2).

(1) Cfr. Pott. loc. cit. pag. 206 et seqq. et Knappius, pariter loc. cit. qui fuse de hoc disserunt.

(2) Cfr. Estius, *Comm.* in hunc loc. ubi ad rem nostram scribit: *Nec vero*

*sentit Apostolus, Scripturam sacram solis infidelibus ac reprobis obscuram esse, fidelibus autem et electis manifestam, id est, ad intelligendum facilem ac perviam; quod ex hoc loco*



168. Obj. secunda. Non hæc stetit Patribus mens; hi enim passim miram Scripturæ sacræ claritatem commendant. 1<sup>o</sup> Exemplo sint S. Joan. Chrysostomus et S. Augustinus. Horum prior, *Hom. III de Lazaro*, comparationem instituens inter Philosophorum scripta et scripta Prophetarum et Apostolorum, ita scribit: *Apostoli vero et Prophetæ omnia contra fecerunt, manifesta claraque, quæ prodiderunt, exposuerunt nobis, velut communes orbis doctores; ut per se quisque discere possit, quæ dicuntur, e sola lectione* (1); et iterum, *Hom. III, in II Thesal: Quid enim, inquit, opus est sermone? Omnia sunt dilucida et recta, quæ sunt in divinis Scripturis; manifesta sunt, quæcumque sunt necessaria. Sed quoniam estis auditores delectationis, propterea hæc etiam quæritis* (2). Posterior vero, *De doctr. christ.* lib. II, cap. 6: *Nihil fere, scribit, de illis obscuritatibus eruitur, quod non plenissime dictum alibi reperitur.* Quod et Patres reliqui exemplo suo confirmarunt, dum probarunt sententias suas ex Scriptura. 2<sup>o</sup> Nec enim probari potest, quod notius est, ex minus noto; cum igitur Patres suas ex Scripturis assertiones probaverint, planum fit, ex ipsorum

sectarii quidam docere conati sunt. Neque enim de Scripturis intelligendis aut interpretandis hic agitur, sed de Evangelio palam prædicato; quod reprobis non recipiunt, sed electi: aut si recipiunt illud reprobis quidam, non ita tamen ut oportet; quia non ei acquiescunt, faciendo quæ lex Evangelii præcipit; aut si sic aliquando recipiunt, non id faciunt perseveranter. Itaque sensus est: *Quod si adhuc velatum est quibusdam Evangelium, quod prædicamus, dumtaxat iis qui pereunt, id est, reprobis, velatum est et occultum; ac si dicat: non ideo frustratur aut ministerium nostrum, aut intentio nostra; non enim propter reprobos, sed propter electos prædica-*

mus. Neque ab hac expositione abundant plerique interpretes protestantes, ut videre est in *Criticis sacris*, tom. VII, col. 1263 et seqq.

(1) N. 3. Οἱ δὲ ἀπόστολοι καὶ οἱ προφῆται τοῦναντίον ἅπαν ἐποίησαν σαφῆ γὰρ καὶ δῆλα τὰ παρ' αὐτῶν κατέστησαν ἅπασιν, ἅτε κοινοὶ τῆς οἰκουμένης ὄντες διδάσκαλοι, ἵνα ἕκαστος καὶ δι' ἑαυτοῦ μανθάνειν δύνηται ἐκ τῆς ἀναγνώσεως μόνης τὰ λεγόμενα. Opp. edit. Maur. tom. 1, pag. 739.

(2) N. 4. Διὰ τί γὰρ ὀμιλίας χρεῖα; πάντα σαφῆ καὶ εὐδιά τὰ παρὰ ταῖς θειαῖς γραφαῖς, πάντα τὰ ἀναγκαῖα δῆλα. ἀλλ' ἐπειδὴ τέρψεώς ἴστε ἀκραταί, διὰ τοῦτο καὶ ταῦτα ζητεῖτε. Ibid. tom. XI, pag. 528.



mente clariores adhuc Scripturas suis ipsis commentariis existere (1). 3<sup>o</sup> Sane quorsum dedisset Scripturam obscuram hominibus Deus, nisi ut inter eos jaceret aleretque discordiarum facem? Ergo.

169. Resp. *Neg. ant.* Quid enim Patres unanimiter senserint, superius exposuimus. Ad 1<sup>m</sup> prob. *Dist.* In *subjecta*, quam exponebant, *materia, conc.*; absolute et ad mentem adversariorum, *neg.* Itaque S. Joan. Chrysostomus in primo textu commendat Apostolorum et Prophetarum claritatem ob simplicem illam ac veluti nativam styli rationem, quam in scriptis suis exarandis adhibuere, quatenus alienos se præbuerunt a tumida verborum pompa, qua suas Philosophi effectabant efferre sententias (2); minime vero quoad profunditatem doctrinæ et sententiarum, quam S. Doctor in Scripturis admiratur et prædicat. Ceteris enim omissis, *Hom. XLI in Joan.* hæc scribit: *Neque dixit (Christus): Legite Scripturas; sed: Scrutamini Scripturas, quia ea, quæ de ipso ibi dicuntur, multa opus habent investigatione. Sub umbra enim quædam occulta veteribus erant. Ideo illos accurate fodere jubet, ut in profundo posita reperire possint; neque enim in superficie vel in conspectu jacent, sed quasi thesaurus quispiam, profunde admodum recondita sunt* (3). In

(1) Ita Lutherus, apud Bellarm. loc. cit. cap. 2, n. 2.

(2) It patet ex contextu; præmiserat enim immediate ante objecta verba: Οἱ μὲν γὰρ ἔζωον φιλόσοφοι, καὶ ῥήτορες, καὶ συγγραφεῖς οὐ τὸ κοινῇ συμφέρον ζητοῦντες, ἀλλ' ἕκαστος αὐτοὶ θαυμασθεῖεν μόνον σκοποῦντες, εἴ τι καὶ χρήσιμον εἶπον, καὶ τοῦτο, καθάπερ ἐν ζόφῳ τινί, τῇ συνήθει ἀσαφείᾳ κατέκρυψαν. Οἱ δὲ ἀπίστολοι, κ. τ. λ. Id est, *Siquidem ii, qui sunt a Christo alieni, dicendi artifices, rhetores ac librorum scriptores, non quod in commune conducit quærentes, sed illud spectantes ut ipsi sint in admiratione, etiamsi*

*quid utile dixerint, hoc quoque quem admodum in caligine quadam, consueta sibi occultarunt obscuritate. Apostoli vero, etc.*

(3) Ν. Ι. Οὐ γὰρ εἶπεν, Ἀναγινώσκετε τὰς γραφάς· ἀλλ', Ἐρευνᾶτε τὰς γραφάς· ἐπεὶ δὲ γὰρ τὰ περὶ αὐτοῦ λεγόμενα πολλῆς ἐδέϊτο τῆς ἐπιμελείας· συνεσκίαστο γὰρ ἄνωθεν συμφέροντος τοῖς τότε· διὰ τοῦτο καὶ διασκάπτειν αὐτοὺς μετὰ ἀκριβείας κελεύει νῦν, ἵνα τὰ ἐν τῷ βάθει κείμενα δυνήθωσι εὐρεῖν. Οὐδὲ γὰρ ἐξ ἐπιπολῆς εἶρητο, οὐδὲ ὑπὲρ τὴν ἐπιφάνειαν ἔρριπτο· ἀλλ' ὥσπερ τις θησαυρὸς ἐν πολλῷ τῷ βάθει κατέκειτο. Ibid. tom. viii, pag. 243.

altero autem textu, ut excutiat fidelium torporem in sacris evolvendis Scripturis illarum obscuritatem obtendentium, quadam amplificatione utitur, affirmans, plura in iis clara esse; cujusmodi sunt historiæ, ut ibid. subdit. Ceterum Joan. Chrysostomus, tum in *Hom. cit. de Lazaro*, concedit plura in Scripturis obscura reperiri, tum alibi causas aperit, quare Deus voluerit eas esse obscuras (1).

170. S. Augustinus in objectis verbis significare voluit vaticinia, quæ ante eventum obscuriora videbantur, lucem ex eventu fuisse adepta; sic etiam allusiones Novi Testamenti explicatas esse in textibus et historiis Testamenti Veteris, et vicissim figuras, quæ in Fœdere antiquo continebantur, in Nov. Test. fuisse adimpletas. Huc referuntur formulæ passim ab Evangelistis usurpatæ: *Ut adimpleretur quod dictum est; ut adimplerentur Scripturæ*, etc. (2). Talem fuisse mentem S. Doctoris, aperte patet ex notissimis ejus testimoniis, quibus profitetur, magnam in Scripturis reperiri obscuritatem. Satis hic sit ea afferre, quæ scripsit S. Doctor in eodem libro *De doctrina christ.* cap. 6, qui nobis objicitur: *Sed multis, inquit, et multiplicibus obscuritatibus et ambiguitatibus decipiuntur, qui temere legunt, aliud pro alio sentientes; quibusdam autem locis, quid vel falso suspicentur, non inveniunt, ita obscure quædam dicta densissimam caliginem obducunt.* Qui propterea seipsum, jamdiu in Scripturis exercitatum, profitetur, *in ipsis sanctis Scripturis multo nescire plura, quam sciat* (3).

171. Nunc vero juxta præmissam distinctionem addimus, etsi interdum Patres, ut fideles ad sacras perlegendas Scripturas allicerent, illarum variis in partibus claritatem commendarint,

(1) Cfr. *Hom. xxxii in Genes.* n. 1; *Hom. xv*, al. *xiv*, in *Joan.* n. 1, et alibi passim.

(2) Cfr. Bellarm. *De verbo Dei*, lib. III, cap. 2, n. 14 et seq.

(3) *Epist. lvi, ad Januar.* cap. 21, n. 38. Quatuor libri *De doctrina christiana*

a S. Augustino conscripti huc referuntur, ad exponendam scilicet difficultatem in intelligendis sac. Scripturis, et regulis tradendis ad rectam earundem intelligentiam, præsertim lib. III, ubi explanat septem regulas Tichonii.



nunquam eos id in sensu adversariorum præstitisse. Siquidem Protestantes ideo Bibliorum claritatem deprædicant, ut dogmaticum ac juridicum excludant interpretem, cum singuli fideles debeant, in eorum systemate, ex illorum lectione et privata interpretatione sua fidem sibi seu fidei articulos cudere; contra vero Patres continenter insistunt in principio auctoritatis asserendo, ac omnimoda fidelium subjectione interpretationi Ecclesiæ catholice commendanda (1).

172. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Probari non potest quod notius est a minus noto, si sermo sit de majori vel minori notitia in eodem ordine, *conc.*; in diverso ordine, *neg.* Porro Scriptura notior est commentariis Patrum ea notitia, quæ dicitur *certitudinis*; cum notiora sint quæ in sacris Litteris occurrunt, in quibus scilicet nullus subesse potest vel minimus error, quam ea quæ in scriptis habentur Patrum, quæ quidem tali certitudine non fruuntur. Notiora vero scripta Patrum sacris Litteris sunt ea notitia, quæ consistit in *perspicuitate* verborum ac sententiarum, quibus illi obscura Scripturæ effata explanant. Sic sophisma dissolvitur *Megalandri*, ut Lutherum suum Protestantes appellare delectat.

173. Ad 3<sup>m</sup>, *Dist.* Nisi Deus hominibus providisset interprete legitimo, infallibili ac jugiter vivente, *conc.*; si providit, *neg.* Itaque homines superbi ac tumidi ii sunt, qui sibi ex eo ipso mortem et exitium consciscunt, quod illis datum a Deo est ad vitam ac salutem. Recte accomodaveris Scripturæ sacræ oraculum Simeonis de Christo: *Ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum* (2). Resurrectio enim seu vita est Scriptura filiis obtemperantibus matri suæ, Ecclesiæ videlicet; ruina e converso ac mors iis omnibus perduellibus et pervicacibus, qui omnia sibi clara et perspicua in Scripturis esse jactant, seque propterea sibi solos sufficere, quovis Ecclesiæ magisterio superbe repudiato (3).

(1) Inter ceteros S. Augustinus, *De morib. Eccles.* lib. 1, cap. 1: *Quis enim, scribit, mediocriter sanus non facile intelligat, Scripturarum expositionem ab iis petendam esse, qui*

*earum doctores se esse præstentur?* Loquitur porro de Ecclesiæ pastoribus.

(2) Luc. 11, 34.

(3) Cfr. Nic. Spedalieri, *Analisi dell' esame critico del signor Nic.*



## PROPOSITIO II.

*Solius Ecclesie est dogmaticam præbere Scripturæ sacræ interpretationem.*

174. Dogmatica Scripturarum interpretatio, ex præmissis, in sui notione non objectum modo dogmaticum, res nempe fidei ac morum complectitur, verum etiam auctoritatem ex parte illius, qui eam edit, adeo ut in suo conceptu dogmatica interpretatio sit etiam *juridica*; debet enim, qui illam proponit, eo cogere fideles posse, ut intellectum suum subjiciant atque assentiantur. Jam vero solius Ecclesie esse ejusmodi præbere Scripturarum interpretationem, multiplicitate ex capite facile vindicantur. Ac 1<sup>o</sup> ex ipsa rei, de qua agitur, natura; etenim natura hujus interpretationis exigit, ut, qui eam præbet, certa possit atque infallibili ratione de vero Scripturarum sensu judicare, ac omnes præterea compellere ad huic assentiendum judicio. Hæc duo videlicet requiruntur, *infallibilitas* et *auctoritas*; ubi harum conditionum alterutra desit, nequit dogmatica dari interpretatio. Tolle siquidem infallibilitatem in germano dogmatico sensu assequendo Scripturarum, nullum jam reliquum est jus ad ejusmodi edendam interpretationem, eo ipso quod errori obnoxia sit, nec nisi majori minorive probabilitate aut verisimilitudine inniti queat. Tolle auctoritatem, et jam nemo adigi ad illam admittendam posset. Porro Ecclesiam solam binas hæc præ se ferre condiciones ex iis, quæ in superiori hujus tractationis parte disputavimus (1), apertissime constat, ac proinde hic demonstratum assumimus; ergo, concludimus, ex ipsa rei, de qua agitur, natura liquet, ad solam Ecclesiam spectare, dogmaticam exhibere Scripturæ sacræ interpretationem.

*Freret*, cap. 11, art. 4, ubi ad dissolvendam hanc ipsam difficultatem, objectam ab incredulis, invictè ostendit, revelationem necessario involvere et exposcere ideam tribunalis viventis, quod eam exponat. Cfr. præterea Bon-

frerius, et Serarius, loc. cit. qui varias causas ex doctrina Patrum assignant, quare Deus voluerit Scripturas obscuras esse.

(1) Part. 1, sect. 1, cap. 4, art. 2, prop. 1, et art. 3.

175. 2<sup>o</sup> Idipsum evincitur ex missione, quam Ecclesia habuit a Christo. Etenim Ecclesiæ commisit Christus non ministerium dumtaxat prædicandi Evangelium, docendique omnes gentes, sed insuper magisterium illi jure, infallibile atque perpetuum contulit, quo sartum ipsa tectumque inter fideles doctrinæ illius seu revelationis depositum sibi ab eo traditum conservaret. Hac de causa suam ei *adsistentiam* pollicitus est et præsidium, illisque eam dotibus communicavit, quas ei suo loco vindicavimus (1). Ergo hoc ipso eidem pariter commisit interpretationem dogmaticam Scripturarum. Nam, antequam Christi doctrina litteris consignaretur, eandem integram una cum recta ejus intelligentia jam tenebat ac possidebat Ecclesia; quando propterea illa, ex parte saltem, scriptis edita est atque vulgata, rectam ejusdem intelligentiam, seu verum sensum Ecclesia ipsa conservavit ac retinuit. Quo fit ut, si qua moveatur quæstio circa alicujus loci Scripturarum sensum, Ecclesiæ solius sit, vi propriæ missionis, dogmaticam ejus præbere interpretationem.

176. 3<sup>o</sup> Ex necessitate sapiendi seu dirimendi controversias, quæ circa legitimum Scripturarum sensum exoriri possunt, eadem veritas elucescit. Nam Scriptura, ex præcedenti propositione, in iis etiam, quæ ad fidem moresque pertinent, obscura sæpe est pluribusque sensibus obnoxia; quapropter opus est interprete infallibili et auctoritate pollente, qui controversias illas dirimere valeat, verum ac legitimum sensum suppeditando. Alioquin enim nullus unquam controversiarum exitus haberetur, et ancipites fideles animo esse deberent circa genuinum Scripturæ sensum, ex quo veritas in fidei dogmatibus aut moribus pendet. Etenim, ut rem exemplis illustrem, nonne ex legitimo Christi verborum sensu: *Hoc est Corpus meum*, fides pendet in realem ejus præsentiam in Eucharistia aut solum in ejus figuram? Nonne ex legitimo sensu verborum Jacobi: *Infirmitur quis in vobis?* etc. pendet fides in Sacramentum, aut in nudum ritum? Atque ita porro. Cum vero sola Ecclesia utraque illa polleat conditione, infallibilitatis scilicet et auctoritatis, aperte inde consequitur,

(1) Tum loc. cit. tum in tract. *De vera Relig.* part. II, prop. III. t. I, p. 224.



illam solam posse dogmaticam Scripturarum interpretationem legitime edere.

177. 4<sup>o</sup> Hoc demum ipsum conficitur ex perpetua ejusdem Ecclesiæ praxi. Vix enim exorta aliquando controversia est circa germanum Scripturæ sensum, qui fidei depositum quoquomodo attingeret, dum Ecclesia illico suam apposuit interpretationem ad eam dirimendam. Ita se gessit cum Docetis, qui ea, quæ Scriptura de vera Verbi incarnatione ac reali carne, passione ac resurrectione habet, interpretabantur de incarnatione fictitia, de carne umbratili et apparente, de apparente morte ac resurrectione, turbas undequaque cientes. Ecclesia vero eadem exposuit de rei veritate, illosque veteratores anathemate protrivit. Ita se gessit cum Cerinthianis, qui verum sensum invertabant illorum Scripturæ locorum, in quibus vera Christi divinitas prædicatur. Ita cum Gnosticis, Manichæis, Sabellianis, Arianis, omnibusque qui subsecuti sunt novatoribus. Quare, nisi asserere velimus, aut Ecclesiam illegitimam sibi usurpasse auctoritatem, aut Lutheri cæterorumque Protestantium ætate ipsam ab illa plane excidisse, fatendum est, facto ipso usuque perpetuo Ecclesiam ostendisse, sibi soli competere facultatem dogmaticæ edendæ Scripturarum interpretationis.

178. Hic vero omitti nequit magni momenti animadversio ex eo agendi modo petita, quem quovis tempore tenuerunt novatores, et quo assertio nostra mirifice confirmatur. Quoties enim actum est vel de hæreticis sibi anterioribus vel de hæresibus suæ contradictoriis, toties libenter agnoverunt novatores, Ecclesiam esse legitimum Scripturarum interpretem; tunc vero solum ejus auctoritatem recusarunt, cum eam erroribus suis seu privatæ suæ interpretationi adversantem experti sunt. Sic ex. gr. Ariani tanquam rectissimum probavere judicium, quod Ecclesia tulit adversus præposteras Gnosticorum et Sabellianorum Scripturæ interpretationes; Nestoriani prono animo amplexi sunt Ecclesiæ sententiam in Arianos prolatam; Pelagiani rata omnia habuerunt, quæcumque contra Nestorianos atque Eutychianos sanxisset Ecclesia; Protestantes denique fassi sunt, Ecclesiam legitimum Scripturarum sensum opposuisse arbitrariæ illorum omnium hæ-



reticorum interpretationi; atque ob auctoritatem Ecclesiæ dogmata tenuerunt de Trinitate, de Incarnatione, de gratiæ necessitate, aliaque ejusmodi.

179. Verum, quemadmodum Ariani, Nestoriani, Pelagiani negarunt, Ecclesiam, quoad sua ipsorum placita singillatim, legitimum esse dogmaticum interpretem, ita plane Protestantes, cum se ab eadem Ecclesia privatis suis interpretationibus circa Justificationem, Purgatorium, Sacramenta, aliaque id genus damnatos cernerent, Ecclesiam haud esse legitimum Scripturarum interpretem conclamarunt, eidemque spiritum uniuscujusque privatum, interiorum Spiritus S. illustrationem, Scripturam ipsam, et si quod aliud commentum est, suffecerunt. Ex qua demum agendi novatorum ratione colligitur, illos eodem ipso tempore, quo impugnabant solius Ecclesiæ esse dogmaticam præbere Scripturæ sacræ interpretationem, eandem tacite aut expresse Ecclesiæ prærogativam fuisse professos. Ast id semper quoad alios, nunquam vero quoad se; ita nempe sibi semper novatores consistunt (1)!

#### DIFFICULTATES.

180. Obj. 1<sup>o</sup> Non pauca Scripturarum effata excludunt Ecclesiæ magisterium ejusque interpretationem. Sic Matth. XXIII, 8, allo-

(1) Hoc argumentum egregie evolvit Moehler, in cit. *Symbolique*, edit. cit. tom. II, § 39, pag. 49, ubi inter cæteras hanc adjecit observationem: *Les siècles disparurent et les sectes avec eux. De nouveaux temps virent naître de nouvelles hérésies; mais toutes érigèrent le même principe fondamental, savoir que l'Écriture est la seule source de la vérité chrétienne, la seule règle de foi. Ce dogme commun à tous les sectaires, le même chez les Gnostiques du deuxième siècle, et chez les Vaudois du douzième, par les Ariens comme*

*par les Nestoriens; ce dogme enfanta les doctrines les plus contradictoires. Qu'y a-t-il en effet de plus opposé que le gnosticisme et le pélagianisme, que le sabellianisme et l'arianisme? Or la seule considération, que ce principe, toujours un, sans cesse le même, a sanctionné toutes les croyances, tous les égaremens, toutes les monstruosités; cette seule considération, disons-nous, devait faire voir qu'il recèle quelque profonde erreur, qu'il creuse un abîme immense entre l'Écriture et l'individu.*

quens Christus discipulos suos, ait : *Vos autem nolite vocari rabbi; unus est enim magister vester... nec vocemini magistri; quia magister vester unus est Christus*; et Joan. V, 34 : *Ego non ab homine testimonium accipio*; et ibid. VII, 17 : *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit*; et rursum ibid. X, 27 : *Oves meæ vocem meam audiunt... et sequuntur me*. Quapropter Actus apostolici, XVII, 11, nobis exhibent eos, qui incolebant Berceam, *quotidie scrutantes Scripturas, si hæc ita se haberent*, uti nempe eis prædicabat Paulus. Quomodo vero hæc aliaque his similia non pauca consistere cum dogmate de suprema Ecclesiæ auctoritate possunt in interpretatione Scripturarum? 2<sup>o</sup> Accedit, quod in hypothesis Catholicorum Ecclesia esset supra Scripturam; 3<sup>o</sup> fideles non verbo Dei, sed verbo hominum inniterentur, dum fidei actum elicerent, cum tamen doceat Apostolus, nos superædificatos esse *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum* (1); non esset amplius purum verbum Dei regula nostra; 4<sup>o</sup> Verbum Dei robur ac firmitatem suam a verbo hominum acciperet; quæ quidem absurda sunt omnia. Ergo.

181. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Neg.* vel *Dist.* Juxta privatam Protestantium interpretationem, *conc.*; per se, *neg.* Prius scilicet Protestantes, non secus ac hæretici reliqui, talem Scripturarum testimoniis sensum affingunt, qui sibi magis arrideat; deinde vero juxta gratuito confictam interpretationem ea pro se adversus Catholicos allegant. Hoc semper vitio laborent necesse est Protestantium interpretationes. Ceterum nec unum est ex objectis testimoniis, quod aliqua ratione impetat catholicam doctrinam. Si enim excipias, quod ex Actis apostolicis opponitur, in reliquis nusquam aut de Scripturis aut de Scripturarum interpretatione fit sermo, ut ex perbrevis singulorum examine facile patefiet.

182. Christus enim, Matth. XXIII, ut liquet ex orationis serie, tantum excludit a discipulis suis ambitiosam magistri denominationem, quam affectabant Pharisæi, quos hic arguit; alioquin non dixisset : *Qui vos audit, me audit... eantes Jocete* (2).

(1) Ephes. II, 20.

(2) Luc. X, 16; Matth. XXVIII, 19.

183. Joan. V, profitetur Christus, se non indigere Joannis Baptistæ testimonio, ad divinam suam missionem comprobendam, quam Pater tot signis patefecerat (1).

184. Joan. VII, pariter loquitur Christus de divina missione sua, deque cœlesti origine doctrinæ suæ, suosque provocat auditores ad experientiam per executionem divinæ voluntatis, ex qua deprehendere possent, doctrinam quam eis proponebat, esse divinam, non autem ex arbitrio atque humano sensu confictam (2). Jam vero quid hoc commune habet cum Scripturarum interpretatione?

185. Joan. X, significat Christus oves dociles, quæ ei scilicet obtemperant, eumque tanquam pastorem præeuntem sequuntur, agnoscendo in persona sua Messiam (3). Hæ porro interpretationes ab ipsis recentioribus exegetis protestantibus datæ sunt, ex quibus patet, eos jam deserere expositiones illas, quibus ipsorum antesignami nitebantur excludere interpretationem dogmaticam Ecclesiæ, ut ei sensum privatum seu privatam interpretationem subrogarent.

186. Berœenses porro, de quibus agitur in Actis Apostolorum, nondum fideles erant, cum scrutarentur Scripturas; dum vero eas excutiebant, non ad inquirendum hunc alterumve contrarium Scripturæ sensum id præstabant, sed ad motiva expen-

(1) Cfr. Maldonat. in hunc loc. Sed præstat huic adjungere interpretem protestantem, scilicet Kuinoëlium, qui objecta verba ita exponit: *Non hæc dixi tanquam cupidus honoris, quem humana laudatio præbet. Non capto hominis ullius, neque adeo, Joannis a vobis repudiati testimonium, sed hæc dixi, testimonii Johannæi mentionem feci, ut vos servemini, οὐ μαρτυρίαν λαμβάνα παρὰ ἀνδρώπων, non aucupor commendationem humanam.* Quidquid porro sit de ejusmodi frigida expositione, ad rem nostram quod attinet, patet, saltem Christi verba

nihil cum Scripturarum interpretatione habere commune.

(2) Cfr. auctores citt. Kuinoël item sic enarrat objectum hunc locum: *Afirmaverat Jesus, v. 16, suam doctrinam esse divinam. Jam duo hanc in rem argumenta affert, alterum internum ex ipsius doctrinæ indole et præstantia petitum, v. 17, alterum externum, suam ipsius agendi rationem, qua doceat, se non suæ, sed Dei tantum gloriæ prospicere.*

(3) Hæc pariter est interpretatio Kuinoëlii. Eandem sequitur Rosenmüller.



denda credibilitatis, ut christianam religionem profiterentur. Cum enim Apostolus cetera inter motiva et illud proponeret, quod ex vaticiniis in Christo adimpletis exurgit, Scripturas idcirco scrutabantur, quo certiores fierent, *si hæc ita se haberent*. In hoc porro commendatione digni erant.

187. Ex levi hoc specimine elucet, quot contorsionibus et cavillationibus subsit Scriptura, si privatorum hominum relinquatur arbitrio; et quomodo consistere possint tum objecta loca tum alia quælibet Scripturarum testimonia cum thesi, quam teamur, cum eam ne leviter quidem attingant.

188. Ad 2<sup>m</sup>, *Neg.* Non magis enim supra Scripturam est Ecclesia, cum præbet authenticam ac juridicam dogmaticam interpretationem, quam judex supra legem sit, cum ejus sensum authentice et juridice in iis qui occurrunt casibus ad litem, de qua agitur, dirimendam declarat. Sæpe namque, ut vidimus, Scriptura obscura est; fieri proinde facile potest, ut nos in vero ejusdem sensu assequendo, præsertim in rebus fidei, decipiamur, sic ut privatum ac subjectivum sensum seu humanæ mentis nostræ conceptum auctoritati divinæ surrogemus. Itaque, ne in gravi adeo negotio huic deceptioni subdamur, Ecclesia, infallibilitate a Christo prædita, suppeditat nobis dogmaticam Scripturæ interpretationem; sicque certi efficimur, nos purum Dei verbum sequi, illique obtemperare in aliquo, quod ab illa pendeat, dogmate profitendo. Quo fit ut per dogmaticam interpretationem Ecclesia quidem sit supra quamlibet privatam cujusque nostrum interpretationem, in qua labi possumus ac decipi, minime vero supra ipsum verbum Dei, quod absonum esset ac absurdum. Attamen Protestantes stultam ejusmodi difficultatem serio adhuc urgere non desinunt!

189. Ad 3<sup>m</sup>, *Neg.* ex modo dictis, ex quibus potius colligitur, vere protestantes in eo, quod tuentur, systemate, hominum verbo inniti; dum privata ac fallibili interpretatione unice suffulti aliquod putant fidei dogma profiteri. Cum enim elementum humanum elemento divino facile substitui possit, dum rentur se credere ex auctoritate divina, reipsa nisi ex auctoritate humana non credunt. Ab hoc autem periculo prorsus Catholici liberantur, ac

certi sunt, se fundatos esse *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum* : dum Protestantes vereri jure optimo debent, ne sint fundati super fundamentum Lutheri, Calvini, Zwinglii, Socini, Wesleyi, aliorumque ejusdem furfuris hominum, qui sese duces cæcorum constituerunt.

190. Ad 4<sup>m</sup>, *Neg.* Sed nos robur accipimus ac firmitatem ex verbo Dei; de cujus vero sensu certissime per dogmaticam Ecclesiæ interpretationem liquet. Ecclesiæ quippe infallibile magisterium semper et unice exercetur quoad nos. Scriptura autem, siquidem verbum Dei, incapax est intrinseci incrementi auctoritatis, cum totam, qua pollet, auctoritatem habeat ex sese; verum non ita se res habet quoad nos, qui nempe regula proxima certa atque infallibili indigemus, qua certi efficiamur, quænam Scripturæ sint, quæ contineant verbum Dei, et quinam verus ac genuinus ejusdem sensus existat. Hoc porro illud est quod præstat Ecclesia, ejusdem custos et interpretes a Deo ipso constituta, ne in errorem dilabamur.

### PROPOSITIO III.

*Protestantes, abjecta Ecclesiæ auctoritate, nunquam certi esse possunt de dogmatica Scripturarum interpretatione.*

191. Hæc propositio ex præjecta notione de interpretatione dogmatica et ex disputatis in præcedenti propositione suo veluti ex germine efflorescit.

Etenim, si dogmatica Scripturarum interpretatio illa est, quæ non solum pro objecto habet veritatem aliquam ad fidem morseve spectantem, sed in suo præterea conceptu involvit juridicam et infallibilem auctoritatem, quæ dubium quodvis excludat, ac vim habeat illos, quibus proponitur, cogendi ad assensum præbendum, cum præter Ecclesiam talem vindicare auctoritatem sibi possit nemo, necessario inferitur, Protestantes, qui auctoritatem abjiciunt Ecclesiæ, nunquam posse certos esse de dogmatica Scripturarum interpretatione.

192. Neminem porro præter Ecclesiam sibi juridicam illam ac infallibilem posse auctoritatem tribuere, qua se aliosque ad certo assentiendum privatæ interpretationi adducere queat, facile evincitur, sive ipsam rei naturam expendendo, sive systemata a Protestantibus singillatim excogitata, sive demum perpetuam ipsam adversariorum agendi rationem.

193. Ut autem a primo incipiamus, evidens est, neminem privatum id sibi arrogare unquam posse, quod toti denegat Ecclesiæ; nam, si Ecclesia universa decipi potest in vero Scripturarum sensu assequendo, profecto qui stultus et amens plane non sit, fateri debet, multo magis quodlibet individuum falli posse. Idem de auctoritate dicas oportet; nam, si neque Ecclesia ipsa in aliquem potest exercere auctoritatem juridicam, ita ut hic subijci ejus dogmaticæ interpretationi teneatur, multo eam minus exercere privatum quolibet ejusdem Ecclesiæ individuum valebit. Quare jure optimo Rousseau sic perstringebat Genevensis cœtus pastores: *Demonstretur mihi, meam auctoritati cuicumque rationem subijcere me debere* (in fidei negotio), *et cras catholicus ero* (1). Vel ipse nimirum communis hominum sensus hoc dictat. Quod si nemo sibi arrogare infallibilitatem et auctoritatem potest, jam sequitur, nemini certo constare posse de qualibet dogmatica Scripturarum interpretatione, ita ut quodvis dubium tum a se tum ab aliis amovere queat; imò nec ipsa quidem dogmatica interpretatio fingi ac concipi animo valet.

194. Neque id minus evidenter colligitur, si rite expendantur singula a Protestantibus invecta systemata circa dogmaticam Scripturarum interpretationem. Hæc enim, ut vidimus, sunt aut Scriptura ipsa, aut solus spiritus privatus, seu, ut modo loqui adamant, individualis ratio, aut spiritus privatus, per interiorem illustrationem a Spiritu S. unicuique communicatam edoctus, vi cujus certus quisque efficiatur de vero sacræ Scripturæ sensu, independenter ab Ecclesiæ definitione, aut etiam adversus illam.

(1) En ejus verba: *Qu'on me prouve que je dois soumettre ma raison à une autorité quelconque, et dès demain je*

*suis catholique.* Apud auct. opusc. cit. *Le ministre, etc.* pag. 81.



Hæc præcipua sunt systemata, ad quæ cætera, si quæ sunt, revocari facile possunt.

195. Porro minime talem esse Scripturam posse, patet 1<sup>o</sup> ex eo, quod ipsa mortua sit, nec sententiam dicere valeat, si qua circa rectam sui intelligentiam controversia oxoriatur. Patet 2<sup>o</sup> ex eo, quod controversiæ omnes præcise versentur circa ejusdem Scripturæ sensum; cum nullus unquam hæreticus extiterit, qui non appellaverit ad Scripturam, quam sibi aperte adstipulari pro certo sumpsit (1). Sane Lutherani, Anabaptistæ, Calvinistæ et Zwingliani ad unum omnes solam Scripturam controversiarum judicem statuerunt; harumque sectarum quælibet proferebat in medium testimonia, ut sibi quidem videbantur clarissima, ad proprios errores adstruendos. Attamen in perpetuo semper conflictu inter se fuerunt circa præcipuos doctrinæ articulos, de reali Christi præsentia in Eucharistia, de Baptismo infantium, de justificatione, prædestinatione aliisque non paucis, quamdiu doctrinam aliquam positivam sectæ istæ retinuerunt (2). Quod

(1) Apposite jam ætate sua de hæreticis scribebat S. Augustinus *Epist. cxx, ad Consentium*, n. 13: *Omnes enim hæretici, qui eas (Scripturas) in auctoritate recipiunt, ipsas sibi videntur sectari, cum potius suos sectentur errores; ac per hoc, non quod eas contemnant, sed quod eas non intelligant, hæretici sunt.* Et clarius adhuc, *De Genes. ad litt.* lib. vii, cap. 9, n. 13: *Neque enim, inquit, non omnes hæretici Scripturas catholicas legunt; nec ob aliud sunt hæretici, nisi quod eas non recte intelligentes, suas falsas opiniones contra earum veritatem pervicaciter asserunt.* Antiquus vero anonymus auctor, apud Th. Moore, op. cit. pag. 78, 79: *Unam, scribit, perpetuo Scripturam clamitant; sed ubi ventum est ad eam, auditis, quomodo le-*

*gunt. Tam aperta sunt verba; in omnibus Evangelistis sunt eadem. Omnia tamen pervertunt, omnia ad hæresim suam trahunt.*

(2) Dixi: *Quamdiu doctrinam aliquam positivam sectæ istæ retinuerunt;* nam exploratum est, eas nunc demum in desperationem actas non nisi negativam profiteri, quæ scilicet consistat in rejectione catholicæ doctrinæ; atque exinde profluxit illa omnium sectarum externa saltem confœderatio, qua inter se convenerunt, sub generali Protestantismi denominatione, adversus Ecclesiam catholicam; in hoc consistit ipsarum vis, in negatione nempe fidei catholicæ ejusque oppugnatione. In ceteris unaquæque pacifice sectatur opinionem suam; nec enim amplius agitur de fide.

vero diximus de hujusmodi sectis, affirmandum pariter est de sectis, quæ iis præcesserunt, æque ac de Protestantismi innumeris, ut ita dicam, frustulis; quandoquidem eadem apud eas omnes agendi ratio ubique se prodidit. Si igitur nonnisi absurde ille statui veluti interpres seu iudex posset; qui litibus ipse causam præbisset; apertum est, nonnisi absurde affirmari posse, Scripturam solam esse suimetipsius interpretem iudicemque controversiarum. Patet denique 3<sup>o</sup>, ceteris omissis, ex quadam inter religionem et politicum regimen analogia. Qui enim in regimine politico, dum lis agitatur, solam contenderet legem seu codicem esse interpretem et iudicem sui, ac propterea sese magistratuum sententiæ subjicere velle abnueret, is omnium consensu amens ac stolidus censeretur. Haud alia porro est amentia et stoliditas Protestantium, qui solum ac purum Dei verbum scriptum sui ipsius interpretem, fideique controversiarum iudicem esse conclamant (1).

196. Neque vero spiritus privati seu rationis individualis systema felicius est præcedenti, quod excussimus. Etenim non modo interpretatio, quæ a spiritu privato seu ratione individuali profisciscatur, dogmatica esse non potest, quia intrinseca destituitur infallibilitate et necessaria auctoritate, sed præterea 1<sup>o</sup> religionem scindit, cum unusquisque diversa fere ab alio ratione, prout animo *subjective* affectus est, eandem rem videre deque ea iudicium ferre soleat, ex quo tot necessario interpretationes oriuntur, quot capita existunt (2). 2<sup>o</sup> Illud systema dubium et in-

(1) Cfr. Becan. *Manuale contro.* lib. 1, cap. 5. Si quis quæreret a Lutthero, quare ipse, monachus cum fuerit et voto continentiae adstrictus, duxerit in conjugium Catharinam Boream sanctimoniam, responderet, uti reipsa respondit, quia scriptum est, Gen. II, 18: *Non est bonum esse hominem solum.* Si quis ab anglico consilio procerum (*parlamento* seu *camera*) sciscitaretur, quare sanxerit divortium Henrici VIII

cum Catharina, reposuisset, quia scriptum est, 1 Reg. I, 5: *Quia Annam (Boleyn) diligebat.* Et ita porro.

(2) Id paulo ante vidimus admissum a Moshemio ipso, cujus verba dedimus. Sane exinde profluxerunt Quakeri, Parritani, Anabaptistæ, Baptistæ, Arminiani, Gomaristæ, Antilapsarii, Postlapsarii, Superlapsarii, Non-conformistæ, Terministæ, Servelistæ, Bissacramentistæ, Collegiales, Congregationistæ, Com-



constantiam promovet in eodem subjecto, ut experientia aper-  
tissime docet; pronum quippe homini est sententiam mutare,  
quodque sibi hodie videtur certum, cras ut falsum repellere.  
Atque hujus sane inconstantiae haud pauca præbuit exempla  
Lutherus, dum ejusmodi systematis vestigiis inhæsit (1); atque,  
ut silentio prætereamus; quæ de Melanchthone, aliisque Pro-  
testantibus sive antiquioribus sive recentioribus possent afferri,  
qui in perpetua veluti æstuosi maris fluctuatione versati sunt et  
adhuc versantur, satis sit exemplum petere ex Wesleyo Metho-  
distarum parente, qui nimirum sexies dogmata sua immutare  
non dubitavit (2). 3<sup>o</sup> Spiritus privati systema recta ducit ad soci-

municantes, Episcopales, Presbyteriani, Dissidentibus, Laicocephali, Trisacramentarii, Pastoridæ, Uncti, Pajonistæ, Majoristæ, Syncretistæ, Synergistæ, Abecedarii, Patelistæ, Adiaphoriti, Osian-  
driani, Antidophoristæ, Hernhutistæ, Moravi, Gabrielistæ, Anabaptistæ, Sanguinarij, Monasterienses, Nudipedi, Venatores Hollandici, Cornharistæ, Dissidentes Poloni, Infernales, Davidistæ, Georgiani Energistæ, Familistæ, Hottmanistæ, Adrianistæ, Ambrosiani, Heususiani, Amdorfiani, Antinomii, Boreclitæ, Arrhabonarii, Archontici, Borignonistæ, Particularistæ, Islebiani, Ubiquistæ, Confessionistæ, Philippistæ, Methodistæ, Unitarii, Rationalistæ, Mythici, etc. etc.

(1) Lutherum, Scripturis innixum, in omnibus fere doctrinæ articulis sententiam mutasse, notissimum est ex controversiis Bellarmini, qui passim has mutationes eidem exprobrat, nec dissimulant ejus asseclæ. Ast Lutherus inconstantiam quidem suam prodit et principii a se adoptati falsitatem, nunquam tamen hanc suam agendi ratio-

nem in principium evertit; veram ætate hac nostra Schleyermacher, Lutheri discipulus ac professor Berolinensis, adstruxit, Scripturam mutari singulis quindecim annorum periodis; quod et exemplo suo ostendit, siquidem an. 1820, juxta ipsum, ea docebat divinitatem Christi Jesu; anno vero 1835, juxta eundem, Scriptura docet Christum Deum non esse. Hæc leguntur in ephemeridibus quæ ab Umann, professore Halensi, et Umbreid, professore Heidelbergensi, editur, cui tit. *Studia et critica*. Cfr. Moehler, *Symbol.* tom. II, § 42, pag. 80, cum nota interpr. Celebris vero De Wette, in op. *Theologia et Religio*, pag. 274, scribit: *Ce serait rétrograder d'une manière dangereuse, que de vouloir imposer à l'église protestante un corps de doctrines stationnaires, tel que celui de l'Église catholique. Un tel projet serait aussi contraire à l'esprit du siècle; d'ailleurs il n'est exécutable que sous un chef de toute l'église protestante.* Apud *Ministre*, etc. pag. 130.

(2) Wesleyus, Methodistarum pa-



nianismum ac rationalismum; nam semel ac ratio individualis fit Scripturarum interpret, eas sibi omnino subjicit, et ad normam suam subjectivam exigit, quo fit ut, quidquid supernaturale est, vel rejiciat, vel naturali modo interpretetur, aut ad mythos amandet (1). Sane Sociniani mysteria omnia sustulerunt de medio; rationalistæ præterea omnia miracula et vaticinia, ac notionem denique ipsam revelationis atque inspirationis penitus evelerent. 4<sup>o</sup> Demum nihil tam absurdum et impium est circa principia sive speculativa sive practica, in quod ejusmodi systema suapte natura non perducatur, ut historia Protestantismi luculenter ostendit, ex qua discimus, alios docuisse Deum esse auctorem peccati; alios, Deum pro lubito suo homines ad æternam perditionem condidisse; alios, bona opera non solum inutilia existere ad salutem, sed omnino noxia; alios, ad justitiam prodesse peccata (2); alios, Christum fuisse veteratorem (3), imo christianismi tantum *ideam* fuisse, cujus Paulus extitit *realitas* (4),

rens, prius fuit fervens anglicanus, deinde fluctuans incertus, postea fere papista, ut ipse loquitur, a Petro Bohler deinceps moravianismo addictus; factus Moravus, vaticinatus est, se in perpetuum in hac professione mansurum; attamen paulo post professus est calvinismum antinomianum; demum ætate proventus invenit speciem methodismi. In his porro perpetuis transitionibus semper innixum se profitebatur Scripturarum seu verbi Dei puri auctoritati. Cfr. Dan. O'Connel, *A full Report of the proceedings of the great catholic meeting of the catholics of London, held at the Free Masons Hall, on the 15 day of July 1839*, Published by Thomas Jones, n. 63, seu *Plena relatio eorum, quæ gesta sunt in magno catholico congressu Catholicorum londinensium, habito in aula liberorum muratoriorum nuncupata*, etc.

(1) De hoc argumento ex professo agemus in tertia parte hujus tractatus.

(2) De his omnibus documenta dedimus, tum in tract. *De vera relig.* part. II, prop. IX, tum in hujus tractat. part. I, cap. III, prop. II, n. 243 et seqq. et not. appositis, t. VIII, p. 147.

(3) Cfr. Roselly de Lorgues, *De la mort avant l'homme*, Paris 1841, pag. 40.

(4) Ibid. pag. 38. En quomodo isti ratiocinentur, apud hunc auctorem: *D'après la loi du développement et de la progression arithmétique, le premier terme d'une série ne pouvant être plus grand que celui qui la termine, l'idée évangélique a dû être nécessairement inférieure dès son début à celle des intelligences actuelles. Conséquemment nous sommes forcés d'admettre, que le christianisme, d'abord l'œuvre de Jésus, a été travaillé par les Evangé-*

aliaque sexcenta impia et blasphema errorum portenta effutiisse, quæ vel referre tædet ac pudet. Porro hæc omnia aliaque ejusmodi ex systemate interpretationis per spiritum privatum seu rationem individualement præstandæ ita profluxerunt ac profluunt, ut ejusdem systematis vi argui falsitatis nunquam possint, ac omnia propterea Protestantismo ipsi tribui par sit (1).

197. Postremo, quam fallax systema sit de Spiritus S. interiori illustratione atque interpretatione dogmatica Scripturarum sacramentorum illius ope præbenda, pluribus persequi opus non erit. Etenim experimento ipso constat, ejusmodi systema homines in apertam animorum conflictationem inducere, fovere *enthusiasmum*, ut vocant, ac fanaticum, ad infanda quæque scelera propellere, ac demum ad ipsam Scripturam explodendam. Et sane 1º pertrahi homines hoc systemate in apertas conflictationes, liquet ex eo, quod ii omnes, qui sese Spiritu S. illustratos in Scripturis exponendis jactabant, contradictoria docuerint, eidem licet Scripturæ innixi; Lutherani ex. gr. propugnabant pædobaptismum, eundem execrabantur Anabaptistæ; Lutherani item contendebant, omnes indiscriminatim, ne dæmone quidem excepto, Sacramentorum esse administratos posse, Calviniani, Scripturis pariter Spiritu Sancto, ut sibi blandiebantur, inspirante intellectis, arcebant fœminas a collatione Baptismi, etiam ubi instaret necessitas; Lutherani *suo* Spiritu Sancto docente, absolutam tuebantur Baptismi necessitatem ad salutem, Calviniani eodem Spiritu illustrati eandem negabant quoad filios fidelium, et ita porro. Igitur non Spiritus S. qui *Spiritus veritatis* est, sed homines fallaci hoc systemate obcæcati sibi tribuerunt Spiritum S. ad

*listes, puis par S. Paul et les évêques des premiers siècles. Or, comme un homme ne peut mieux faire qu'un Dieu, et que Paul, apôtre, en fondant réellement le christianisme, a fait plus que Jésus, donc Jésus n'est pas Dieu. Il est l'idée, et Paul la réalisation. Cfr. etiam Moore, pag. 423.*

(1) Jam alias animadvertimus, hoc

discrimen interponi inter errores Catholicorum individuorum et errores Protestantium, quod illi nunquam tribui possint catholicæ doctrinæ, quæ tota innititur principio auctoritatis; isti semper tribui debeant Protestantismo, qui totus innititur principio individualis discussionis et examinis. Illi propterea a regula corrigi possunt, isti nequaquam.



errores omnigenos comminiscendos ac invehendos. 2<sup>o</sup> Animi item furorem seu fanaticum ejusmodi systemate in primis foveri, Protestantismi abunde docet historia. Quanta enim eapropter sectariorum copia ex ipso Protestantismi sinu veluti crabronum agmina pullularunt, a quibus ille in totidem veluti frustula misere scissus est! Cui non noti Storchius, Stubnerus, Muncerus, Cellarius, sectæ anabaptisticæ antesignani (1); Menno item Simonis, auctor Mennonitarum sectæ (2); Georgius Fox, sectæ Quakerorum parens, aliique pene innumeri, quorum longum nimis foret catalogum texere (3)? Jam vero hi omnes Spiritu S., ut ipsi sibi facile suadebant, edocti, perduellionis vexillum adversus Protestantismum, quem primitivum dixeris, erexerunt, bellumque mutuum et atrox inter se concitarunt, quamquam cuncti a Spiritu S. in Scripturis interpretandis agerentur. 3<sup>o</sup> Impelli hac ipsa persuasione ad infanda crimina exinde liquet, quod non pauci tali furore correpti interdum sese a Deo excitatos proclamant ad populos a servitutis, dominationis nimirum politicæ, jugo eripiendos (4), ad regnum Messix, seu quintam in terris monarchiam fundandam, se novos prophetas dicitaverint, ut hominibus suaderent, se liberos esse a proprietate; ut vocant, honorum, proprietate uxorum et proprietate superstitionis cum iis, quæ

(1) Cfr. Moëhler, *Symbol.* liv. second, § 54, introd. tum chap. 1, *Les Anabaptistes ou les Mennonites*, § 55, ubi de illis fanaticis scribit: *Dans tous leurs crimes ils se croyaient les instrumens du Saint-Esprit.*

(2) *Ibid.* § 62.

(3) *Ibid.* § 64 et seqq. præsertim vero § 65, *Système des Quakers-Lumière intérieure*; et § 66, *Effets de la lumière intérieure.*

(4) Cfr. Milner, op. cit. tom. 1, lettr. vi, ubi documenta plurima inveniunt. Sane J. Bockold se proclamavit regem Sionis, Monasterii potitus est, undecim simultanee uxores duxit, quas

omnes postea interemit sub inspiratione Spiritus Sancti. Hermann, a suo Spiritu S. impulsus, se declaravit Messiam, clamans auditoribus suis: *Occidite sacerdotes; occidite magistratus in mundo; pœnitentiam agite, appropinquat redemptio vestra.* David Georgius persuasit multitudini, doctrinam Vet. et Novi Testamenti imperfectam esse, suam vero esse perfectam, ac se *verum esse Dei filium.* Nicolaus, discipulus David Georgii, se conferens in Angliam ex prætensa Dei jussione, docuit homines, essentiam religionis consistere in sensu amoris divini; et quidquid refertur ad fidem et cultum, nullius esse momenti;



indidem promanant, turpissimis consecrariis (1). 4<sup>o</sup> Postremo homines induci ad Scripturam omnem abjiciendam, consequitur ex eo, quod, si Spiritus S. docet interius homines veritatem necessariam ad salutem, quid ullo amplius exteriori adminiculo opus erit, cum hoc vim atque efficaciam suam ab ejusmodi inspiratione unice mutuetur? Sane Anabaptistæ rejecerunt Scripturam, quæ nempe cum erroribus eorum conciliari non poterat, velut apocrypham (2). Eadem se gessit ratione Swedenborgius, qui non alios libros sacros admisit præter Evangelia et Apocalypsim, vocavitque regnum Christi *regnum tenebrarum* (3).

198. Ex levi hac veluti adumbratione consecratorum, quæ ex principio de interiori Spiritus S. illustratione tamquam Scripturarum dogmatico interprete ac fidei regula proficiscuntur, non solum hujus doctrinæ absurditas patet, verum etiam causa facile eruitur illius agendi rationis, cui sectarii in fidei negotio inhærent, prout postremo loco expendendum suscepimus. Cum enim Protestantes compererint, imo penitus senserint, quælibet ejusmodi a se invecta systemata rem minime conficere, quam sibi proposuerant, constituendi videlicet regulam firmam, certam ac infallibilem, qualis ad gignendam fidem plane requiritur, nunquam in eodem statu constiterunt atque consistunt. Æstuanti mari per similes, modo orthodoxum, ut vocant, Protestantismum profitentur, modo in omnimodam libertatem dilabuntur, adeo ut quamcumque fidem subruant; interdum proclamant libertatem

idem docuit circa principia fundamentalia moralis doctrinæ; profitebatur, se in peccato permanere, ut gratia in seipso abundaret, etc. Vere tædet in his referendis immorari. Cfr. præterea Grégoire, *Hist. des sectes*; Mosheim, *Hist. eccl.* vol. IV, pag. 484 et seqq. Gerard. Brandt. *Hist. abrégée de la réforme*, etc.

(1) Cfr. Moehler, *Symbol.* tom. II, § 60.

(2) Cfr. *Ibid.* § 59. Hic etiam inter cetera refert, novos hos prophetas, a

Spiritu Sancto afflatos, adversus reformatores protestantes clamasse: *Vous enchaînez l'esprit vivant à la lettre morte; vous repoussez l'impulsion divine et suivez la sagesse humaine; Phariséens du siècle, vous rejetez le Saint-Esprit, pour vous amuser avec l'Écriture.*

(3) *Révélationes divines, publiées par Swedenborg*, trad. en allem. par Imman. Tafel, Tubing. 1824, vol. II, pag. 36. *Ibid.* § 84.

examinis, interdum urgent fidei symbolicae professionem; nunc dogmata amplectuntur, nunc respuunt veluti accidentales formas, sine quibus religio quoad substantiam consistere valeat; modo cum *Pietistis* et *Mysticis*, quos vocant, in plena versantur fidei obiectivæ indifferentia, nec nisi affectum seu sensum quemdam religiosum sectantur; modo demum cum rationalistis et mythicis omni prorsus supernaturalismo valedicunt. Nempe quo se vertant, seu verius, dolenter dico, quo corruant nesciunt (1).

199. Ut igitur paucis, quæ fusius pro rei gravitate disseruimus, complectamur: Omnes conveniunt fidem theologiam absque regula aliqua proxima et infallibili, cui sese homines subjicere debeant, haberi haudquaquam posse. Jam vero sublata seu rejecta Ecclesiæ auctoritate, hæc nusquam apparet, non in Scriptura sola, non in sola individuali ratione, non in spiritu privato a Spiritu S. illustrato; ergo aut Ecclesiæ admittenda auctoritas; aut absque fide in perpetuo religioso scepticismo fluctuandum (2); seu, quod idem est, Protestantes abjecta Ecclesiæ auctoritate, nunquam certi esse possunt de dogmatica Scripturarum interpretatione, quod demonstrandum assumpsimus.

#### DIFFICULTATES.

200. Obj. prima. 1<sup>o</sup> Non alia regula in Scripturarum interpre-

(1) Scilicet Protestantes, cum eorum pace sit dictum, vivam atque expressam illorum imaginem referunt, qui in campo Sennaar turri Babel ædificandæ operam dabant. Putandusne Deus, sapientissimus ac misericors pater, talem dedisse hominibus religionem, qualem Protestantismus profitetur? Hoc mihi videtur omnium paradoxorum maximum.

(2) Cfr. Opusc. Frid. Lucas, *Reasons*, etc. seu *Motiva ad amplectendam fidem catholico-romanam, exposita societati amicorum* (seu Quakerorum), Lond.

1839, pag. 32 et seqq. His enim motivis, quæ ibi ingenue studioseque evoluit, expergefactus optimus iste vir, ac veritatem sincero animo diligens, Quakerorum societatem cui adhærebat deseruit, seque in quietum catholicæ Ecclesiæ portam recepit, in quo demum pacem, quam hactenus frustra quæsierat, plenissimam nactus est. Plura hujus generis exempla, eaque perillustria, divina aspirante gratia, nobis affert nunc temporis Anglia, majora in dies, ut confidimus, allatura!

tatione admitti par est præter eam, quam Deus ipse præscripsit; porro Deus constanter in controversiis homines ad legem ipsam remittit, ut Is. VIII, 20, ubi dicitur: *Ad legem magis et ad testimonium*. Christus ad Scripturas pariter Pharisæos provocat, dicens, Joan. V; 39: *Scrutamini Scripturas*. 2<sup>o</sup> Ratio vero in promptu est; siquidem constat, Scripturam esse infallibilem, utpote verbum Dei, contra vero homines errori obnoxios existere, dicente Apostolo, Rom. III, 4: *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax*. Ergo Scriptura eaque sola sui interpret est, ac propterea controversiarum fide iudex.

201. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Neg. min.* Sed ad Pontificem ac Sacerdotes Deus remittit in controversiis, quæ inter Hebræos exortæ fuissent, ut patet ex Deut. XVII, 8 et seqq. *Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris... surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes levitici generis, et ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis iudicii veritatem... Qui contempserit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto iudicis, morte morietur ille* (1). Sic etiam Christus edixit: *Qui vos audit, me audit... Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (2).

202. Itaque in objecto Isaïæ loco prohibentur Judæi, ne consulant pythonissas et hariolos contra legis vetitum ad futuros eventus cognoscendos; sed præcipitur, ut Sacerdotes et Prophetas adeant (3). Argumentum idcirco Protestantium in hoc resolyi

(1) Absque dubio controversiæ, quæ apud Judæos exortæ fuissent, præsertim majoris momenti, a Synedrio ac summo Sacerdote, qui eidem præerat, dirimebantur. Hoc expresse testatur Flavius Joseph, qui, *Cont. Appion.* lib. II, n. 23, edit. Haverc. de Sacerdotibus loquens, hæc habet: *Iis tamen unum semper aliquem præesse genere principem, qui cum aliis sacerdotibus Deo sacrificet, leges custodiat, si quid erit*

*controversum, arbitrio definiat... et qui minus paruerit, pœnam huic luendam esse, quasi adversus Deum impie fecerit*. Opp. tom. II, pag. 485. Nondum enim stolidum istud Protestantium commentum, de Scriptura suimetipsius unica interprete, cujusquam mentem incenserat. Cfr. etiam Becanus, *Manuale contro.* lib. I, cap. 5, n. 43 et seqq.

(2) Luc. X, 16; Matth. XVIII, 17.

(3) En verba immediate præcedentia:



potest : Deus ex Isaia prohibuit populum suum , ne ad futura agnoscenda eventa consulerent hariolos et pythones ; ergo Scriptura est interpres sui et iudex controversiarum !

203. Christus vero de divina sua agens missione, cum tribus jam testimoniis, Joannis videlicet, miraculorum ac Dei Patris, eam ostendisset, demum idipsum in objecto loco conficit Scripturarum testimonio; nam *et illæ sunt*, subdit, *quæ testimonium perhibent de me* (1). Ergo non ad solam Scripturam Pharisæos Christus remittit, tanquam ad supremum iudicem, neque eam solam dogmaticum interpretem constituit, sed ad Scripturam, quam Christus ipse eis explanabat, verum ejus sensum, quem ei tribuebat, comprobans tum ex testimonio Joannis, tum ex testimonio miraculorum, tum ex testimonio Patris, a quibus difformes esse non poterant Scripturæ rite intellectæ. Hac de causa, ut verum sensum assequerentur, non solum dixit *legite*, sed *scrutamini* Scripturas ad inveniendam veritatem. Nunc autem quoad nos omnibus iis testimoniis ad dogmaticam Scripturarum interpretationem supplet infallibilis Ecclesiæ auctoritas.

204. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Homines sibi relictis errori obnoxii sunt, *trans.* vel *conc.*; homines divina *adsistentia* suffulti, cujusmodi Ecclesia est, *neg.* Nam hoc ipso quod Christus commiserit Ecclesiæ suæ magisterium, se ei adfuturum spondit, ne unquam in errores dilaberetur, dicens : *Euntes docete... et ecce ego vobiscum sum* (docentibus) *usque ad consummationem seculi*. Nemo quidem inficiatur, Scripturam quoad se et in se infallibilem esse et veritatem continere; difficultas tota est ex parte nostra, quoad rectam nimirum ejus intelligentiam. Hinc optime Bellarminus observat, propositionem fidei tali syllogismo concludi : quidquid Deus revelavit in Scripturis est verum; hoc Deus revelavit in Scripturis; ergo hoc est verum. Prima propositio certa apud omnes est; secunda apud Catholicos est etiam firmissima; nititur siqui-

*Et cum dixerint ad vos : Quærite a pythonibus et a divinis, qui strident in incantationibus suis : numquid non populus a Deo suo requiret pro vivis*

*a mortuis? Ad legem magis*, etc. Cfr. Sanctius, tum in paraphrasi, tum in comment. in hunc loc. n. 36 et seqq.

(1) Loc. cit.

dem testimonio Ecclesiæ, de qua habemus in Scripturis apertas promissiones, quod errare non possit. Ast quoad hæreticos nititur solis conjecturis, vel iudicio proprii cujusque spiritus, qui plerumque videtur bonus, et est malus; et cum conclusio sequatur debiliorem partem, fit necessario, ut tota hæreticorum fides conjecturalis sit et incerta (1), seu in labyrintho opinionum perpetuo hæretici circumvolvantur. Quod si contendant Protestantes, soli Scripturarum litteræ inhærendum esse, necessario in absurda eos dilabi necesse est, iidemque a Scriptura ipsa defectionis arguuntur. Scriptura enim legimus, diem Sabbati sanctificandam; ipsi tamen recedunt a littera, ut sanctificent dominicam diem. Legimus: *Vos debetis alter alterius lavare pedes*; quod ipsi tamen negligunt. Christus, Matt. V, 39, ait, *Ego dico vobis, non resistere malo... et ei, qui vult tecum iudicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium*; quod nescio, an ipsi servant. Hæc porro aliaque ejusmodi pene innumera in Scripturis leguntur, de quibus tamen ne cogitant quidem Protestantes (2). Cur nam? Quia

(1) *De Verbo Dei*, lib. III, cap. 10, n. 28. Cfr. in hoc caput vindiciæ Ebermanni adversus Amesium, nec non Milner, op cit. *Excellence de la Relig. catholique*, tom. I, lett. IX, pag. 102 et seqq. qui observat post Scheffinacherum, numquam posse Protestantes ex propriis principiis elicere actum fidei. Etenim *Cet acte*, scribit ipse, *étant, d'après votre grande autorité, l'évêque Pearson, un assentiment aux articles révélés, avec une persuasion certaine et entière de leur vérité révélée (in symb. pag. 15) ou pour me servir des expressions de votre primat Walks: Quand je donne mon assentiment à ce que Dieu a révélé, je le fais non-seulement avec une assurance certaine que ce que je crois est vrai, mais encore avec une sécurité absolue qui ne peut être fausse (Princ. relig. Christ.*

*pag. 27). Or le Protestant, qui ne peut compter que sur ses propres talens dans l'interprétation des livres de l'Ecriture, surtout avec toutes les difficultés et les incertitudes qu'il doit éprouver... ne peut jamais atteindre à cette assurance certaine et à cette sécurité absolue, relativement à tout ce qui est révélé dans l'Ecriture. Le plus qu'il puisse dire est: Le sens des passages que je vois me paraît à présent tel et tel, et, s'il est de bonne foi, il ajoutera: Mais peut-être changerai-je mon opinion après une plus ample considération, et après avoir comparé ce passage avec d'autres. Combien il y a loin d'une pareille opinion simple à la certitude de la foi!*

(2) Recolantur superius dicta, et Milner, loc. cit.



non litteram, quæ occidit, sed sensum et spiritum sequi se profiterentur, seu juxta interpretationem quam ei affingunt; verum si ita est, ergo non sola Scriptura, sed ipsi sunt interpretes et judices.

205. Obj. secunda. Atqui Scriptura supponit, in omnibus indiscriminatim jus esse proprio judicio interpretandi sacras Litteras. 1<sup>o</sup> Etenim Apostolus, I Thess. V, 20, fidelibus omnibus scribit: *Omnia probate; quod bonum est, tenete.* 2<sup>o</sup> Quod quidem monitum congruit indoli rationis humanæ, quæ indita nobis a Deo est ad ea intelligenda, quæ sive voce sive scriptis nobis communicantur. 3<sup>o</sup> Iisdem propterea hermeneuticæ regulis, quibus veterum quorumcumque auctorum scripta exponimus et interpretamur, exponere et interpretari æquum est auctores sacros, qui hominibus humano more scribebant. 4<sup>o</sup> Perabsurde proinde faciunt, qui Librorum divinorum interpretationem, humano, ut Pontificis Romani, arbitrio subjiciunt (1). 5<sup>o</sup> Sane nisi hæc humano ingenio tribuatur facultas sacras Litteras interpretandi, actum de scientia biblica esset, omnisque scientia concideret, cum satis foret pronas auctoritati Ecclesiæ aures præbere. Ergo.

206. Resp. *Neg. subsumpt.* Ad 1<sup>m</sup>, prob. *Dist.* Scribit Apostolus, probanda a fidelibus esse dona gratuita, de quibus hic loquitur, *conc.*; probanda fidei dogmate per privatam Scripturarum interpretationem, *neg.* De his ne verbum quidem eo loci habet Apostolus, qui, cum ageretur de Concilii Jerosolymitani decreto, non *probandum* illud, sed *custodiendum* fidelibus tradebat (2). Agit autem, ut patet ex toto contextu, de donis illis gratuitis, quibus per eam ætatem abundabant fideles; nec omnibus fidentium monet, qui ea præ se ferebant; sed caute ac prudenter de iisdem esse judicandum (3).

(1) Ita Ernestius, *Institut. interpretis N. T.* apud Wegscheid. § 25, not. (6).

(2) Act. xvi, 4.

(3) Cfr. quæ præclare in hunc loc. scribit Estius, qui ostendit, hac Apo-

stoli sententia dupliciter abuti hæreticos, et quoad *res* et quoad *personas*, atque utramque *absurdissimum* esse affirmat, nec alio tendere quam ut in doctrina fidei nihil unquam certi sit, dum *omnia omnium* examini et judi-



207. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* In iis, quæ intra rationis fines continentur, *conc.*; in iis, quæ eam superant, vel illos limites excedunt, *neg.* Talis porro est divina revelatio in suo complexu spectata, quæque in sacris Litteris continetur. Nunquam illam Deus solius humanæ rationis interpretationi subjecit; sed voluit omnino, ut humana ratio fidei subderetur; alioquin, uti ostendimus, actum prorsus de revelatione esset ac fide. Profecto rationalistæ, qui hæc nobis objiciunt, non intelligunt verba Apostoli, II Cor. X, 5: *Et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Aliud autem est intelligentia Scripturarum exegetica cum debita subjectione Ecclesiæ auctoritati, de qua hic non pertractamus; aliud vero interpretatio dogmatica, de qua loquimur, et ex qua pendunt fidei nostræ objecta. Ab hac vero solum Spiritus privati seu rationis individualis interpretationem secludimus, ad quem certe finem naturalis ratio nobis a Deo minime indita est.

208. Ad 3<sup>m</sup>, *Dist.* Si sermo sit de expositione exegetica seu scientifica, *trans.*; de hac enim postea; si de interpretatione dogmatica, *neg.* Hæc enim eodem Spiritu divino facienda est, a quo Scriptura ipsa nobis est data; alioquin vere auctoritas Dei humano subjiceretur arbitrio, quod ex dictis repugnat.

209. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Ac propterea perabsurde faciunt Protestantes et rationalistæ, *conc.*; Catholici, quibus auctoritas Ecclesiæ et Rom. Pontificis infallibilis est, *neg.* Ex catholica doctrina, dum sese fideles in interpretatione dogmatica Scripturarum Ecclesiæ subjiciunt, non humano judicio aut *arbitrio*, ut adversarii loquuntur, sed judicio omnino divino se subdunt, quod quidem patet per auctoritatem infallibilem, præsentem nempe Dei præsidio ju-

cio semper relinquuntur. Vel ipse Gro-  
tius, in *Annotatt.* in hunc locum,  
excludit suorum Protestantium inter-  
pretationem; scribit enim: *Hoc per-  
tinet ad διακρίσεις πνευμάτων (discre-  
tiones spirituum).* I Cor. XII, 10,  
XIV, 29. Sic. I Joan. IV, 1: Δοκιμάζετε

τὰ πνεύματα (*probate Spiritus*). Ergo  
πάντα (*omnia*) hic restringendum est  
ex antecedente ad ea, quæ dicuntur  
ab iis, qui se prophetas dicitant. Opp.  
edit. Amstelæd. 1679, tom. II, vol. II,  
pag. 946.

giter suffultam. Contra vero, qui in interpretatione dogmatica sive proprium sive alterius cujuscumque demum individui iudicium sequuntur, vere subjiciunt se iudicio et arbitrio suo vel alieno; ac propterea nec fidem habere unquam possunt, omnique vento doctrinæ circumducuntur.

210. Ad 5<sup>m</sup>, *Neg.* Restat siquidem humanæ industriæ atque ingenio interpretatio exegetica et scientifica, ut paulo post declarabimus.

211. Obj. tertia. Esto, neque Scripturam solam, neque expositam a spiritu privato aut a ratione individuali posse regulam esse certam ac infallibilem credendorum; 1<sup>o</sup> negari tamen nequit, talem esse per interius testimonium Spiritus Sancti. 2<sup>o</sup> Nam passim Scripturæ insinuant internum ejusmodi magisterium Spiritus Sancti, quo homines certi fiunt de veritate, ac proinde de recta Scripturarum intelligentia. Decretoria sunt Christi promissa, Joan. XIV, 26: *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*; et V, 16: *Ego rogabo Patrem, et alium paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis*; et alibi sæpe. 3<sup>o</sup> Eas porro promissiones omnes et singulos fideles, non Ecclesiam vero solam, in universum respicere, nedum ex verbis ipsis liquet, *docebit vos, suggeret vobis, maneat vobiscum*, quæ distributiva sunt, sed constat præterea ex collatione cum reliquis Scripturarum textibus. 4<sup>o</sup> Apostolus enim I Cor. II, 15: *Spiritualis, inquit, judicat omnia, et ipse a nemine judicatur*; et Joannes, I ep. II, 27, sic 5<sup>o</sup> scribit ad omnes fideles: *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo.* 6<sup>o</sup> Quæ quidem congruunt cum iis, quæ pollicitus est Deus per Jeremiam, XXXI, 33, in Novo Testamento complenda: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam... et non docebit ultra vir proximum suum.... dicens: Cognosce Dominum; omnes enim scient me a minimo eorum usque ad maximum.* 7<sup>o</sup> Hoc porro Spiritus Sancti testimonium, sive hæc interior inspiratio atque illustratio, ut subdit Barclæjus,

evidens est, ac intellectum apte dispositum invincibiliter per-  
 movet, ut ei assentiatur, eo plane modo quo axiomata mentem  
 inclinant ad veritatum naturalium assensum; id non solum *utile*,  
 sed plane *necessarium* est ad actum fidei elicendum, cum nemo  
 possit dicere *Jesum, nisi in Spiritu Sancto* (1). 8<sup>o</sup> Nec quidquam  
 obstat, hanc inspirationem incertam esse; aliud quippe est affir-  
 mare revelationem seu inspirationem Spiritus S. certam esse et  
 infallibilem, aliud vero hoc vel illud peculiare individuum eam  
 omnino tenere; prius a nobis adstruitur, minime vero posterius,  
 in quo fatemur decipi utique homines carnales posse atque illudi.  
 9<sup>o</sup> Facile autem veritas aut falsitas inspirationis secernitur, si  
 illud præ oculis habeas, testimonium Spiritus S. haud unicum  
 esse medium, seu non dari ad exclusionem mediorum externo-  
 rum, Scripturæ videlicet rectæque rationis; quapropter, si con-  
 tingerit quempiam obtrudere inspirationem, quidquam docere quod  
 Scripturæ rectæque rationi adversetur, illico deprehenditur eum-  
 dem fuisse illusum et sua omnino dare, non autem divina inspi-  
 ratione moveri. Qua quidem de causa jure merito Gnosticorum  
 antiquiorum, recentiorumque Anabaptistarum commenta velut  
 impia exploduntur. 10<sup>o</sup> Ceterum ex eo, quod nonnulli interiore  
 hac Spiritus S. illustratione abusi sint, ejusmodi velle testimo-  
 nium utpote fallax ac incertum profligare, perinde esset ac con-  
 tendere humanam abjiciendam esse rationem, imo et Scripturam  
 ipsam, eo quod aliqui utraque pessime abusi fuerint ad incautos  
 decipiendos (2). Ergo.

212. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Dist.* Nobis certo manifestatum per Ecclesiæ  
 oraculum, *conc.*; prout cuilibet individuo subjective innotescit,  
*neg.* Nos enim non inficiamur, immo contendimus, opus esse  
 testimonio Spiritus S. ut Scripturæ rite intellectæ infallibilem  
 nobis pariant certitudinem; neque in hoc ulla occurrit contro-  
 versia. Verum in eo tota quæstio versatur, utrum hoc testimo-  
 nium nobis per Ecclesiæ auctoritatem, cui pollicitationes de divino  
 eoque jugiter præsentî præsidio factæ sunt, innotescere debeat,

(1) 1 Cor. xii, 3.

pag. 21 et seqq.

(2) Ita apud Frider. Lucas, op. cit.



an vero per assertionem cujuslibet e privatis hominibus, quos omnes illusioni ac deceptioni obnoxios esse quis dubitet? Itaque, si quidpiam doceatur ab iis quod Ecclesiæ doctrinæ refragatur, certissimo id est argumento eos fuisse deceptos. Nec enim testimonium Spiritus S. sibi repugnare unquam potest.

213. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Quæ afficiant totam Ecclesiam, *conc.*; singula ejus membra vel *neg.* vel *subd.* quatenus eidem, seu ejus magisterio subjecta sunt, *conc.*; absque ejusmodi subjectione, *neg.* ob rationem in superiore responsione allatam. Scriptura enim in eo perpetuo est, ut unitatem fidei et charitatis, obedientiam et subjectionem iis, qui legitime præsumunt, inculcet. Hinc fieri nequit, ut absque ejusmodi unitate et subjectione possint alicui competere illæ pollicitationes; quandoquidem utraque unitas penitus scinderetur. Deberent præterea adversarii ostendere, apud se solos reperiri ejusmodi inspirationes, quas confidenter jactant, non autem etiam apud Catholicos; quod ipsi quonam præstituri sint pacto, vehementer expectamus (1). Itaque in adductis testimoniis alloquitur Christus universos Apostolos, ac in illis Ecclesiam universam docentem.

214. Ad 3<sup>m</sup>, *Neg.* Collectiva enim sunt Christi verba; et, si unum excipias Petrum, nemini in particulari quidpiam Christus promisit. Quod si per quamdam veluti extensionem ad quemlibet referri posse dicantur, adeo ut fideles singillatim de iisdem quodammodo participant, id eo semper sensu intelligendum est, quatenus iidem unum sunt cum ipsa Ecclesia, ac præterea juxta mensuram, quæ unicuique congruit, ut ex ministerio ac magisterio Ecclesiæ proficiant.

215. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Spiritualis seu perfectus solidusque christianus

(1) Equis dicet, tot sanctos Viros, qui quavis ætate in Ecclesia floruerunt catholica, et scriptis cœlesti plane unctione refertis eam ædificaverunt, ut auctor *Imitationis Christi*, S. Theresia, S. Franciscus Salesius, Bellarminus in suis libris asceticis, Fenelonius, aliique pene innumeri, quis, inquam,

affirmare audebit, omnes fuisse Spiritu divino destitutos, ac solos Lutherum, Calvinum, Zwinglium, aliosque pessimos homines, aut Barclæjum, Quakeros, Methodistas solos divino Spiritu agi? An vel ipse communis sensus ab hoc affirmando non refugit?

interiore lumine illustratus judicat, id est, discernit omnia, terrena nempe et divina, ad propriam aliorumque ædificationem, *conc.*; judicat judicio definitivo et dogmatico, *neg.* Hoc enim absolum est et ab Apostoli mente inprimis remotum, qui loco cit. unice contendit, animale hominem judicium de iis ferre non posse, quæ supernaturalia sunt atque divina, cum divino ad hoc lumine opus sit; qui vero divinitus mente sunt collustrati, non divina solum possunt, sed terrena etiam judicare atque cognoscere. Hi semper profecto fuerunt, sunt atque adeo erunt in vera Christi Ecclesia divinis charismatibus præditi (1). Attamen ipsi sibi judicium dogmaticum aut dogmaticam Scripturarum interpretationem arrogare ne cogitarunt quidem unquam; sed judicio e contra et interpretationi Ecclesiæ toto animo adhæserunt. Accedit, nos latere, qui ejusmodi homines vere spirituales sint, aut saltem nobis de iis certitudine fidei non constare. Quid? quod nec semper omnia cognoscunt; et cum Deus iisdem non omnia revelet, in pluribus labi queunt (2).

216. Ad 5<sup>m</sup>, *Dist.* In iis, quæ jam ab Apostolis didicerunt, *conc.*; universim et absolute, *neg.* Totus hoc loco Apostolus est, ut fideles a seductione hæreticorum avertat, quos seductores vocat et antichristos, quique sub obtentu accuratius fideles instruendi falsis illos doctrinis illudebant. Ut igitur ab istorum luporum faucibus Christianos illos eriperet Joannes, eosdem monebat, ut præcaverent se ab illorum doctrina et seductione; cum omnia scitu ad salutem necessaria comperta haberent, *quomodo*, inquit Bellarminus, *si Catholicus aliquis scriberet Catholicis, qui ab hæreticis obsiderentur et perturbarentur, non necesse habetis, ut aliquis Lutheranus vel Calvinista doceat vos doctrinam Christi; omnino enim, quæ vos scire oportet, jam didicistis et tenetis ex prædicatione Ecclesiæ, adjuvante unctione Spiritus Sancti* (3). Sane paulo ante objecta verba sic Joannes ait: *Non scripsi vobis quasi ignorantibus veritatem, sed quasi scientibus eam; et vos*

(1) Cfr. Bernard. a Picon. *Triplex* lib. III, cap. 10, n. 15.  
*exposit.* in hunc loc.

(3) Ibid. n. 22.

(2) Cfr. Bellarmin. *De verbo Dei*,



*quod audistis ab initio, in vobis permaneat, hæc scripsi vobis de iis, qui seducunt vos* (1).

217. Ad 6<sup>m</sup>, *Dist.* Pollicitus est Deus per Jeremiam gratiam uberiorem ad servandam legem et plenioram cognitionem unius Dei, *conc.*; magisterium internum ad interpretandas Scripturas, externo magisterio, nempe Ecclesiæ, secluso, *neg.* Nam de hoc in objecto loco ne verbum quidem occurrit (2).

218. Ad 7<sup>m</sup>, *Dist.* Ejusmodi Spiritus S. inspiratio movet ad assentiendum fidei nobis ab Ecclesia propositæ, per pium credulitatis affectum, ad quem etiam necessaria est, *conc.*; ad assentiendum privatæ uniuscujusque interpretationi, aut ad fidem sibi propriam excudendam, *neg.* Duo hæc male permiscet adversarius, quæ vehementer inter se dissita sunt, inspirationem videlicet, quæ necessario requiritur ad assensum fidei veritatibus nobis ab Ecclesiæ magisterio propositis præstandum, atque inspirationem illam, qua quis sibi peculiare suum fidei systema pro arbitrio efformat ac fingit. Porro Spiritus S. inspiratio seu testimonium certissimum in se est ac infallibile, imo et necessarium ad eliciendum actum fidei supernaturalem, ut suo loco docuimus (3); cum tamen Deus juxta ordinariam providentiæ suæ rationem statuerit mediis exterioribus, magisterio nimirum Ecclesiæ, fidei nobis objecta credenda proponere, magisterium suum internum cum externo magisterio conjungit, ut in salutarem fidei actum erum-

(1) V. 21-24.

(2) Si quis vellet hunc textum urgere, sequeretur, vel ipsam Scripturam abjiciendam esse veluti superfluum ac inutilem, cum Deus ipse nobis ingerat cognitionem sui. Itaque juxta probationes interpretes post S. Augustinum et Aquinatem objecta verba exponuntur de abundantiori gratia, quam pollicetur Deus se daturum in N. Test. ad practicam legis observationem. Cfr. Sanctius, *In Jerem.* xxxi, 33, ubi fuse et eleganter, ut solet, totum hunc

textum explanat; necnon Estius, *Comm. in epist. ad Hebr.* viii, 7, 8, 9, et x, 16. Rosenmüller, utpote bonus rationalista, nulla ratione habita ad Apostolum, qui in loc. cit. hanc prædicationem refert ad Novum Testamentum, exponit de ampliori Dei cognitione ac legis studio dandis Judæis reducibus a captivitate Babylonica. Verum etiam ex hac expositione nihil extunditur, quod Protestantibus faveat.

(3) In trat. *De gratia*, part. 1, cap. 1, prop. 1 et. II, t. v, p. 14.



pamus. Ex utriusque proinde magisterii conjunctione certi nos, imo infallibiles efficimur circa verum fidei objectum; cum nos fallere nequeat Spiritus Sanctus, dum nos inclinatur ad certe consentiendum; nec fallere nos possit Ecclesia in vero fidei objecto nobis proponendo. Dempto autem exteriori Ecclesiæ magisterio, nunquam certi efficimur de vero fidei objecto; cum decipi facile possimus, assumendo proprium sensum tanquam Dei inspirationem. Certo autem illudimur ac decipimur, si feramur in objectum aliquod aut doctrinam doctrinæ Ecclesiæ adversantem, cum Deus sibi contrarius esse non possit. Quod si Deus proposuisset unumquemque singulatim interius veram fidem docere, neque nobis dedisset Scripturam, neque instituisset Ecclesiam, neque Prophetas et Apostolos, imo nec Filium suum ad nos edocendos misisset; quæ quidem omnia cum facto pugnant, ac proinde evincunt, Deum noluisse homines ad fidem, adeoque ad salutem, per solam interiorem inspirationem perducere (1).

219. Ad 8<sup>m</sup>, Resp. immo valde obstare; nec enim dubium versatur circa inspirationem *in se* seu *objective* spectatam, sed prout recipitur in *subjecto*. Nam si certi semper essemus de vera inspiratione divina, jam nulla superesset controversia; verum in eo difficultas est, quod de illa inspiratione plane simus incerti.

220. Ad 9<sup>m</sup>, In sensu adversariorum, *neg*. Nec prosunt criteria, quæ ipsi proponunt, ad discernendam inspirationem veram a falsa. Etenim non prodest Scriptura, cum ex inspiratione, posito adversariorum principio, deberemus in primis Libros divinos a non divinis discernere; deinde germanam illius intelligentiam pariter ab inspiratione deberemus assequi. Quapropter, qui pro certo haberet, se a divina agi inspiratione, et tamen aliquid animo imbibisset, quod Scripturæ adversaretur, is profecto aut suo Scripturam ex ea saltem parte respueret, aut talem ei affingeret interpretationem, quæ cum suo præconcepto errore conciliaretur,

(1) Tantam porro vim habuit hoc argumentum in animum egregii FridERICI Lucas, quem nuper laudavi, ut profiteatur, se eo maxime permotum

esse, ut societatem *amicorum*, nempe Quakerorum, desereret, atque ad Ecclesiæ catholicæ veritatem confugeret. Cfr. cit. ejus opusc. pag. 31 et seqq.

id quod hæreticis omnibus semper solemne fuit (1). Nec quidquam melius præstabit recta ratio; quis enim unquam persuadebit hæretico errores ejus rectæ rationi adversari? Immo pugnabit ipse contendetque opiniones ac placita sua eidem plane congruere, prouti contendebant et antiquiores Gnostici et recentiores Anabaptistæ ac Swedenborgiani. Si propterea semel admitteretur adversariorum principium, nulla amplius suppeteret via, qua ipsi possent ab erroribus revocari (2).

221. Ad 10<sup>m</sup>, *Neg. conseq.* Ex proposita enim difficultate hoc tantum legitime inferri potest, explodendum nimirum esse adversariorum systema, quod reipsa fallax et incertum est. Siquidem non testimonium aut inspiratio Spiritus Sancti *in se et objective* fallax est et incerta, sed, uti superius diximus, prout *in subjecto* recipitur, quod falli quidem ac decipi potest. Sic certe nec Scriptura nec recta ratio ob earum abusum rejici debent, sed corrigendus abusus promanans ex homine, qui, legitimam auctoritatem et magisterium Ecclesiæ repudiando, tum *depravat Scripturas ad suam perditionem*, tum ratione ipsa ad falsa sua systemata confingenda pessime abutitur.

(1) Sane Lutherus, ex præconcepta sententia de inutilitate bonorum operum ad justificationem ac de sola fide justificante, non solum rejecit uti *stramineam* epistolam S. Jacobi, quæ e diametro adversatur huic hæresi, sed præterea in sua editione Bibliorum adjecit verbis Apostoli, Rom. III, 28, vocem *solam*. Cum vero hac de re monitus esset, respondit: *Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas*. Cfr. Becan. *Manuale controv.* lib. 1, cap. 15, quæst. 4, n. 3. Ita se se gesserunt antiquiores hæretici, quos propterea Pa-

tres, et in his S. Irenæus et Tertullianus, vocant *Scripturarum corruptores*; ita recentiores, ut Beza aliique passim, ut paulo post ostendemus. Interim cfr. Barth. Germonius S. J. *De veteribus hæreticis ecclesiasticorum codicum corruptoribus*, Paris. 1713, lib. 1 et II.

(2) Cfr. quæ adversus nuperos *Pietistas*, qui cum Quakeris hac in parte conveniant, scribit Arigler, in sua *Hermeneutica biblica generali*, Viennæ 1813, in parte Isagogica, § 17, *De lumine interno*.

## ARTICULUS II.

*De exegetica seu scientifica Scripturarum divinarum interpretatione.*

222. Quamvis exegetica seu scientifica Scripturarum sacrarum expositio proprie ad theologum non pertineat, cum hanc provinciam sibi vindicent sacrarum Litterarum professores, quorum est etiam ex instituto agere de critica biblica, uti monuimus, ac de hermeneutica, de archæologia sacra, aliisque ejusmodi argumentis; cum nihilominus Protestantes in Ecclesiam catholicam conflent invidiam ex principio auctoritatis in interpretatione dogmatica Scripturarum, cogimur vindicias Ecclesiæ etiam ex hac parte suscipere. Protestantes namque solent Ecclesiam catholicam incusare, quod sacrorum Bibliorum studia retardet, ac scientiam sacram arctis nimis veluti vinculis constringat, dum suam sequi interpretationem, aut saltem non recedere interpretes jubet ab unanimi Sanctorum Patrum expositione. Protestantes præterea recentiores eas regulas ac principia in critica, hermeneutica atque exegesi biblica statuunt et consecantur, quæ Scripturam ipsam labefactant, ac omnem ei pene religiosum *valorem* adimunt. Verum enim vero, quod magis sincero cuilibet Catholico dolendum, illud est, nec defuisse neotericos, qui, presse nimis Protestantium vestigia prementes, viam in scientia biblica inierint, quæ vix aut nullatenus cum germana catholica doctrina consistere valeat.

223. Quoniam tamen, ut præmisimus, neque nostri instituti est hæc data opera persequi, neque omnino prætermittenda esse putamus, ne auditores nostri præsentem hujus scientiæ statum penitus ignorent, mediam sectabimur viam, nullam instituendo peculiarem propositionem, paucis refellere contenti calumniam a Protestantibus Ecclesiæ impactam, ac simul ostendere, quid Tridentinæ Synodi decretum demum importet, dum vetat, ne quis sacras Scripturas interpretari audeat contra eum sensum, quem tenuit ac tenet Ecclesia, vel contra unanimem Patrum con-



sensionem (1). Exinde eruemus essentialia discrimina, quæ necessario interponi debent, inter criticam, hermeneuticam et exegeticam catholicam et protestantem. Demum nonnullas complectemur regulas, quibus sese regat catholicus theologus necesse est, si quidem a sincera catholica norma in expositione et interpretatione sac. Scripturæ cum suo cæterorumque damno nolit desciscere.

224. I. Ac primo quidem, quam injusta sit accusatio in Ecclesiam catholicam per Protestantem intorta, illam videlicet, dum tale sanxit decretum, studiorum biblicorum incrementis detrimentum inferre, patet ex eo, quod ipsa non rectum usum, sed ab usum dumtaxat interpretationis decreto illo coercere sapienter intendat. En ipsa decreti verba: *Ad coercenda petulantia ingenia decernit (Synodus), ut nemo suce prudentiæ innixus, in rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum, aut etiam contra unanimum consensum Patrum, ipsam Scripturam Sacram interpretari audeat* (2). Ex his porro verbis intelligimus, Tridentinum nihil aliud sibi proposuisse, quam limites certos figere, ultra quos progredi catholico interpreti fas non sit. Hi limites præstituuntur sensu Ecclesiæ unanimique Patrum consensu in iis, quæ pertinent ad *fidem et mores*, atque ad *ædificationem christianæ doctrinæ*. Quo quidem nihil æquius excogitari potest; cum enim Scriptura in *gratiam* religionis data nobis a Deo sit, et in christianæ seu catholicæ fidei præsidium, æquum erat, ut interpretes certis, ut ita dicam, cancellis continerentur, imo et apte regerentur in Scripturis exponendis, ne proprio sen-

(1) Quod *negative* hic Conc. Tridentinum statuit, ne scilicet quis interpretetur sacram Scripturam contra unanimum Patrum consensum, in professione fidei, edita a Pio IV, *positive* exprimitur, cum in ea quilibet profiteatur,

nunquam se interpretaturum eandem Scripturam nisi juxta unanimum SS. Patrum consensum, in his videlicet quæ ad fidem et mores pertinent.

(2) Loc. cit.

sui plusquam par est indulgent in catholicæ ipsius fidei detrimentum. Quemadmodum enim, si flumina intra alveum suum contineantur, valde prosunt, ac publicis privatisque commodis opportune inserviunt; contra vero, si extra alveum erumpant, alluviones undequaque important et vastitatem; ita plane, si interpretes sacri verum Scripturæ spiritum consecutentur, qui ex sensu Ecclesiæ sanctorumque Patrum exurgit, fidei ac religionis causam promovebunt; si secus fecerint, maximo eidem erunt nocumento.

225. Ceterum præterea, quæ ad fidem moresque pertinent, plura sunt, in quibus possunt catholici expositores ingenium suum naviter exercere. Critica enim, philologia, quæ supponit aut requirit antiquarum notitiam linguarum, chronologia, geographia, historia, archæologia aliaque pene innumera latissimum catholico exegetæ campum aperiunt, in quo semper proficere possit. Quid vero dicendum de inquisitionibus in multiplicem Scripturæ sensum, in iis quæ conferunt ad penitiorum sibi doctrinæ dogmaticæ ac moralis cognitionem comparandam, atque ad ampliorem illorum locorum illustrationem, quibus christiana doctrina fulcitur, prout Ecclesiæ Patres et interpretes catholici quovis tempore præstiterunt pro ingenti quo erga catholicam fidem amore tenebantur, licet plenam in Ecclesiam subjectionem animo atque ore profiterentur?

226. Sane experientia constat, nulla obesse ratione Tridentinum decretum catholicis interpretibus biblicæ exegeseos incremento. Quot enim ab illa inde ætate in Ecclesia catholica interpretes atque exegetæ doctissimi floruerunt, vix ut numerari possint (1)?

(1) Horum census videri potest apud Calmet, qui in sua *Bibliotheca sacra*, quam præmisit volumini primo *Dictionarii historici*, etc. *Sacræ Scripturæ*, omnes recenset interpretes catholicos et protestantes, qui sive in universam Scripturam, sive in singulos utriusque Testamenti libros, aut speciales eorum partes commentaria usque ad ætatem

ejus ediderant. Ex hoc catalogo, cui non minima fieri posset additio, colligimus, nec numero nec præstantia catholicos interpretes protestantibus inferiores esse, imo utroque longe istos superare, etiamsi ab ætate Concilii Tridentini eos recenseamus. Nathanael Sottvellus, in *Bibliotheca scriptorum Soc. Jesu*, quam perduxit usque ad an. 1675,



Qui tamen omnes et mirifice Scripturam quaquaversus illustrarunt, et optime simul de re catholica meriti sunt. Quibuscum si conferas exegetas protestantes, habes undè mireris ingens inter utrosque discrimen. Nam isti ut plurimum aridi sunt, sicci, inconstantes verba ac phrases grammaticales vix non unice consectantes, quos propterea verius philologos quam interpretes ac expositores vocaveris. Illud vero quam frequens in ipsis, ut, dum auctores nostros gravi supercilio notant et contemptui habere se ostendunt, complura ex iis exscribant, caute tamen ac suppresso nomine, ne se Catholicorum copiis ditatos prodant (1). Catholici vero Scripturarum expositores magna ex parte uberrimi veluti fontes exundant, ita ut non mentem solum, sed et legentis animum suavissime pascant, pietatemque nutriant augeantque (2). Injusta proinde ac falsa est acatholicorum incusatio, quod Ecclesia quoquomodo sacrarum Litterarum studia retardet ac elanguescere sinat, quum potius summopere commendet ac provehat. Huc certe spectat, quod ab eadem Tridentina Synodo statutum est : *Ne cœlestis ille sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus*

supra tercentum commemorat sac. Scripturæ expositores e sola Societate. Nicolaus Antonius, in *Bibliotheca hispanica nova*, supra quingentos Hispanicos recenset. Jam verò quot addi possent elencho Sotvelli et Nicolai Antonii ! Quis recenseat tum aliorum religiosorum Ordinum tum aliarum gentium interpretes ? Cfr. Andres S. J. *Dell'origine, progressi e stato attuale di ogni letteratura*, Roma 1817, tom. vii, *Scienze ecclesiastiche, della scienza biblica*, cap. 3, pag. 510 et seqq.

(1) Nos identidem hujuscemodi Protestantium agendi rationis exempla dedimus; sed cfr. J. B. Glaire, *Introduction historique et critique aux livres de l'Ancien et du Nouveau Testament*, Paris 1839, II append. au chap. 6,

II part. § 5, pag. 517 et seqq.

(2) Satis est specimen sumere ex commentariis super Prophetas Gasparis Sanctii, ex comment. V. Bellarmini in Psalmos et P. Berthier pariter in Psalmos, Bernardini a Piconio in epistolas S. Pauli, aliorumque passim, qui pietatem ubique et unctionem plane cœlestem spirant. Si quis hos conferat cum expositionibus Semleri, utriusque Rosenmülleri, Kuinoelii, etc. deprehendet tantum illos inter et istos discrimen intercedere, quantum intercedit medullam inter et ossa, spiritum et corpus, cœlum et terram. Ecquid aliud expectes ab iis, qui non nisi terrena sapiunt ? Cfr. Glaire, op. et loc. cit. pag. 507 et seqq.



*Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat, statuit et decrevit, ut constituerentur ubique locorum, qui idonei essent ad Sacræ Scripturæ expositionem et interpretationem populo faciendam, et cathedræ de Scriptura sacra in gymnasiis erigerentur (1).*

227. II. Quod vero ad essentialia discrimina spectat, quæ necessario intercedere debent Catholicos inter et protestantes circa criticam, hermeneuticam et exegesim biblicam, ea quidem sua veluti sponte profluunt ex contrariis principiis, quibus utrorumque institutio innitur. Etenim Catholici ex principio auctoritatis, quæ catholicæ professionis fundamentum constituit, integrum ab Ecclesia sac. Librorum canonem accipiunt, ab eademque dogmaticam interpretationem, versionem ac normam denique exegeticæ expositionis mutuuntur. Quare non admodum solliciti sunt de critica et hermeneutica biblica; quibus nempe tantum impendunt studii, quantum opus est ad rationem de Ecclesiæ doctrina circa ejusmodi articulos reddendam, ad eamque tuendam vindicandamque ab impugnationibus adversariorem. Ipsi, ut verbo dicam, jam habent ædificium absolutum sane ac perfectum, in cujus possessione firme ac secure consistant, nec nisi titulos propterea legitimæ hujus possessionis defendunt.

228. Contra vero Protestantes ex opposito principio liberi examinis debent in primis ædificium ipsum e solo, ut ita dicam, erigere, imo materiam ipsam, quæ tantæ huic moli ædificandæ necessaria est, quoad singulas suas partes conquirere et congerere; prius nempe inquirant oportet, utrum existat Scriptura sacra, quibusnam libris constet, utrum omnes libri in singulis suis partibus integri et absque ulla interpolatione ad nos usque prevenerint, quinam insuper canonici ac divini sint censendi. Age vero, debent deinde verum ac nativum sensum determinare, ac fidei demum articulos sibi exinde componere. Hæc autem omnia ex genuino protestantismi systemate quilibet ex sese præstare et efficere tenetur, idque sane tali certitudine, quæ fidem theologicam *subjective* gignere valeat, omnemque propterea errandi for-

(1) Sess. v, in decreto de Reform. cap. i.

midinem tollat. Diximus : *Quilibet ex sese efficere hæc omnia tenetur*, quippe essentielle principium protestantismi de libertate examinis, quæ plena ac generalis esse debet, id postulat omnino; secus enim, si rudes ex aliorum sive plurium sive pauciorum auctoritate omnia et singula, quæ recensuimus, amplecti deberent, jam in ipsum catholicæ Ecclesiæ principium, quod est principium auctoritatis, relaberentur, et principio, quod profitentur, liberi examinis apertissime adversantur. Quo fit, ut necessario fateri debeant Protestantes, religionem christianam plerisque ex humano genere imperviam existere, aut admittere saltem, quoad istos plerosque principium Ecclesiæ catholicæ, eam sibi ipsis arrogando auctoritatem, quam Ecclesiæ universæ denegare non verentur (1).

229. Porro primi Protestantes, quin id adverterint, ab Ecclesia catholica sacros acceperunt Libros, quos uti canonicos et divinos adhuc retinuerunt (2), simul cum magna dogmatum parte, ex. gr. Trinitatis, Incarnationis, divinitatis Christi, peccati originalis aliorumque ejusmodi, quæ cum eadem Ecclesia professi sunt. Idque sane, ut patet, peregerunt, manifeste refragantes principio, quod veluti fundamentum omnium extulerant, et sine quo nunquam protestantismus pullulasset. Nihilo tamen minus, ne ab Ecclesia catholica in recensitis articulis pendere viderentur, cœperunt fundamenta critica expendere, quibus innixi rationem redderent de discretionem ab se facta inter libros canonicos et non canonicos, et quoad singulas uniuscujusque libri partes; quod quidem opus ad hæc ferme tempora strenue sunt prosecuti. Postea novæ hermeneuticæ et exegeseos biblicæ (3), quas adhuc impense

(1) Cfr. Milner, op. cit. tom. I, lettre v, pag. 36, et lettre VIII, pag. 64 et seqq.

(2) Id fatetur vel ipse Beausobre, *Hist. du Manichéisme*, tom. I, pag. 141. Cfr. Grégoire, *Hist. des sectes*, tom. IV, pag. 434.

(3) *Hermeneutica* perinde valet ac *ars*, seu *facultas interpretandi*; est ab

*ἑρμηνεία*, *interpretor*, *explico*, etc.; latiori tamen sensu interdum hermeneutica accipitur pro *ἑρμηνεία*, seu pro enarratione, doctrina, etc. *Exegesis* vero *explicatio*, *enarratio*, ab *ἐξηγῆσαι*, *narro*, *expono*, *explico*, *interpretor*. Duo hæc vocabula proinde interdum promiscue usurpantur ob significationis affinitatem; attamen proprie

promovent, jecerunt fundamenta. Demum *epicrisin* adjecerunt seu *discretionem* ac veluti delectum quemdam credendorum, sive articulorum fidei qui admittendi essent aut respuendi; nec vero diffitendum, ingens Protestantes in hasce inquisitiones studium contulisse, magnosque in iis exantlasse labores.

230. Ast non solum exiguo admodum successu, *semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes* (1), sed ordine plane retrogrado ipsos processisse, recentiorum Protestantium experimentum abunde nos docet. Etenim, tametsi primi pseudoreformatores, vixdum e catholica religione emersi, nonnisi ancipiti timidoque animo nativum protestantismi principium evolverent, ac etiam a conspectu abyssi, quam sibi foderant (2), perterrefierent, postea tamen illorum successores, audaciores effecti, destructionis opus paulatim persequi institerunt, ita ut christiani totius ædificii lapidem super lapidem vix demum reliquerint.

231. Nam sua illa critica biblica eo ipsos sensim pertraxit, ut Pentateuchum Moysi abjudicarent, plerosque historicos Vet. Test. libros rejicerent, supposititia demum illustriora vaticinia decernerent (3). Eadem critices effrenata licentia in libros Novi Test. causa fuit, ut et quatuor Evangeliorum authenticitatem abolerent (4), ac plerasque epistolas S. Pauli, ut de reliquis libris taceamus, exploderent (5).

232. Nec diversas subiit vices doctrina de sacrorum inspiratione Librorum, quem, ut vidimus, prius ipsi ita extenuarunt, ut ad solam immunitatem ab erroribus constrinxerint, deinde ad immunitatem ab erroribus gravioribus; demum et hanc ipsam abjicientes, tum erroribus haud levibus scatere Libros sacros effu-

hermeneutica ad interpretationem ac versionem vocabulorum refertur, exegesis vero ad expositionem sententiarum.

(1) II Timoth. III, 7.

(2) Cfr. Bossuet, *Hist. des variations*, liv. v, § 31.

(3) Cfr. quæ superius diximus; necnon quoad vaticinium Danielis IX, quæ

scripsimus in tract. *De Incarnatione*, part. I, cap. II, prop. III, § 2, t. IV, p. 47.

(4) Huc referuntur quæ de Urevangelio, seu Evangelio Aramæo, ac de auctore Evangelii Joannis, paulo ante disseruimus.

(5) Cfr. Bar. de Stark, *Entretiens philosoph.* pag. 133 et seqq.



tierint, tum omnem supernaturalis præsidii in iis conscribendis ideam penitus exterminarint (1).

233. Eundem progressum cernere est apud Protestantes quoad hermeneuticam et exegesim sacram; nam ab initio pluris adhuc faciebant traditionis sensum; non dedignabantur Patrum scripta consulere, ac primitivæ Ecclesiæ doctrinam recolere. At enim non hic diu res stetit; sed, cuncta illa adminicula deinceps spernentes, sibi solos duces esse maluerunt. Exinde canones illi biblicæ hermeneuticæ, quibus omnia ad interiora revocant argumenta, ad usum loquendi, quem præcipuum et exclusivum vocant rite Scripturas interpretandi medium, quem tamen usum non ex Patribus, qui proxime apostolicæ floruerunt ætati, sed ex auctoribus profanis arcessere inprimis amant. Hinc perpetua illa comparatio inter dictiones et phrases scriptorum sacrorum auctorumque profanorum, quo nil magis in istorum emicat scriptis (2). Ad parallelismum provocant continenter locorum, ad parallelismum poëticum, quamvis nondum satis firmas constituerint regulas ad ejusmodi parallelismos detegendos, utrum scilicet in verbis, an in sententiis, aut in utrisque simul sit reponendus; item ad principium, quod *accommodationis* appellant, quoad applicationem veterum vaticiniorum ad Christum (3), non ex parte dumtaxat Apostolorum et Evangelistarum, sed et Christi ipsius (4). Ad præconceptas demum opiniones judaicas et pharisaicas Pauli ac reliquorum Apostolorum se convertunt (5). Quid proinde mirum,

(1) Cfr. superius dicta, tum Glaire, op. cit. tom. 1, pag. 535 et seq.

(2) Perpetua fere est comparatio, quæ in protestantibus interpretibus cernitur, inter phrases scriptorum profanorum et scriptorum sacrorum, adeo ut vix paginam percurras, quin tibi ejusmodi comparationes magno numero occurrant, quasi nempe Apostoli et Evangelistæ a Platone, Homero, Aeschine, Demosthene phrases suas mutuati fuerint, ita ut ad illas suæ ipsorum exigi

debeant. Nec vero reprehendimus absolute ejusmodi verborum aut phrasium parallelismos, sed illorum abusum, cum præsertim horum obtentu Ecclesiæ interpretationem excludere contendant novi isti interpretes et exegetæ.

(3) Cfr. Starck, *Entretiens philosoph.* pag. 155 et seqq.

(4) Ut Wegscheider passim, præsertim § 121 et 199.

(5) Apud Starck, op. cit. pag. 133 et seq.

si his aliisque ejusmodi canonibus unice recentiores exegetæ protestantes instructi, iisque plane confisi, eo commentariis suis devenerint, ut omnino esset exoptandum, easdem ab iis regulas in sacris exponendis Litteris servari, quas in profanis illustrandis scriptoribus consecantur? Nunquam sane in commentandis Livio ac Tacito eam sibi libertatem permetterent, qua in exponendis Evangelii aliisque scriptis sacris impune debacchantur. Quoties enim aliquid in iis offendunt, quod cum opinionibus suis non congruat, lacerant, detorquent per violentas interpretationes, ita ut vel Straussius ipse illos irrideat (1).

234. Pronum hinc est inferre, cujusdam modi fides Protestantium esse queat, qui Scripturam unicam illius regulam esse clamitant. Primi Protestantes, qui tropice intellexerunt verba consecrationis, ne cogerentur admittere realem Christi præsentiam in Eucharistia, obtendentes ejusmodi dogma pugnare cum recta ratione, viam aperuerunt Socinianis ad tropice intelligenda illa

(1) *Vie de Jésus*, tom. 1, *Introduction*. § 8, 9, 10. Speciminis gratia nonnulla describam ex § 10 : *Mais ce qu'il y a de plus criant en fait de contradiction, c'est ce qu'on lit dans une mythologie du Nouveau Testament, comme celle de Bauer; l'idée du Mythe est si peu comprise, que, par exemple, il admet réellement chez les parents de Jean-Baptiste un mariage demeuré stérile; qu'il explique l'apparition de l'Ange à la naissance de Jésus par un météore enflammé; qu'il suppose, à son baptême, un éclair et un coup de tonnerre, en même temps que le vol fortuit d'une colombe au-dessus de sa tête; qu'il donne un orage comme fondement de la transfiguration, et que des Anges sur le tombeau de Jésus ressuscité, il fait des linceuls blancs. Kaiser, lui qui se plaint que tant*

*d'explications naturelles soient si peu naturelles, assure cependant que ce serait ne voir qu'un côté des choses que de vouloir interpréter tout le merveilleux du Nouveau Testament d'une seule et unique manière; et à l'aide de cette remarque il laisse subsister l'explication naturelle à côté de l'explication mythique. Pour peu que l'on connaisse, dit-il, que le vieil auteur a voulu raconter un miracle, l'explication naturelle devient souvent alors admissible; elle est tantôt physique, comme dans le lépreux dont Jésus prévient sans aucun doute le prochain rétablissement, tantôt psychologique, la renommée de Jésus et la confiance en lui ayant eu chez plusieurs malades, la plus grande part à la guérison, etc. pag. 55 et seqq. Sed velum adducamus super ejusmodi impietates.*



omnia loca, in quibus traduntur mysteria Trinitatis, Incarnationis, satisfactionis Christi et quælibet alia mysteria, idque ex eodem Protestantium principio. His successerunt rationalistæ, qui eidem principio innixi abjecerunt omnem actionem Dei immediatam, ac propterea revelationem, inspirationem, miracula, vaticinia, et quidquid demum supernaturale redolet. Donec hos exceperunt mythici, qui primum in Vet. Test. deinde in Novo non deprehenderunt nisi mythos historicos, aut poëticos, aut morales, aut mixtos in plerisque sacris narrationibus. Sic historia creationis hujus universi est mythus primus, paradus terrestris mythus secundus, casus angelorum et protoparentum mythus tertius, et ita porro historia diluvii, turris babelicæ et confusionis linguarum, historia Abrahami, Isaaci, Jacobi, Josephi, Samsonis, etc. (1). In Novo autem Fœdere præter mythum conceptionis et ortus Joannis Baptistæ, historia Annunciationis exhibet mythum primum, ortus et infantia Christi mythum secundum, et ita de reliquis historiæ evangelicæ et apostolicæ partibus (2). Tandem deismum professi non pauci ex Protestantibus, larva sibi detracta, docuerunt, philosophi munus esse totam ex proprio fundo religionem sibi effingere, ac Scripturam et religionem positivam seu christianismum historicum non-philosophis relinqui debere (3). Talis et non alius erat exitus expectandus ab illis criticis et exegetis, qui profiteri non erubuerunt, grammaticam esse fundamentum unicum suæ ipsorum theologiæ, fulcrumque firmissimum, imò Ecclesiæ lutheranæ seu protestanticæ sectæ *paladium* (4).

235. III. Itaque Catholicos, qui neque in critica, neque in hermeneutica aut in grammatica fundamentum ac basim fidei suæ

(1) Cfr. Glaire, op. cit. tom. 1, pag. 528.

(2) Ibid. Circa Scripturarum abusum ex parte Lutheri eorumque assecularum, qui primi reformatores fuerunt, cfr. *Histoire de la vie de Luther*, par M. Audin, edit. cit. tom. 1, chap. 22,

pag. præsertim 380 et seq.

(3) Quod hic vix innuimus, plenius evolvemus in tertia hujus tractatus parte.

(4) Ita Georg. Bened. Winer, in *Grammat. idiomatis Novi Test.* Lips: 1825, tom. 1, in dedicat. et in præf., pag. 11.



collocant, sed fidem et omnia, quæ sive ad eam referuntur sive illam supponunt, ab Ecclesia tutissime accipiunt ac tenent, contrariam plane viam inire oportere in studiis biblicis persequendis, apertum est. Rata illi, ut hominis catholici est, firma ac immobilia profitentur, quæ circa fidem et mores in ædificationem Christianæ doctrinæ ab Ecclesia semel constituta ac sancita sunt; ideoque circa Scripturarum canonem et inspirationem sacrorum Bibliorum eorumque dogmaticam interpretationem eo dumtaxat ferri debent illorum conatus, eo dirigi studia, ut catholicam doctrinam illustrent, amplient ac tueantur.

236. Criticæ proinde biblicæ, quæ theologum catholicum decet, munus esse debet investigare et expendere instrumenta, quæ vocant, quibus Ecclesia innixa canonem suum probavit nobisque proposuit; nec non lectiones, quas admisit, librorumque partes, quas retinuit aut rejecit; inquirere in historiam sacri textus, tum quoad fontes, ut aiunt, originales, tum quoad antiquas versiones; lectiones præterea comparare variantes, quæ sive in codicibus sive in veteribus monumentis et Patrum scriptis occurrunt; revisiones item et emendationes codicum, quæ identidem a viris doctis factæ sunt. Et hæc quidem omnia in eum finem dirigere debet, ut semper inde Ecclesiæ judicium confirmetur adversum intemperantes criticos illos, qui vix aliquid intactum reliquerunt.

237. Nec alio spectabit hermeneutica et exegesis catholicorum Scripturæ cultorum, cujus scopus præcipuus esse debet dogmaticas præsertim Ecclesiæ interpretationes defendere ac tueri adversus profanas hæreticorum et incredulorum novitates et aggressiones. Certum enim ratumque cum omnibus Catholicis sit, Ecclesiam errare in definitionibus suis non posse; quamvis subinde interpretes difficultates experiantur, quæ molestiam creent, hæc tamen eorum frangere animum nullatenus debent, cum veritas veritati nequeat esse contraria, atque oppugnari quidem possit, expugnari non possit. Acuere potius difficultates debent ingenium, studium promovere, diligentiam extimulare in latebris omnibus perquirendis, ac momentis sive intrinsicis sive extrinsecis, quibus illæ solvantur, consecrandis. Nec vero de felici horum laborum exitu ambigere quisquam potest. Experientia quippe tot seculorum

ostendit, Ecclesiam nunquam in decisionibus suis a veritate vel minimum deflexisse; nec raro Protestantes ipsi fateri demum coacti sunt, se deceptos fuisse etiam in iis, quæ uti inconcussa ab initio posuerant ad catholicæ Ecclesiæ doctrinam oppugnandam (1). Plurimum porro conferent catholico interpreti ad verum Scripturæ sensum statuendum non loquendi solum usus aut parallelismus, sed potissimum ac præcipue sensus traditionalis, sanctorum Patrum scripta, usus et praxis Ecclesiæ, quæ ex catholico principio auctoritatis Scripturis rite interpretandis primum locum obtineant, opus est. Nunquam patiantur catholici interpretes abripi se apparentibus et speciosis novatorum theoriis, quæ temporis lapsu vanæ ut plurimum ac fallaces deprehendantur. Ad summum, si quid illa boni continent, adminiculo esse possunt; ast fundamentum conficere hermeneuticæ catholicæ nunquam debent.

238. Demum in exegesi sua catholici Scripturæ cultores animum intendant oportet ad analogiam fidei, itemque ad finem, in quem nobis a Deo Scripturæ datæ sunt. Deus porro largitus nobis non est Scripturas aut ad otiosam quamdam animi curiositatem pascendam, aut ad inutiles fovendas disquisitiones, sed ad mentem iis, quæ credere oportet, uberius informandam, animumque in Dei amorem excitandum; ad opera præstanda, quibus sancti efficiamur eique grati; ad fovendam denique pietatem, ac omnimodam perfectionem consecrandam. Quod quidem præclare significavit Apostolus, II Timoth. III, 16, dicens: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit*

(1) Pluribus exemplis id ostendi posset, nisi ageretur de re omnibus explorata. Equis enim nunc inter protestantes *orthodoxos*, quos vocant, docet, bonis operibus injuriam irrogari meritis Christi? Omnia infidelium ac peccatorum opera totidem esse peccata? Justum peccare in omnibus operibus suis, ita ut mereatur æternam damnationem?

Fures, fornicarios, homicidas, adulteros sola externa imputatione meritorum Christi æque sanctos esse ac Beatam Virginem? Deum impellere ad peccatum, aliaque ejusmodi sexcenta, quæ cum Lutero et Calvino antiquiores protestantes profitebantur veluti firmissimas veritates?

*homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Quibus verbis quatuor præcipua doctoris christiani officia complexus est, ad quæ utilis est Scriptura. Hæc nempe sunt primum *docere* veritatem fidei, secundum *refellere* errores fidei adversantes, tertium admonitionibus et correptionibus *depravatos mores redintegrare*, quartum *instituere ad justitiam*, ad vitæ videlicet sanctimoniam (1). In commentariis proinde suis hæc potissimum præ oculis habebit catholicus exegeta, ad quæ facilius ac præclarius obtinenda præsto ipsi erunt, veluti oportuna subsidia, tum antiquiorum linguarum notitia, quibus libri utriusque fœderis exarati sunt, cum valde hæ conferant ad verum Scripturarum sensum assequendum (2); tum assidua sanctorum Patrum lectio, nec non potiorum interpretum et expositorum crebra evolutio; morum et consuetudinum hebraici populi non secus ac aliarum antiquarum gentium cognitio; notitia chronologiæ et geographiæ sacræ; libri etiam thalmodici et rabbinici, qui pluribus Scripturarum textibus lucem afferre possunt, præsertim in allusionibus ad effata, ritus consuetudinesque judaici populi; demum multiplex sacræ Scripturæ sensus.

239. IV. Et ad hos quidem varios Scripturæ sensus speciatim quod attinet, non me fugit, nonnullos ex recentioribus etiam catholicis se jam difficiles præbere in illis admittendis (3). Verum

(1) Cfr. Bernard. a Piconio, in hunc loc.

(2) Cfr. Corn. a Lapide, in *Proœmio et encomio S. Scripturæ*, sect. 1. Cf. etiam Serarius, in *Proleg. biblic.* cap. 21.

(3) Jahn, in *Enchiridio hermeneuticæ generalis tabularum Veteris et Novi Testamenti*, Vien. 1812, § 14, 15 et 16, quanquam admittat duplicem sensum, *immediatum* seu litteralem et historicum ac sensum *mediatum* seu symbolicum, coarctat tamen nimis istius usum, ac sensum mysticum,

quem Patres consecrati sunt, videtur plane excludere; imo quædam habet, quæ parum abludunt a Protestantium placitis. At ulterius etiam progressus est Arigler, in *Hermeneutica Biblica generali*, Vien. 1813, qui non solum sensum mysticum omnino videtur rejicere, sed § 10 et seqq. argumenta evertere nititur, quibus ille adstrui solet; insuper hac illac nonnulla interjicit, quæ cum sana doctrina haud consistere possunt. Satis hic sit speciminis gratia exseribere, quæ habet § 12: *Addiscant rationi supremas partes deferre,*



in hoc quoque, quemadmodum et in aliis omnibus, discretione opus est, adeo ut usum debeamus ab abusu secernere. Qui enim absque delectu ac sufficienti fundamento, aut ex arbitrio etiam hos sibi confingunt, adeo ut tribuant Scripturæ sensum, qui proprius tantum eorum est, sunt procul dubio succensendi. Qui vero solidis rationibus innituntur, dummodo certo utantur temperamento, commendandi sunt, dum varios Scripturæ sensus detegunt et exponunt. Christus enim ipse et Apostoli non uno in loco hujusmodi interpretandi rationis viam nobis aperuerunt. Cum typica siquidem fuerit antiqua lex, non solum apertis prædicationibus et vaticiniis Christum ejusque Ecclesiam prænuñciavit, verum etiam variis ritibus gestique præfiguravit (1).

240. Distinguitur autem sensus in litteralem, qui etiam tropicus et metaphoricus est, et in mysticum seu spirituales; qui rursus dividi consuevit in allegoricum, tropologicum et anagogicum, qui tritis illis versibus comprehendi solent :

*Littera gesta docet; quid credas, allegoria;  
Moralis, quid agas; quo tendas, anagogia (2).*

*qui effata ejus (Scripturæ) nunquam a se ipsis, sed ab aliena semper et sublimiori quidem auctoritate suspendi vellent.* Hæc porro dure nimis dicta videntur; taceo quæ de sensu scribit Tridentini decreti circa sacr. Scripturarum interpretationem, quæ de accommodation Vet. Test. Scripturarum ab Evangelistis et Apostolis Christo facta habet; talia quippe sunt, ut a sincero catholico admitti nequeant. In omnibus est modus servandus, alioquin scopulis sæde impingere opus est.

(1) Hoc vel ipse Jahn, loc. cit. fatetur. Cfr. etiam Glaire, op. et loc. cit. pag. 339 et seqq.

(2) Nonnullis partitio hæc sensuum biblicorum, adductis versiculis ex-

pressa, non uno ex capite peccare videtur; ac 1<sup>o</sup> quod unum sensuum biblicorum genus cum alterius generis speciebus simul numeretur; cum nulla ratio sit, cur nomina *tropologicum* et *anagogicum* diversis speciebus sensus spiritualis significandis unice usurpentur. Scripturæ siquidem, etiam secundum sensum litteralem, intellectæ, nobis ea exhibent quam sæpissime, quæ ad *mores* spectant atque ad *æternam beatitatem*; 2<sup>o</sup> quod præter vitia toti propositioni communia recensiti versiculi alia habeant sibi particularia. Male quippe *littera* definitur, quæ *gesta docet*, veluti si historiæ dumtaxat, non autem et *leges* quoque et *morum præcepta*, atque ipsæ admodum *prophetiæ*

241. Nostrum non est hæc particulatim persequi; hoc tantum monemus, sensum litteralem illum esse, qui immediate oritur ex verbis ipsis Scripturæ in nativa sua significatione acceptis, seu quem verba immediate exprimunt; sensum vero spiritualem esse mediatum, qui nempe ex rebus significatis eruitur (1). Omittentes porro quæstionem, utrum unus idemque Scripturæ textus duos possit sensus litterales pati (2), uti plures nec fortasse

litteralem sensum haberent. Neque *allegoria* ea solam est, quæ docet, *quid credas*; *allegoria enim biblica*, quæ permisceri non debet cum *allegoria rhetorica*, est series, ut ita loquar, *metaphorarum* biblicarum, eventuum scilicet ac rerum, quæ aliud significabant præter id, quod erant, ut ex verbis Pauli mox edicendis patebit. Porro, quamvis detur, gesta hæc fidei materiam objectumque esse, plura tamen horum gestoram ad spem excitandam quoque valere, et ad mores informandos ambigi nequit. Ceterum quadruplicem hanc biblici sensus partitionem putarunt aliqui primo ab Augustino fuisse excogitatum, qui in lib. 1, *De Gen. ad litter.* cap. 1, scribit: *In libris omnibus Sacris intueri oportet, quæ ibi æterna intimentur, quæ facta narrentur, quæ futura prænuntientur, quæ agenda præcipiantur.* Ast S. Doctor his verbis nequaquam diversos Scripturarum sensus commemorat, sed totam illarum materiam dispertit. Eucherius tamen Lugdunensis, qui paulo post Augustinum eodemque seculo v floruit, non modo partitionem illam habet, sed ipsa nomina usurpat secundum eam notionem, quæ etiam modo nominibus hisce inest, in Præf. in lib. *Formular. spiritualis intelligentiæ*, ubi hæc habet: *Corpus Scripturæ sacræ, sicut traditur, in*

*littera sive historia est; anima in moralis sensu, qui tropicus dicitur; spiritus in superiore intellectu, qui analoge appellatur.* Bibl. Patrum, Colon. Agripp. tom. v, part. 1, pag. 741. Non meminit Eucherius, ut patet ex adductis verbis, sensus allegorici; at hunc commemorat S. Paulus, Gal. iv, 23, ita scribens de historiis Isaaci et Ismaelis: *Quæ sunt per allegoriam dicta; hæc enim sunt duo testamenta.*

(1) Aliqui paulo diversam notionem utriusque sensus litteralis et spiritualis exhibent; ita ut sensum *litteralem* dicant id, quod in Scripturis *directe* ac *proxime* Spiritus Sanctus exprimere voluit, et verba *directe* præ se ferunt sive propria sive figurata, in quantum figurata sunt; sensum vero *spiritalem* id vocant, quod in Scripturis *directe* quidem, quamvis *remote* exprimere voluit Spiritus S., *oblique* tamen verba præ se ferunt ex *typis* promanans atque in sensu *litterali* delitescens.

(2) Lutherus omnium primus unitatem sensus litteralis tuitus est, de quo scribit Millerus Georg. Augustæ professor dogm. *Immortaliter meritis fuisse censendus est Lutherus noster, qui, exploso pontificiorum de pluralitate sensus verbo lubrico et subdolo commento, constanter unicitatem sensus litteralis asseruerit.*



immerito contendunt (1), nos cum communi theologorum et interpretum sententia dicimus, solum litteralem sensum eum tandem esse, qui argumenta præbere theologo possit ad dogmata evincenda ac vindicanda.

242. Et hæc quidem generalia veluti monita nobis attigisse satis sit de exegetica seu scientifica Scripturarum interpretatione. Nam quod ad apparatus spectat eorum, quæ ad rectam Scripturarum intelligentiam requiruntur, nec non ad peculiare canones et regulas, quæ præ oculis haberi debent, ut germana habeatur expositio sive Veteris sive Novi Testamenti, et ad libros singillatim sumptos, nos ne in alienam messem, ut præmisimus, immittere falcem videamur, auditores nostros ad probatos auctores remittimus, qui de hisce data opera scripserunt (2).

#### CAPUT IV.

##### DE SCRIPTURÆ SACRÆ VERSIONIBUS.

243. Quæ de sacrarum Litterarum versionibus a theologis dicenda sunt, afficiunt potissimum vulgatam versionem latinam, ac versiones vernaculis linguis confectas. Hoc enim eorem postulat munus, tuendi nimirum quæ ab Ecclesia sunt constituta. Cum vero Ecclesia authenticam declararit vulgatam latinam, plu-

(1) Cfr. Cornel. a Lap. *Can. xxxvi*, in *Pentateuch*. Qui huic adstipulantur sententiæ, duces sibi sumpserunt S. Augustinum, qui *Confess.* lib. xii, capp. 18, 25, 26, 31 et 32, et lib. iii, *De doctr. christ.* cap. 27, et alibi, duplicem ejusmodi sensum adstruit; nec non S. Thomam 1 part. q. 1, art. 10, corp. Cfr. quæ in hanc rem seite animadvertit Czuppon, op. cit. *Vindicatæ vulgatæ lat. edit. Biblior.* tom. 1, sect. 1, § 7, pag. 24 et seqq. Cfr. tamen etiam Estius, in *Oratione, an ejusdem Scripturæ plures sint sensus litterales?*

(2) Consuli inter ceteros possunt S. Augustin. *De doctr. christ.* lib. iii; Salmeron, *Proleg.* vii-xx; Serarius, *Proleg. biblica*, cap. 21; Bonfrerius, *Præloq. in totam Scriptur.* cap. 20; Vasquez, *In S. Thom.* 1 part. q. 1, art. 10; Huetius, *Demonst. evang.* prop. vii, §§ 1-6; *Biblia latino-gallica*, vulgo *De Vence, préface génér. sur les livres de l'Ancien Testam.* Paris 1827, tom. 1, pag. 248; Glaire, op. cit. tom. 1, chap. 6, pag. 336-401, et iterum in append. au chap. 6, pag. 470-493.



raque de versionibus in lingua vulgari decreverint Romani Pontifices, consequitur, theologi esse horum vindicias sumere adversus Ecclesiæ detractores, qui ingentes ea de causa clamores excitarunt. Quod enim attinet ad antiquarum versionum sive orientalium sive occidentalium recensionem, singularumque pretium, epocham, auctores, nec non ad recentiores versiones, editiones, earumque decora aut vitia, ea sibi sacrarum Litterarum institutores referre et expendere veluti proprium objectum assumunt.

244. Porro quoad vulgatam latinam Bibliorum versionem non paucæ motæ sunt controversiæ; ac *primo*, quonam sensu a Tridentino declarata authentica sit, utrum scilicet cum textuum originalium detrimento, quod plures hæretici non ita pridem, ut Ecclesiam catholicam criminarentur, obtenderunt, an vero tantum comparate ad ceteras, quæ circumferebantur, latinas versiones; *secundo*, an per suum decretum Tridentina Synodus intenderit vulgatam versionem non a quovis solum errore circa fidem ac mores immunem declarare, sed etiam a quolibet alio vitio, quod sive res et sententias sive ipsa verba attingat, ita ut ab omnibus mendis libera plane sit; *tertio*, utrum vulgata censeri debeat inspirata, ut nonnulli existimarunt (1), nec ne; *quarto* denique, utrum editio communis, a Sixto V et Clemente VIII edita, ita pura a mendis sit, ut ulteriori nequeat subjici emendationi.

245. Fere omnes ejusmodi quæstiones, magna olim animorum contentione atque æstu agitatæ, obsoleverunt; ut jam nemo inter Protestantes reperiatur, qui hanc Tridentino mentem et consilium in suo decreto edendo fuisse contendat, vulgatam nempe versionem supra textum ipsum primigenium efferre, aut prohibere quominus quisquam ad ipsos, si opus fuerit, fontes originales accedat, uti plures iisque gravissimi catholici ostenderunt (2). Sic

(1) Inter ceteros Petrus Sutor, in op. *De translatione Bibliæ*, cap. 10; Titelmanus, in *Disput. pro editione vulgata*, adjecta comment. in epist. ad Rom.; Mariana, in *Dissert. pro edit.*

*vulgata*, cap. 22 et seq.; Morinus, *Exercitat. bibl.* lib. 1, cap. 12.

(2) Cfr. Card. Pallavicini, *Storia del Conc. di Trento*, lib. VI, cap. 17, ubi ostendit, nunquam mentem Con-

nemo ex Catholicis est, qui nunc inspirationem tueatur in latina vulgata adornanda, aut qui adhuc existimet, ita eandem esse vulgatam editionem a quibusvis librariis aut thypographicis men-

cilii fuisse vulgatam versionem supra textus hebraicum et græcum efferre, aut impedire quominus scriptores ad eos textus recurrant, cum oportuna judicaverint ad plenioris sensus intelligentiam. Sane Salmeronius, qui ipsi Concilio interfuit, hæc habet, *Prolog.* III, edit. Colon. Agrypp. 1602, pag. 24: *Postremo accessit Concilii Tridentini approbatio, quod videns nostri seculi hæreticos palam contemnere Vulgatam, sive veterem Hieronymi editionem, notasque pro suo arbitratu quemque producere, tale condidit decretum... Jam secundo loco ostendamus, non ita fuisse Vulgatam Hieronymi editionem probatam, ut propterea rejecta sint intelligenda vel græca vel hebraica volumina; quod non est difficile ostendere. Nihil enim ibi de exemplaribus aut græcis aut hebraicis agebatur; tantum inter tot editiones latinas, quot nostra secula parturierant, quænam ex illis præstaret, sermo erat... Liberum autem reliquit omnibus, qui Scripturas profundius meditantur, fontes græcos aut hebræos, quatenus opus sit, consulere, etc.* His consonant, quæ adversus Calvinum et Philippum Melancthonem scripsit Andreas Vega, alter Concilii Theologus, lib. xv, *De justif.* cap. 9, Colon. 1572, pag. 692, ubi cum præmississet, Concilium approbasse Vulgatam latinam expurgatam a mendis chalcographorum, nec eam tanquam a cælo delapsam adorari voluisse, aliaque ejusmodi, subdit: *Et hanc*

*fuisse mentem Synodi, nec quidquam amplius statuere voluisse, ex verbis ipsis et ex aliis consuetis approbationibus Concilii potes colligere. Et ne dubites de hoc, verissime possum tibi (Calvine) allegare pro his amplissimum et observantissimum Dominum Sanctæ Crucis Cardinalem... qui illi sessioni et aliis omnibus præfuit, ac pridie quidem, quam illud decretum firmaret, et postea, non opinor semel, mihi testatus est, nihil amplius voluisse patres firmare. Itaque nec tu, nec quispiam alius propter hanc approbationem Vulgatæ editionis impedit, quo minus, ubi hæsitaverit, ad fontes recurrat, et in medium proferat quidquid habere potuerit, quo juvenitur et locupletentur latini, et Vulgatam editionem ab erroribus repurgent, et quæ sensui Spiritus S. et ipsis fontibus sunt magis consentanea, assequantur.* Post hæc supervacaneum puto ea adjicere, quæ scribunt Bellarminus in eundem sensum, lib. II, *De verbo Dei*, cap. 10; Rugerius, Secretar. Apostol. lib. *De Script. canonic.* cap. 44. aliique bene multi. Hos magno numero recenset Humfr. Hodius Oxoniens. in op. *De Bibliorum textibus*, etc. Oxon. 1705, lib. III, cap. 15. Hic autem ubique infensissimum se præbet Rom. Ecclesiæ. Contrarium tamen contendit Melchior Canus, *De locis*, lib. II, cap. 13 et seq. cum aliis, quibus a fortiori ad stipulantur, qui Vulgatam inspiratam censuerunt.

dis immunem, ut nequeat ulteriori subjici emendationi, id quod auctor ipse præfationis ad lectorem in editione Clementis VIII fatetur (1). In eo tamen unanimi prorsus sensu Catholici conveniunt omnes, nullum in Vulgata editione errorem contineri, in iis saltem quæ ad fidem moresque spectant, aut etiam quæ aliqujus momenti sint in rebus atque sententiis (2). Quo sensu affirmant, authenticam declaratam esse vulgatam latinam a Tridentino, cujus nimirum decreto factum est, ut latina hæc versio originali textui plane conformis dijudicata fuerit, atque extrinsecam præterea auctoritatem nacta sit; unde nos ex publico ejusmodi ac solemni Ecclesiæ judicio certi efficimur de ea conformitate atque intrinseca consonantia, quam habet cum fontibus ipsis, ita ut ejus respui auctoritas a nemine possit. Nos ipsis adstipulamur; atque hoc sensu, reliquis jam obsoletis controversiis prætermisissis, authenticam adstruimus adversus Protestantes vulgatam latinam versionem.

246. Ne vero in obscuritate versemur, juverit hic verba ipsa præmittere Tridentini decreti, sess. IV, quæ ita se habent: *Eadem sacrosancta Synodus, considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit et declarat, ut hæc ipsa*

(1) Cujus auctor, ut mox videbimus, ipse Bellarminus est. Sane satis est oculos conjicere in alterum ex duobus libellis, quos Lucas Brugensis Card. Bellarmino obtulit, in quo specimen correctionum in iv Evangelia exhibet, quæ in textu Vulgatæ fieri possent. Opp. edit. Antwerp. 1606, tom. II, pag. 1056; item in duobus aliis libellis, qui ad calcem *Comment. Du Hamel* recusi sunt.

(2) Quoad errores, qui rei substantiam non attingant, utrum reipsa nonnulli in Vulgata editione reperiantur, affirmant alii, alii vero negant. Negant inter ceteros Cabassutius, in *Diatriba*

*ecclesiastica circa Trident. decretum de Vulgata Biblior. editione*, in *Notitia Conc.*; item Bellarm. in *Dissert.* quam ex Mss. anno 1749 in lucem protulit Windenoser; Simeon de Muis, lib. *De auctor. textus hebr.*; Serarius, in *Proleg.* cap. 21; Bonfrerius, in *Præloq.*; Joan. de la Haye, in *Prol.*; Nat. Alex. sec. IV, diss. 39; Bossuet, in *Projet de l'union*, etc. Affirmant alii, inter quos novissime Jos. Zama Mellini, prof. Bononiensis in *Institution. biblicis*, Bonon. 1833, part. I, diss. II, cap. 3, art. 3, q. 1, pag. 162.



*vetus et vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus et expositionibus pro authentica habeatur, et ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.*

247. Quod vero spectat ad recentiores versiones Bibliorum vernaculas, duo sunt apprimè distinguenda, *versiones* videlicet in se et illarum *lectio*. Nullo unquam tempore prohibuit Ecclesia, quominus Scriptura sacra in linguas vernaculas verteretur; et sane vel ab ipsis Ecclesiæ incunabulis et insequentibus seculis plures ejusmodi versiones sive in Oriente sive in Occidente prodierunt, nec sese illis opposuit Ecclesia, imo quandoque eis usa est, ut constat de versionibus Aquilæ, Symmachi ac Theodotionis (1). Nemo præterea est, qui inficietur, plurimum utilitatis in criticam biblicam, hermeneuticam et exegesisin ex antiquis versionibus syriacis, arabicis, coptica, armena, persica, etc. promanare, potissimum vero ex versione græca Alexandrina, seu ut dicitur LXX interpretum (2), quoad libros Vet. Test., quam

(1) De quibus inter ceteros cfr. Hodijs, op. cit. lib. IV, cap. 1, qui fuse et erudite de ipsis peragit, nec non Jac. LeLong. *Bibliotheca sacra*, Paris 1723, tom. I, cap. 3, sect. 1.

(2) Innumera prope sunt eruditorum tum catholicorum tum protestantium de hujus versionis origine, auctore, sive auctoribus, ætate, etc. sibi adversantia judicia. Magna ex parte ea collegit Hodijs, op. cit. qui præmissa historia Aristæ græce et latine, toto lib. I refert ac expendit auctorum utriusque communionis de hac versione varia placita; lib. II suam profert sententiam de tempore, modo ac ratione, qua eadem confecta est, concluditque, cap. 7 et seqq. a Judæis hellenistis Alexandrinis solius Pentateuchi versionem adornatam fuisse; demum acriter impugnat Isaac. Vossium, qui in libello *De transla-*

*tione LXX interpretum* illam versionem probaverat. Richard. Simon, in *Disquisitionibus criticis de variis Bibliorum editionibus* (perperam Lud. Cappelloa nonnullis adscriptis), Lond. 1684, cap. 15, censet, nomine LXX hanc versionem fuisse insignitam, quod probata fuerit a Synedrio, quod constabat LXX aut LXXII membris. Eadem jam scripserat in *Hist. crit. Vet. Test.* lib. II, cap. 2. Sic alii passim. Attamen nondum lis finita est; siquidem doctus De Magistris, in sua edit. *Daniel secundum LXX interpretes*, quam ipse primum ex Chisiano codice vulgavit, Romæ 1772, vol. in fol. Hodio ceterisque septuagintaviralis versionis osoribus apologiam opposuit, quam quinque prolixis eruditissimisque dissertationibus complexus est, eamque strenue tutatur. Eum adis.

Ecclesia adoptavit ac suam fecit. Attamen Ecclesia nunquam non invigilavit fidelitati versionum, præsertim postquam hæretici cœperunt sacram Scripturam in linguas vulgares vetere, seu potius corrumpere ad suos populis errores propinandos (1); improbavit enim ejusmodi versiones, earumque lectionem fidelibus interdixit. Interim cum in dies hic morbus ingravesceret, postremis hisce temporibus, postquam institutæ societates sunt vulgo *biblicæ* nuncupatæ, quarum scopus est Biblia in omnes linguas, quæ nunc vigent, translata ubique disseminare cum ingenti christianæ et catholicæ fidei jactura, Romani Pontifices iteratis decretis eas societates biblicas proscripserunt. Inter hos eminent Pius VII et Leo XII (2), qui Episcoporum zelum excitarunt, ut fideles sibi creditos ab ejusmodi moliminibus tutarent ac præmunirent. Contra vero Protestantes, societatum harum architecti et inventores, eas passim ad sidera tollunt, pecunia, industria, opera, et qua demum cumque possunt ratione fovere ac disseminare satagunt, Romanosque Pontifices, qui eas improbarunt, ceu tenebrarum patronos atque humani ingenii progressus inimicos et hostes traducunt.

248. His ita expositis, superest ut accedamus ad vindicandum Tridentinæ Synodi decretum de Vulgata latina editione, et Rom. Pontificum de societatibus biblicis judicium. De lectione autem Scripturæ sacræ in lingua vernacula agemus in capite sequenti. Hic enim ea dumtaxat complectimur, quæ ad versiones spectant. Sit igitur.

(1) Valdenses omnium primi fuerunt ex sequioribus hæreticis, qui in Galliis Biblia in linguam vernaculam verterint, ac proinde corruerint. Horum versionem damnavit Innocentius III, initio seculi XIII, epist. 142, lib. II epist. edit. Baluzianæ pag. 432. Hanc altera excepit Novi Test. translatio in linguam vernac. seu gallic., adornata a sacerdote Lugdunensi Stephano de Ana vel de

Emsa, studio et impensis Petri Valdensis, post an. 1170 aut 1180. Cfr. Le Long, op. cit. tom. 1, cap. 4, part. II, art. 1, pag. 312 et seqq.

(2) Pius VII, epist. datis ad Archiepisc. Gnesnensem die 29 Jun. 1816, et ad Stanislaum archiep. Mohiloviensem die 3 Sept. ejusd. anni; Leo XII, in Encyclica ad omnes Patriarch. Prim. Archiep. et Episc. die 3 Maii 1824.

## PROPOSITIO I.

*Merito Tridentina Synodus, ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferebantur, sacrorum Librorum, veterem Vulgatam editionem pro authentica habendam esse, statuit et declaravit.*

249. Duo, ut paulo ante innuebamus, hoc suo decreto Tridentina Synodus effecit, dum Vulgatam versionem præ reliquis, quæ circumferebantur, latinis editionibus authenticam statuit ac declaravit; nempe testata est ejus intrinsecam conformitatem cum textu primitivo, non solum in rebus fidei ac morum, verum etiam in ceteris, saltem quoad substantiam; eique contulit præterea extrinsecam quamdam auctoritatem, quam reliquis non contulit, imo nec contulit alicui textui originali sive hebraico sive græco (1). Cum autem de hoc aperte constet ex decreto ipso, non est cur in hoc probando insistamus.

250. Conformitatem vero intrinsecam vulgatæ editionis latinæ cum textu primitivo, in sensu exposito, ita evincimus. Versio illa textui originali seu primigenio conformis censenda est, quæ longo seculorum usu in Ecclesia obtinuit, quæ tulit ab adversariis ipsis suffragium, quæ denique falsitatis et erroris nedum circa fidem et mores, sed et quoad cetera, quæ attingunt substantiam, argui nunquam potuit. Talis porro est versio Vulgata latina a Tridentina Synodo probata.

251. Nam de usu Ecclesiæ latinæ longo seculorum tractu res testatissima est, atque constat ex ipsa Vulgatæ editionis historia.

(1) Ex hac distinctione, inter authenticam *intrinsecam* et *extrinsecam*, videtur omnino sublata controversia de prælatione a Tridentino data vulgatæ editioni supra textus aliasque versiones. Etenim Concilium fontes antiquasque versiones non attigit; sed et illos et has reliquit in *statu quo*, ut loqui mos est, dimisitque eruditus de illis istarumque

intrinseco valore disceptare, cum ipsis decreto suo, ut testatur Card. Pallavicinus loco cit., ulla ratione detrahere noluerit. Contulit propterea editioni Vulgatæ latinæ authenticam extrinsecam, qua certi efficeremur, nihil in ipsa reperiri, sive ad fidem sive ad mores aut sententias pertinens, quod dissentiret a fontibus primigeniis.



Norunt siquidem eruditi viri, ab ipso fere ævo apostolico latinam versionem adornatam fuisse ex Vet. Testamenti græca versione septuaginta interpretum (1), et ex græco textu Novi Testamenti (2). Hæc porro versio primatum semper obtinuit in Ecclesia, quam S. Hieronymus *Communem et Vulgatam* (3), S. Augustinus *Italiam* (4), S. Gregorius M. aliique *Veterem* nuncuparunt, ut eam ab innumeris prope latinis versionibus secernerent, quæ per illam ætatem a privatis hominibus prodierant (5). Hanc translationem summis Ecclesiæ Patres præconiis extulerunt, præsertim vero S. Augustinus, qui eam etiam reliquis omnibus eo nomine præferendam censuit, quod esset *verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ* (6). Atque ita quidem se res habuit, donec S. Hieronymus novam ex hebraico fonte librorum Vet. Test. versionem adornavit, quæ cum in dies principem sibi locum vindicaret, apud Gregorium M. *Vulgatæ novæ* denominationem nacta est, comparatione illius veteris *Vulgatæ* seu *Italæ* versionis (7). Verum et hæc ipsa nova *Vulgata veteris Vulgatæ* nomine

(1) Cfr. Michaëlis, *Introduct. au Nouveau Testam.* tom. 2, première part. sect. 24 et 25, qui hoc ostendit non solum ex argumentis externis verum etiam ex internis; nec non Serarius, *Proleg. biblic.* cap. 19, q. 8, et Brianus Waltonus, *Polygl. Proleg.* x, n. 1.

(2) Cfr. Millius, *Novum Testam. Proleg.* Oxon. 1707, pag. 41 et seqq. In eo tamen nobis hic auctor a vero abludere videtur, prout alias animadvertimus, quod non nisi initio seculi 11 statuat Novi Test. versionem sub S. Pio 1, in quo non indulget nisi conjecturis; contrarium tenet Michaëlis, loc. cit. cfr. etiam Sabatier, *Sacr. Bibl. antiq. vers. seu Vetus Italica*, præf., tom. 1, pag. 11 et seqq.

(3) *Comment.* in cap. XIII S. Matth. v, 35 et in *Epist.* CVI, edit. Vall. ad

*Sunniam et Fretelam*, n. 2.

(4) *De doctrin. christ.* lib. II, cap. 15. *Itala* nuncupata fuit, juxta Ferrandum diaconum in *Summa biblica*, lib. III, cap. 1, quia Patres præsertim Itali ea utebantur. Cfr. item Sabatier, op. et loc. cit. pag. 31.

(5) Etenim S. August. *De doctr. christ.* lib. II, cap. 11, n. 16: *Qui Scripturas, inquit, ex hebræa lingua in græcam verterunt, numerari possunt, latini autem interpretes nullo modo. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex græcus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari.*

(6) *De doctrina christ.* lib. II, cap. 15.

(7) Cfr. Jos. Blanchinius, op. cit. *Præf. gener.* pag. 28.

a Tridentino est insignita, eo quod et ipsa vetus evaserit, intervallo plus minus 1000 annorum, quot nempe a tempore, quo primum prodiit, usque ad laudatum Concilium defluerant; eo vel magis, quod ex non usu vetus illa Itala vix oblivioni data non fuerit (1). Editio vulgata a Tridentino probata maximam partem constat ex versione Hieronymiana, et ex libris illis, quos idem Sanctus saltem recensuit et castigavit (2). Licet porro vulgata versio identidem a viris doctis ad veræ lectionis integritatem revocata fuerit, et a mendis, quæ ex librariorum oscitantia irrepserant, expurgata (3), tamen ætate Concilii Tridentini pluribus iterum maculis scatebat, quapropter Concilium, eadem sess. IV, decrevit et statuit, ut in posterum Vulgata hæc editio *quam emendatissime imprimeretur*.

(1) Doctus Sabatier, monachus Maurinus, ex codicibus Mss., ex veterum Patrum auctorumque ecclesiasticorum scriptis, Missalibus, Breviariis, aliisque monumentis, in quibus veteris hujus interpretationis fragmenta et lacinia extabant, incredibili studio et patientia integram pene collegit et vulgavit, tribus volum. in folio, Remis 1743. Idem præstitit, magna saltem ex parte, Blanchinius in *Vindiciis*.

(2) Cfr. *Præfat. ad lect.* editionis Clementis VIII. Si enim excipias Psalterium, Baruch, Sapientiam, Ecclesiasticum, duosque libros Machabæorum, qui juxta antiquam versionem latinam retenti sunt, ceteri libri spectant ad versionem Hieronymianam, quam integram exhibent Martianæus et Vallarsius, in *Bibliotheca divina* ejusdem Sancti.

(3) Nam præter Cassiodorum, qui seculo VI (obiit enim magnus hic vir juxta verisimiliorem sententiam anno 575) biblia recensuit, cujus etiam complexio-

nes vulgavit Marchio Maffejus, Alcuinus an. 802 novam recensionem suscepit; item Lanfrancus anno 1089; Stephanus II vero, abbas Cisterciensis an. 1109, nec non Card. Nicolaus, diaconus S. Damasi, an. 1150. Patres Dominicani Parisienses an. 1236 suum ediderunt celebre *Correctorium*, de quo fuse agit Fabricy, Ord. Præd. in op. *Des titres primitifs de la révélation*, Rome 1772, tom. II, pag. 122 et seqq. Postea vero alii id laboris sibi sumpserunt, præsertim Card. Ximenes, qui an. 1517 vulgavit sua Polyglotta, deinde Robertus Stephanus, qui an. 1528 et 1542 novas dedit Vulgatæ editiones; demum Lovanienses, an. 1547, emendatiorem editionem vulgarunt, quæ posterioribus curis magis adhuc expurgata est. Cfr. Cl. Brunati, diss. III, *Del nome, dell'autore, de' correttori, dell'autorità della versione volgata*, inter *Dissertationes biblicas*, quas vulgavit Mediolan. 1838, pag. 59, 60.

252. Nihil intentatum reliquerunt Rom. Pontifices, præcipue vero Gregorius XIII, Sixtus V, Gregor. XIV et Clemens VIII, institutis ad id muneris congregationibus, ut vulgata editio ad mentem Concilii emendatissima prodiret in lucem, uti reipsa factum est. Cum igitur vulgata latina versio in usu fuerit tot seculorum lapsu in Ecclesia occidentali, ac summis SS. Patrum laudibus celebrata (1), cum eam adhibuerint œcumenica Concilia, cum tot doctorum virorum curis ad hebraica et græca exemplaria exacta fuerit, ac sæpius adeo a mendis tum libræriorum tum calcographorum fuerit castigata, ac Romanorum demum Pontificum auctoritate prodierit, nisi desipere velimus, fateamur necesse est, eam plane, non in iis modo quæ ad fidem moresque pertinent, sed in iis etiam quæ saltem substantiam afficiunt, conformem esse fontibus primigeniis, seu originali textui, eidemque plene congruere.

253. Atque hinc illud accidit singulare, quod Protestantes, qui adversus decretum Tridentinum tot ab initio tantosque motus excitaverant, primo illo deinceps animi æstu defervescente, cœperint decretum illud commendare, et vulgatam editionem laudibus

(1) Inter hos eminent S. Gregorius M. In *Ezech.* lib. 1, *Hom.* x, n. 6, et In *Job. Moral.* lib. xx, n. 62, ubi, posteriori nempe loco, scribit: *Longe ab hac sententiâ vetus translatio dissonat... Sed tamen, quia hæc nova translatio ex hebræo nobis arabicoque (Jobi) eloquio cuncta verius transfudisse perhibetur, credendum est, quidquid in ea dicitur; et oportet, ut verba illius nostra expositio subtiliter rimetur.* S. Isidorus Hispalensis, *Etymolog.* lib. vi, cap. 4, n. 5, edit. Arevali: *Presbyter quoque Hieronymus, scribit, trium linguarum peritus, ex hebræo in latinum eloquium easdem Scripturas convertit eloquenterque transfudit, cujus interpretatio merito ceteris ante-*

*fertur. Nam est et verborum tenacior, et perspicuitate sententiæ clarior, atque, utpote a christiano interprete, verior.* De *Officiis*, lib. 1, cap. 12, n. 8, præterea hæc habet: *De hebræo in latinum eloquium tantummodo Hieronymus presbyter sacras Scripturas convertit. Cujus editione generaliter omnes Ecclesiæ usquequaque utuntur, pro eo quod verior sit in sententiis et clarior in verbis.* Alii plures cfr. apud Maurin. edit. opp. S. Hieronymi, in Prolegom. in *Divinam Biblioth.* ProL. II, ubi ostenditur, ipsum S. Augustinum, qui prius novæ versioni infensum se præbuerat, postea summis laudibus eam extulisse, ac in usum suum deduxisse.



prosequi, ceterisque versionibus antepone. Longus nimis essem, si omnia, quæ in hanc rem extant, doctissimorum inter Protestantes testimonia adducere hic vellem, Conradi Pellicani, utriusque Osiandri, patris scilicet ac filii, Theodori Bezæ, Isaaci Casauboni, Hugonis Grotii, Joan. Drusii, utriusque Buxtorffii, Ludov. De Dieu, Waltoni, Millii; Boisii, aliorumque passim (1). Satis propterea nobis hic sit unum aut alterum in medium afferre:

*Annotavi autem, inquit Grotius, quæ annotanda duxi ad latinam versionem, pridem receptam, quam semper feci plurimi, non modo quod nulla dogmata insalubria contineat, verum etiam quod multum in se habeat eruditionis, quamvis in dicendi genere satis horrido* (2); et iterum: *Tutissima omnium iis, qui nec hebraice nec græce didicere, est vulgata versio, quæ nullum habet malum dogma, sicut tot sæculorum et gentium consensus judicavit* (3). Waltonus, de doctis suis acatholicis scribens, ait: *Vulgatam ceteris latinis hodiernis in hoc præferendam existimant, quod omnibus antiquior, et in Ecclesia occidentali per mille annos publice recepta sit, unde merito magni facienda est, nec temere rejicienda, ut postea fusius ostendemus* (4). Item Millius, suffragium suum suffragio Boisii jungens, scribit: *Joannes Boisius nostras scripsit tractatum longe doctissimum... in quo versionis veteris (vulgatæ) agit vindicias, ejusque loca quamplurima, cum Bezæ aliorumque versionibus collata, recte omnino se habere demonstrat* (5). Demum Joan. Dav. Michaëlis: *Præverat, inquit, Vulgata male deinceps ab aliis neglecta, cum sit versionum una omnium præstantissima... Ipsi enim audi-*

(1) Hos magno numero collegit Brunatus, in cit. dissert. pag. 73 et seqq. Alios quoque profert vel ipse Hodius, op. cit. lib. III, cap. 16, et Czuppon, op. cit. *Vindiciæ Vulgatæ latinæ edit.* tom. I, pag. 33, et iterum pag. 89.

(2) In præf. seu monito ad lectorem præmisso comment. in libros Vet. Test. *Opp. theolog.* tom. I, Amstel. 1679.

(3) Cit. edit. tom. III, pag. 674, in *Voto pro Pace ecclesiastica.*

(4) *Proleg.* 10, n. 10, pag. 72, col. 1. Eadem repetit et inculcat in fine ejusdem prolegomeni, pag. 74, col. 2.

(5) *Prolegom. in Nov. Test.* edit. cit. pag. 138. Eadem fere scribit, ibid. pag. 162 et pag. 180.

*tores mei, tam protestantes quam pontificii, facile recordantur, quantopere ego Vulgatæ usum tum criticum tum exægeticum commendem, ejusque contemptum vituperem* (1). Hæc quidem doctiores protestantes veteres et recentiores, quibus plures alii addi possent; cum his vero si compares, quæ nonnulli neoterici catholici incaute ac temere de vulgata versione scripserunt, patebit, quo ferant amor novitatis cunctaque innovandi inconsulta lubido (2).

254. Ex his jam sequitur, quod tertio loco proposuimus ad decretum Tridentinum vindicandum, scilicet argui nunquam potuisse aut posse hanc versionem alicujus erroris, nedum in doctrina de fide et moribus, sed neque in iis quæ rerum in ea contentarum substantiam attingant. Quod tum *positive*, ut aiunt, tum *negative* facile ostendi potest. Etenim id primum conficitur ex aperta Protestantium confessione, quos adduximus, qui palam profitentur, nullum circa dogmata in Vulgatam errorem irrep- sisse, quos inter Milius eo usque progressus est, ut scribere non dubitaverit: *Certe tantum abest, ut ad textum græcum excu- sum quamcumque* (Vulgatam Novi Testamenti) *reformatam velim, ut contra optime cum ea actum existimem, si, manu- scriptorum exemplarium diligenter collatorum ope, talis apud*

(1) *Supplem. ad lex. hebraic.* part. III, pag. 992, et *Biblioth. orient.* tom. XXI, n. 311. Quæ idem auctor scripserit in *Introd. ad Nov. Testam.* postea afferemus.

(2) Inter quos dolemus recensendum esse Hug, cujus verba in gallicam lin- guam conversa exhibet Cellérier, op. cit. *Introduction*, etc. pag. 200 et seqq. quæ paulo post expendemus. Item con- numerandi Jahn, *Introd. in Lib. sacr.* § 65 et seqq. qui inter cetera commemorat Salmeronem, qui cum Bellarmino interfuit Concilio Tridentino, etsi Bellarminus longe post Salmeronem flo- ruerit, nec unquam Concilio interfue- rit; et Georg. Hermes, qui, *Einleitung*,

etc. seu *Introd. in Theol. christiano- catholicam*, part. altera, pag. 437, falso tradit, Decretum Tridentinum le- gem disciplinarem fuisse, quæ tantum per id temporis obligationem inferebat; idque hac ratione confirmat: *Etenim hoc sensu acceptum* (decretum illud) *erat ordinatio quædam ac medium illi tempori peropportunum, in quo mu- tua conflictatio inter plures latinas ver- siones periculum orthodoxæ doctrinæ afferebat; ac proinde cessabat ipsa per sese, statim ac ea conflictatio* (atque hæc quidem jamdiu desivit), *et con- sequens inde veræ christianæ doctrinæ periculum sublatum esset.*

*posteris prodeat, qualem eam edidit Hieronymus* (1). Et sane, si ex dictis constat de hujus versionis cum textibus primigeniis conformitate, fieri nequit, ut ipsa quidpiam contineat, quod illorum substantiæ adversetur. Id ipsum præterea probatur ex usu constanti ejusdem versionis per annos plus minus mille in universa occidentali Ecclesia. Quî enim acciderit, ut Ecclesiæ pars nobilissima, præsertim vero Romana, tot usa seculis fuerit versione vitiosa in rebus substantialibus? Quod quidem vidit Ludovicus ipse Capellus, qui quamvis heterodoxus hæc luculenta sane protulit: *Non est passus Deus in translationes, quibus Ecclesia sua usa est, et etiamnum hodie ubique utitur, gliscere varietatem seu alterationem momentosam, quæ doctrinam ipsam immutat atque corrumpat* (2). *Negative* autem quod intendimus demum evincitur ex solutione difficultatem, quas acatholici adversus Vulgatam identidem opposuerunt, quarum nulla est, ut ex inferius dicendis patebit, quæ substantiam ipsam afficiat.

255. Sive igitur spectetur versionis Vulgatæ per tot secula in Ecclesia usus, sive adversariorum ipsorum suffragium, sive denique impossibilitas quidpiam in ea reperiendi, quod argui erroris queat in rebus fidei aut morum, aut quod substantiam quoquomodo attingat, patet, quod evincere proposuimus, nihil videlicet in ea contineri, quod textui primigenio plane conforme non sit; adeoque, quod consequens est, merito a Synodo Tridentina latinam vulgatam editionem pro authentica habendam esse, statutum fuisse ac declaratum.

256. Verum et illud præterea lucri ex Tridentino habemus, quod hæerere haud amplius debeamus circa genuinam versionem, prout hæerere necessario debent Protestantes; qui, cum noluerint agnoscere uti authenticam versionem Vulgatam, fluctuant incerti in electione tot inter versiones, quæ apud ipsos prodierunt (3). Et quamquam ipsi huic incommodo occurrere saterint

(1) *Proleg. in Nov. Test.* pag. 142.

(2) *Critica sacra*, Lutet. Paris. 1650, lib. vi, cap. 5, § 10, pag. 403.

(3) Sane, licet innumeræ prope a

Protestantibus versiones tum ex hebraicis cum ex græcis fontibus adornatæ fuerint, nulla tamen est apud ipsos communis versio; et, quoties adhuc



tum in synodo Dordrechtana (1), tum in synodo Lipsiensi, cui subscripserunt Melanchthon, Pomeranius, Major, aliique (2), res tamen infecta est, aliis Protestantibus obsistentibus, cum nulla ad id cogi auctoritate possent. Quo fit ut nondum convenerint in ulla admittenda communi versione, et adhuc de varietate et infidelitate versionum suarum conquerantur (3). Imo de genuino textu adeo certi non sunt, ut nondum inter se convenire potuerint in textu primigenio assignando, atque in vera determinanda lectione sive textus hebraici quoad Testamentum Vetus, sive textus græci quoad Novum, post tot scilicet exantlatos labores, post tot criticas recensioni (4)!

## DIFFICULTATES

257. Obj. prima. 1<sup>o</sup> Obstupuerunt exteri, inquit Sarpus, quum acceperunt, a conventu paucorum Episcoporum, qui neque in theologia valde versati erant, definitum adeo gravem articulum fuisse (5). Nimis sane inconsulto ac leviter ejusmodi decretum

ab ipsis commentaria eduntur in Scripturam, toties novam exhibent versionem a se factam, ut patet ex editione Koppiana, ex *Scholiis* utriusque Rosenmülleri, ex *Commentar.* Kuinoelii, ex *Opusculis* Knapii, aliisque passim ipsorum operibus.

(1) Cfr. J. B. Branca, *De sacr. libror. latinæ vulgatæ editionis auctoritate*, Mediol. 1781, vol. 1, lib. 11, cap. 3, pag. 203-205.

(2) Cfr. Bellarm. *De verbo Dei*, lib. 11, cap. 10, n. 1.

(3) Cfr. Branca, op. cit. loc. cit. Sane vel ipse Grotius, in *Voto pro pace*, opp. edit. cit. pag. 674, hæc de Protestantium versionibus scribit: *De versionibus Bezae et Piscatoris, quorum eruditionem ego magni facio, et aliorum, quorum eruditionem non*

*tanti facio, sæpe eas detortas ad privatos ipsorum sensus monuere multi... et de Genevensi versione, quæ tamen in locis non controversis non est spernenda, Rex Jacobus, etc.*

(4) Inter tot editiones criticas a Protestantibus editas, sive in Germania, sive in Anglia, sive in Gallis, tum Veteris tum Novi Testamenti a Beza et Roberto Stephano usque ad Michaëlisium, Griesbachium et Lachmann, nulla est quæ cum altera plene consentiat, diversæque lectiones, interdum etiam non parvi momenti, reperiuntur, nec textus communis omnibus adhuc habetur.

(5) *Storia del Conc. di Trento*, lib. 11, coll. Pallavicini, *Istoria*, etc. lib. vi, cap. 17.

editum esse, constat ex ipsa rei, qua de agitur, natura. 2° Etenim Vulgata latina versio non una, sed multiplex est; conflatur scilicet ex plurium antiquarum versionum mixtione, quarum auctores ignorantur (1). 3° Quod si Hieronymo auctore emendata est ad fidem græcorum exemplarium, cito depravata fuit ejusmodi recensio et permixta ex versione antiqua corruptissima (2), 4° adeo ut in plurimis adhuc differat versio hæc vulgata a versione, quæ est in Bibliotheca divina S. Hieronymi (3). 5° Quamobrem recte illam vocaveris centonem quemdam ex diversis laciniis consutum, quin tuto affirmari possit ad quamnam antiquarum versionum pertineat (4). 6° Sed præterea detrita est, cum in locis minime paucis a textibus primigeniis tum hebraicis tum græcis dissentiat; ac in nonnullis abundet, in aliis vero desit, ac sæpe differat ab antiquis orientalibus versionibus, præsertim vero Syriaca Peschito, quæ purissima omnium censetur (5). 7° Satius proinde fuisset Tridentinæ Synodo illorum obtemperare consilio, qui hujusmodi incommodis permoti proposuerant, ut nova e fontibus versio fieret, quæ authentica declararetur (6). Duplex exinde emolumentum percepissemus, alterum nempe, quod versionem elegantioreni possideremus, totque iis carentem barbarismis, quibus Vulgata scatet, uti sperandum erat seculo XVI, quum græcæ ac latinæ litteræ maxime florerent; alterum vero, quod liberi essemus ab innumeris prope aucupandis variantibus lectionibus, quæ reperiuntur ex collatione vulgatæ versionis cum codicibus Mss. quibus abundant bibliothecæ nostræ. Ergo.

258. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Dist.* Obstupuerunt hæretici, et quidem immerito, *conc.*; Catholici, *neg.* Huc pariter referenda sunt, quæ adversus hanc ipsam difficultatem, quam Sarpus excitarat propter decretum a Concilio editum de sac. Librorum canonicitate, alibi reposuimus. Sed et illud adjicimus, Episcopos Ger-

(1) Cfr. Michaëlis *Introd. au Nouveau Test.* tom. II, première part. chap. 7, sect. 29.

(2) Ibid.

(3) Ibid. et sect. 28.

(4) Ibid.

(5) פִּשְׁיְתָא *Peschito* idem ac *simplex, pura, literalis.*

(6) Ita Sarpus, loc. cit.

maniæ datis litteris suam aperuisse mentem, quæ plane conformis erat iis, quæ deinceps in Concilio constituta sunt (1).

259. Ad 2<sup>m</sup>, Resp. Esto; nec enim ex auctore vel auctoribus vulgatæ versionis de ejus dotibus judicium ferendum est, sed ex ejus fidelitate, seu intrinseca cum textibus primigeniis conformitate, atque ex diuturno plurium seculorum usu, qui publice obtinuit in Ecclesia, illam facto ipso probante, illique auctoritatem conciliante, quicumque demum sint qui eam confecerint.

260. Ad 3<sup>m</sup>, *Dist.* In privatorum codicibus, *trans* vel *conc.*; in codicibus, qui publico Ecclesiarum usui inserviebant, *subd.* qui tamen identidem emendati sunt a nævis, quos labente tempore contraxerant, *conc.*; secus, *neg.* Fieri certe non potuit in tanta exemplarium multitudine et varietate, ut quædam vitia vel librorum incuria et oscitantia, vel privatorum audacia aut imperitia non irrepserint in Vulgatam Veditionem. Ast nunquam defuerunt in Ecclesia viri apprime docti, qui eam revocaverint ad suam integritatem; prout præstiterunt, ut paulo ante scripsimus, Cassiodorus, Beda, Alcuinus, Lanfrancus aliique subsequentibus ætatibus (2). Nulla fortasse versio est, quæ tot recensioni et castigationes obtinuerit uti Vulgata, cujus puritati Rom. Pontifices consuluerunt, donec eorum cura prodiit nova emendatio, quæ in præsentibus editionibus cernitur.

261. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Quia Ecclesia noluit exclusive cujusvis peculiari versioni ita se addicere, ut, si opportunum duceret, uni potius quam alteri lectioni adhæreret, *conc.*; alio sensu, *neg.* Quamvis enim Ecclesia adoptaverit generatim versionem ac recensione Hieronymianam, non ea tamen ratione adoptavit, ut, si judicaret in nonnullis retinendam esse antiquam lectionem,

(1) Cfr. Branca, op. cit. lib. 1, cap. 3, § 14.

(2) Cfr. etiam Cellérier, *Introduction*, etc. pag. 199; necnon Cl. Ungarelli, e Cleric. S. Pauli, in diss. *Collectio Vulgatæ latinæ editionis correctionum juxta SS. Concilii Tridentini decret. per summos Pontifices Six-*

*tum v, Greg. xiv et Clem. viii præstitarum. Prolegomena*, § 1, quæ edita sunt in *Annali delle scienze religiose*, vol. iv, num. 10, 11 ac 12. Ex egregiis viri, multiplici eruditione ac veterum linguarum peritia præstantis, laboribus haud parum fructus in rem hanc nostram derivavimus.



quam bonam aut meliorem esse deprehenderet, deberet eam abjicere, sicut reipsa fecit. Ecclesia siquidem vera depositaria est ac custos Sacrarum Litterarum, et veræ lectionis iudex. Ex hoc intelligimus, non cæca ratione Ecclesiam se gessisse in electione versionis suæ. Ceterum ejusmodi varietates nec multæ sunt, nec magni momenti, uti ex Bibliothecæ divinæ S. Hieronymi collatione cum Vulgata nostra cognosci facile potest (1).

262. Ad 5<sup>m</sup>, *Dist.* Id est, constat Vulgata latina diversis antiquarum versionum partibus, quæ legi consueverunt in Ecclesia, *conc.*; informi et inconsulta collectione, *neg.* Uti jam animadvertimus, vulgata editio majore sui parte, imo præcipua ex versione S. Hieronymi coalescit, et ex versionibus, quas ipse emendaverat ac recensuerat, nonnullis variantibus exceptis. Qua igitur ratione posset illa dici cento quidam ex diversis laciniis consutus? Elucet potius in illa summa puritas, ita ut meliores versiones antiquæ, præsertim syriaca, et recensio occidentalis Alexandrina ac Palæstinensis maxime eidem congruant; quo fit ut Michaëlis ipse haud affirmare dubitet, versionem latinam cunctis versionibus occidentalibus basim ac fundamentum constituisse (2).

263. Ad 6<sup>m</sup>, *Dist.* Differt vulgata versio a textibus primigeniis, et quidem prout nunc habentur, in nonnullis accidentalibus, *trans* vel *conc.*; in iis quæ ad substantiam pertinent, *neg.* Has varietates seu differentias jamdiu collegerant Bellarminus (3), Bukentop (4), Goldhagen (5), Czuppon (6), aliique

(1) Cfr. Prolegomena in Biblioth. divinam S. Hieronymi Martianæi et Ponget, quæ in edit. Parisiensi habentur vol. 1, et in edit. Vallarsii tom. IX. Cfr. etiam Jos. Blanchinius, *Vindiciæ*, etc. *Divina Bibliotheca, seu variantes lectiones Vet. Test. juxta hebraicam veritatem translata, et Novi, græcæ fidei redditi a S. Eusebio Hieronymo.*

(2) *Introduct.* tom. II, chap. 7, sect. 21; cfr. etiam tom. 1, chap. 7, sect. 2 et suiv.

(3) *De verbo Dei*, l. II, c. 12, 13 et 14.

(4) In op. cui tit. *אור מאור* seu *Lux de luce.*

(5) *Spicilegium Apolog. præcipuorum Novi Test. locorum, quos novatores nostra in Vulgata accusant.* Ad calcem suæ catholic. græci Novi Test. edit. cum variantibus lectionibus, quæ demonstrant vulgatam latinam ipsis græcis Novi Test. codicibus hodieum authenticam. Mogunt. 1773.

(6) *Vindiciæ vulg. lat.* sect. 3, pag. 386 et seqq.

passim (1). Ostenderunt porro auctores isti, non solum in doctrina, sed neque in substantialibus rebus ullam reperiri discrepantiam inter versionem Vulgatam ac primigenios textus, quod jam fatentur Protestantes ipsi, quorum testimonia paulo ante attulimus aut indicavimus, iisdemque alia plura adjici possent, si opus esset. Hic præterea omitti nequit, nonnullos veluti discrepantem a textibus primigeniis versionem latinam eo nomine traduxisse, quod minime hæc conveniat cum codicibus seu codicum familiis, quas ipsi secuti sunt. Ast hi meminisse deberent, versionem latinam pluribus seculis vetustiorum esse codicibus omnibus, quos adhuc possidemus; et codices hodiernos comparari haud posse cum antiquioribus, quos præ manibus habuerunt antiqui interpretes, in quibus diversæ lectiones inveniuntur a recentioribus discrepantes (2), eademque judicio Ecclesiæ veriores. Quamobrem non semel vera lectio e versionibus illis quæri debet ac statui (3).

(1) Morinus, *Exercitation. biblic.* Blanchinius, *Vindicæ*, etc.

(2) Hoc luculenter patet ex iis, quæ scribit S. Hieronymus ad Damasum, in quibus, cum commemorasset codices Lucianæos et Hesychianos, quos reprobabat, profitetur, se Evangelia ad *Veteres* codices emendasse, scribens: *Igitur hæc præfatiuncula pollicetur quatuor tantum Evangelia... codicum græcorum emendata collatione, sed veterum, quæ ne multum a lectionis latinæ consuetudine discreparent.* Isti autem veteres codices sunt Palæstinenses, quos collegerat et emendaverat Origenes, ut ipsemet profitetur, *Comment. in Matth.* xxiv, 36, et *In epist. ad Gal.* iii, 1, ubi subdit: *Hoc, quod in exemplaribus Adamantii non habetur, omisimus*, quique reperiebantur in bibliotheca Cæsareensi a S. Pamphilo collecta. Porro tum Veteris tum Novi Testamenti codices Mss. qui adhuc asservantur, si

excipias Vaticanam et Alexandrinam seu Londinensem, qui tamen Hieronymo posteriores sunt, pauci admodum ascendunt ad sec. vii vel viii; reliqui omnes posteriores sunt. Cfr. Czuppon, op. cit. tom. 1, pag. 114 et seqq. in nota.

(3) Quod nec diffitetur ipse Michaëlis, *Introd.* tom. 1, ch. 7, sect. 13 et alibi. Sane hanc regulam secutus est S. Hieronymus ad repudiandos codices Lucianæos et Hesychianos, ut legitur in cit. epist. ad Damas. *Quum multarum gentium linguis Scriptura ante translata doceat, falsa esse, quæ addita sunt.* Certe plures partes in Nov. Test. reperiri, in quibus Vulgata veriorum exhibeat lectionem quam textus ipse græcus, eruditi critici agnoscunt, præsertim in Actis apostolicis, adeo ut in his non Vulgata ad textum gr. sed græcus textus ad latinam vulgatam exigendus sit.



Ad summum dici potest, editionem Vulgatam nondum esse numeris omnibus absolutam, ita ut in rebus levioris momenti aliquot adhuc nævis aspergatur, quæ ulteriori castigatione opus haberent, prout nonnulli etiam docti catholici fassi sunt, imo eam efflagitarunt (1). Quod quidem a sola publica ac legitima auctoritate, nempe Rom. Pontificis, minime vero a quopiam privato individuo præstari posset, ut ipsa rei, de qua agitur, natura exposcit.

264. Ad 7<sup>m</sup>, *Dist.* Id est, non convenit in omnibus Vulgata editio cum quolibet peculiari codice, aut etiam cum qualibet singillatim familia, quæ primitivum codicem repræsentet; *trans.*; non convenit cum iis simul sumptis, aut saltem cum iis, quos præ oculis habebat S. Hieronymus, deinde vero Cassiodorus, *neg.* Difficile est reperire in Vulgata lectionem aliquam, in qua discrepet a textu communi, cujus fundamentum non occurrat in aliquo aut pluribus etiam codicibus, aut in allegationibus Patrum antiquissimorum, aut in versione aliqua pervetusta (2). Ope pro-

(1) Inter quos J. Bernardus De Rossi, qui in *Introduzione alla sacra Scrittura*, Parma 1817, § 78, quum plura disseverit de vulgata editione, quam, prout prodiit per Sixtum v et Clementem VIII, etsi emendatiorem esse affirmet cunctis anterioribus editionibus, haud tamen dissimulat nævos quibus adhuc infecta est, concluditque: *È dunque da desiderarsi, e vivamente desideriamo per decoro e splendore della religione, e della Volgata medesima, che sorga un nuovo Pontefice, il quale ce ne dia una nuova più corretta, e più accurata edizione, e renda più compito e più perfetto il beneficio di que' due suoi predecessori. Qual nuovo titolo di gloria non sarebbe questo per lui!* Hujus loci versio latina datur ad calcem voluminis. Jam retulimus, Lu-

cam Brugensem loca collegisse, in quibus optabat Vulgatam emendari, quæ non minus quam 400 sunt.

(2) Ne quis suspicetur, exaggerata hæc a nobis esse, testes assertionis dabimus auctores protestantes, scilicet Bezam, qui sic Erasmus arguit: *Quam immerito Erasmus multis locis veterem interpretem reprehendit, tanquam a græcis dissentientem! Dissentiebat, fateor, ab iis exemplaribus (græcis Novi Test.), quæ ipse nactus erat. Sed non uno loco comperimus, aliorum codicum et quidem vetustissimorum auctoritate eam interpretationem niti, quam ille reprehendit; quin etiam aliquot locis animadvertimus, veteris interpretis lectionem, quamvis cum nostris græcis exemplaribus non conveniat interdum, tamen multo melius quadra-*



fundioris studii critici deprehenderunt demum non pauci recentiores Protestantes, nimis leviter et audacter vetustiores aliquos criticos aut sustulisse aut in dubium revocasse plura loca, quæ abundare videbantur in Vulgata (1). Syriaca porro Peschito, de qua nondum controversia absoluta est (2), in plerisque præ ceteris congruit cum Vulgata, etsi in nonnullis, ut fit, discrepet ab ea; verum semper præ oculis habendum est, versionem latinam ceteris esse omnibus anteriorem.

265. Ad 8<sup>m</sup>, *Neg.* In hac enim hypothesis destitueremur versione critica, eaque antiquissima tot publico seculorum usu probata. Si Concilium morem gessisset paucis illis, qui novam versionem e fontibus fieri consulebant, non effugisset censuram horum ipsorum, qui nunc eidem crimini vertunt id, quod veluti sapientem deliberationem doctiores ipsi Protestantes celebrarunt. Inter quos Drusius: *Non male, inquit, meo iudicio, Patres Concilii Tridentini receperunt in scholis interpretem vulgatum; nam utut errores aliquot habeat, habent et alii suos, longe fortasse plures quam ille* (3). Huic Buxtorfius adstipulatur (4). Prætereo

*re, nempe quod emendatius aliquod exemplar secutus esse videtur.* Apud Rich. Simon. *Hist. critique du Nouv. Test.* chap. 25, et Morin. *Exerc.* 11, cap. 3, n. 3. Sic etiam Isaac Casaubonus, de quo Walton, *Prol.* x, in Polygl. num. ult. pag. 74, scribit: *Notis suis ad Evangelia et Acta sæpe vulgata editionem græci textus hodierni lectioni præfert, et cum antiquis græcis Mss. Vulgatam convenisse ostendit.* Satis etiam est ad hoc cognoscendum conferre Vulgatam cum pluribus lectionibus, quæ consonant cum iis, quæ offenduntur apud Irenæum, Tertullianum ac Cyprianum, quæ tamen dissentiant a lectione, quæ reperitur in græco textu vulgato, aut in variantibus lectionibus, quas subiecit suæ editioni Oxoniensi Joan. Gregorius an. 1703,

et longe copiosiores Griesbachius.

(1) Ex his maxima Ecclesiæ prudentia elucet, quæ, non obstantibus tot criticorum clamoribus, intactum textum suum conservavit. Si ipsis auscultasset, quoties immutare ac restituere, quæ abstulerit, debuisset?

(2) Cfr. Bengel, *Introd. in crisis* Nov. Test. Ridley, *De syriacis versionibus*, apud Michaelis, opp. cit. *Introd.* tom. 1, première part. ubi etiam idem auctor illorum sententias discutit, chap. 7, sect. 3 et 4.

(3) *Annot. in lib. Num.* cap. 159, apud Joan. Buxtorfium fil. *Anticritica seu Vindicatio veritatis hebraicæ*, Basilæ 1653, part. 1, cap. 8, pag. 143.

(4) Ibid. Subscribere enim se profitetur iudicio Drusii, quem summopere commendat.

autem innumeras pene difficultates, in quas se coniecisset Concilium, si illorum sententiæ optemperasset; debuisset enim prius textum tum hebraicum tum græcum authenticum determinare, quod in tanta lectionum varietate difficile admodum esse, patet ex trium seculorum sive Catholicorum sive Protestantium laboribus, inquisitionibus, systematibus, quin tamen adhuc pertingere ad metam potuerint. Deinde in locis obscuris et ambiguis verum sensum debuisset eligere, quod pariter operosum est, ut eruditi norunt; neque sic tamen plurimum offensionem declinasset. Adeo verum est, faciles haud esse aures præbendas iis, qui præter superficiem res non intuentur!

266. Ad primum autem emolumentum, quod adversarii jactant, reponimus, non tam de elegantia quam de veritate ac fidelitate versionis nos sollicitos esse debere. Si neque Deus ipse hanc a scriptoribus, quos inspiravit, requisivit, cur hanc nos curiosius consecrabimur? Hoc plane esset a fine aberrare, ob quem Deus nobis Scripturas dedit, ad nos videlicet instruendos et emendandos, non autem ad emulcendas aures nostras. Quotquot proinde cum fidelitatis dispendio seculo XVI et seq. elegantiam in versionibus biblicis aucuparunt, infelicem exitum sunt experti, cum nemini arriserint (1). Quanquam et illud addendum est, si in nonnullis Scripturæ partibus barbarismi offenduntur, in maxima tamen parte non deesse latinæ linguæ puritatem. En quomodo de Vulgata Steuchus Eugubinus, trium linguarum apprime gnarus, disserat: *Tanta est, inquit, nostræ interpretationis elegantia, tanta proprietates, tam mirabili prudentia vitat hebraismum, seseque nostræ phrasi accommodat, ut alterius esse quam eruditissimi Hieronymi, minime ut credam adduci possim... Si quid in hac nostra editione diversum ab hebraica veritate invenitur,*

(1) Cfr. Czuppon, *Vindiciæ*, etc. qui tom. II, sect. 5, omnes ad suam usque ætatem Catholicorum et acatholicorum versiones ex hebraicis ac græcis fontibus recenset et expendit una cum criticorum judicio, concluditque, nul-

lam hactenus effectam esse, quæ cum Vulgata comparari possit ob innumeras exceptiones, quas patientur, non modo ex parte Catholicorum, verum etiam heterodoxorum.

*perleve certo est, et quod uno apice rasarciri possit... Hanc quoties cum hebraica veritate contulimus, toties in magnas ipsius interpretis laudes erupimus, admirati tantam majestatem, tantam in transferendo prudentiam, tantum judicium, tantum leporem, tantam perspicuitatem, etc.* (1). Nec diversa ratione de lingua Vulgatæ judicium tulerunt celebres Protestantes.

267. Alterum vero, quod prædicant, emolumentum nullius pariter momenti est, tum quia variantes ipsæ lectiones conferunt ad criticam et exegeticam, ac utiles proinde sunt (2); tum quia incurreremus in aliud incommodum; quandoquidem nova ejusmodi versio componi haud posset cum tot variantibus lectionibus textuum tum hebraici tum græci, novæque controversiæ pululassent.

268. Obj. Secunda. Si historiam recensiois Vulgatæ consulamus, quam imperfecta hæc sit magis deprehendemus. Vix enim Tridentinum de vetere et Vulgata editione *emendatissime* imprimenda décretum emisit, ut Rom. Pontifices ad sese illud negotii revocaverint, quod Lovanienses Theologi perficere cœperant (3). Pius IV et Pius V, congregationibus ad id institutis, correctionem maturandam tradiderunt; ast Sixti V fervens alacritas omnis moræ

(1) Præf. ad lect. op. *Veteris Testamenti ad veritatem hebraicæ recognitio*, Venet. 1829, et in op. *Vulgata editio an sit Hieronymi*, 1534, apud Brunati, diss. cit. pag. 81.

(2) Hodius, op. cit. *De Biblior. textibus original.*, etc. lib. III, cap. 16, commemorat Albericum Gentilem ex catholico protestantem, gente Italum atque in univers. Oxoniensi jurisprudentiæ professorem, qui libellum edidit *De latinitate Veteris Bibliorum versionis male accusata*. Obiit porro infelix hic apostata an. 1608. Michaëlis, tom. II, chap. 7., sect. 24, ostendit, criticum haud exiguam utilitatem ex verbis aut phrasibus latinæ linguæ, quæ in Novi

Testamenti versione reperiuntur, haurire posse, atque concludit: *Il n'est aucun motif pour traiter avec mépris la Vulgate, que je préférerais à la Bible de Castalió, pour la raison que je viens de dire. J'ai souvent parlé de ce sujet avec le célèbre Gesner, qui avait coutume de dire, que la Vulgate était pour lui un livre classique, non qu'il pût apprendre d'elle un latin élégant, mais parce qu'elle lui donnait les moyens d'embrasser le latin dans toute son étendue.*

(3) Concil. Tridentinum decretum suum edidit die April. 1546. Prima vero editio Lovaniensis prodiiit anno mox insequenti 1547.



impatiens, ut cito absolveretur, effecit, et exitum evulgavit per constitutionem editam kal. Mart. 1589. Typographiam in palatio Vaticano instituit, et ipsemet emendationi mendorum typographicorum operam dedit: *Nostra*, inquit, *nos ipsi manu correximus, si quæ prælo vitia obrepserant*. Prodierunt hæc Biblia sic emendata an. 1590. Ast festinatus hic labor, qui venerationis sensum in omnibus conciliare debuisset, tum Catholicorum tum Protestantium in satyras et criticam statim offendit. Innumeris siquidem prope mendis scatebat hæc editio, quæ chartulis obductis, vel calamo celare nisus est Pontifex, sed perperam. Sixto interea perfuncto, Gregorius XIV novam emendationem Bibliorum suscepit; ast morte præreptus, hæc publicata non fuit nisi paucos post dies a coronatione, quam vocant, successoris ejus, Clementis VIII. Ast quomodo honori consulere Sixti V et auctoritati pontificiæ? Bellarminus hunc modum invenit, mediante præfatione typographi ad lectorem, quam ipsemet confecit, in qua menda omnia typographo adscriberentur. Hæc præfatio causa potissima esse debuit *canonizationis* Bellarmini (1). Clementina hæc editio, quæ pluries recusa est ac novis semper emendationibus aucta; cum in non paucis editioni adversaretur Sixtinæ, occasionem præbuit James vulgandi libellum, cui tit. *Bellum papale* (2), et Amamæ suum *Anti-barbarum Biblicum* (3). Ex præfatione porro Bellarmini videtur, ex una parte fixum Pontificibus fuisse restituere veterem *communem et vulgatam* editionem, ex altera autem sibi proposuisse recensionem Hieronymianam tantum emendare, ut versio ecclesiastica esse posset, quamque reipsa censores uti basim emendationis elegerunt. Quæcum ita se habeant, equis est qui non videat, informem adhuc esse Vulgatæ versionis emendationem? Ergo.

269. Resp. *Dist. ant.* Si consulamus historiam recensionis vulgatæ editionis, prout fingitur, *conc.*; juxta rei veritatem, *neg.*

270. Nam 1<sup>o</sup> ideo ad se Rom. Pontifices totum hoc emen-

(1) Ita Hug, apud Cellérier, op. cit. *Introduction*, etc. pag. 210 et seqq.

(2) De quo fuse scribit Hodius, op. cit. pag. 50 et seqq.

(3) Ibid. et pag. 494.

dationis negotium revocarunt, quia solius publicæ auctoritatis est id proponere, quod communi ac publicæ utilitati est commode inservire debet; alioquin nunquam posset litibus, quæ forte excitarentur, finis imponi. Talis porro est editio emendatæ Vulgatæ. Privati possunt laboribus suis conferre ad faciliorem rei exitum, non autem definitive rem ipsam proponere.

271. 2<sup>o</sup> Si ratio habeatur consilii Sixti V in emendandis Bibliis, et canonum, quos sequendos sibi et congregationi, huic operi perficiendo institutæ, proposuit, patebit, non inconsultæ festinationi aut moræ impatientiæ, sed aliis prorsus causis esse adscribendum, quem perperam adversarii malum exitum vocant Sixtinæ editionis. Quæ ut intelligantur, sciendum est, a præcedentibus Pontificibus, præsertim vero a Gregorio XIII, jamdiu institutam fuisse congregationem ad Bibliorum castigationem, cui præfectus erat Card. Caraffa, et canones quinque sancitos fuisse, ad quorum normam delecti correctores laborem suum exigere debebant. Sixtus V eamdem congregationem ratam habuit; at alios octo canones suffecit, quibus immutata, ut ita dicam, est correctionis basis. Nam juxta priores canones plus indulgebatur collationi versionis et textuum (1); juxta posteriores plus tribuebatur communi lectioni, quæ vigeat in Ecclesia, etiamsi in nonnullis a textibus discrepare videretur vulgata editio (2). Inde factum est, ut *Correctorium Caraffianum*, ut vocant, quod ad normam priorum canonum digestum erat, non arriserit Sixto V, ac plures præterea emendationes omiserit in sua editione ex iis, quæ in illo Correctorio notabantur, idque ex lege sibi præscripta. Interim licet nulla diligentia prætermissa fuerit, qua impressio typographica nullo vitio inficeretur, nonnulla tamen irrepserunt sphalmata, quæ Sixtus V emendavit, et chartulis glutine applicitis admonuit, quomodo se vera lectio haberet; sunt vero, inquit Cl. Ungarellius, loca hujusmodi ita correctæ non ultra quadraginta (3).

(1) Hos canones exhibet Cl. Ungarelli, in cit. *Prolegom.* § 5.

(2) Cf. ibid. § 12.

(3) Ibid. Quod et ego ipse expendi, cum exemplar Sixtinæ ejusmodi editionis in nostra Collegii Romani biblio-

272. Ex his patet, neque adeo mendosam ejusmodi editionem evassisse, ut passim traducitur, neque Sixtum eam repudiassse, ut nonnulli vulgarunt, nec pauca adeo exemplaria impressa fuisse, ut vulgo fertur (1). Quod si Sixtus V cogitavit sub finem pontificatus seu prælo iterum subjicere suam editionem, uti Bellarminus in allegata præfatione aliique testantur, non ob defectum correctionis ipsius Vulgatæ, sed ob menda, quæ reipsa eam in editionem irrepserant, id consilii animo revolvit, quod morte præpeditus executioni mandare non potuit. Ceterum nunquam Sixtum poenituit correctionis suæ, quæ adamussim canonibus sibi præstitutis respondit (2). Rumor autem, qui in vulgus spargi cœpit, Sixtum ante obitum abjecisse castigationem Bibliorum, magna ex parte originem habuit a correctoribus Caraffianis, qui ægre tulerunt, Sixtum plures ex illis emendationibus, quas ipsi proposuerant, neglexisse (3), atque ita amplificata sunt menda Sixtinæ editionis. Hæc tamen magis accessit ad antiquam vulgatam editionem quam Clementina, uti testatur Alex. Geddes, scribens: *Prior (editio Sixti V) plus antiquæ Vulgatæ retinere videtur; melius illa Mss. auctoritate suffulta* (4).

273. 3° E vivis sublato Sixto V an. MDXC, VI Kal. Septemb., nec non Urbano VII eidem suffecto, utpote qui nonnisi tredecim diebus electioni suæ supervixerit, ad thronum pontificalem eve-

theca habeamus. Si quæ alia menda in Sixtina editione occurrunt, minimi momenti sunt. Notandum adhuc est, ex illis XI mendis typographicis, quæ Aldo juniore exciderunt, nonnisi triginta fuisse chartulis obducta, eo quod graviora essent, ac sensum immutare videntur; decem itaque, nec omnia prorsus certa, absque correctione dimissa sunt, ut idem cl. auctor observat, § 15.

(1) Cf. ibid. § 13, et Marchand, *Amœnitates liter.* pag. 438.

(2) Hoc fuse ac erudite ostendit Ungarelli, loc. cit.

(3) Ibid. § 14.

(4) Apud eundem, § 12. Quod et Bern. De Rossi confirmat, in cit. *Introduzione alla sacra Scrittura*, § 78, disserens de criticis, qui scripserunt de editione Clementina: *Trovarono che non poche lezioni vi sono nella Sistina molto migliori e più consentanee ai testi originali di quelle della Clementina. Noi ne abbiamo dati in altra opera nostra degli esempj.* Videsis ad calcem voluminis. Nempe in libro *De præcipuis causis neglectæ heb. litt. discipl.* pag. 93 et seqq.



ctus est, eodem anno in finem vergente, Gregorius XIV. Hic, pluribus urgentibus, novam Bibliorum emendationem suscepit, instituta in hunc finem congregatione, cui pariter sui canones traditi sunt, ad quorum normam emendatio fieret (1). Sicque diversa iterum basis per hos canones perficiundæ emendationi constituta est. Brevi impedimentis a Pontifice e medio sublatis, Zagarolæ ad perfectum res deducta est (2). Editio sic emendata propediem in lucem vulganda erat, cum die 15 Oct. an. 1591 Gregorius XIV fatis cessit; quare usque ad novi Pontificis electionem impressionis negotium dilatatum est. Vix elapsis diebus 14 ab obtitu Gregorii electus est in Pontificem Innocentius IX, qui tamen sub finem Decembris ejusdem anni diem suum obivit. Post mensem creatus est Pontifex Clemens VIII, qui illico animum convertit ad Bibliorum editionem. Gregorianum Correctorium (3) Clemens Patris Toleti S. J. iudicio commisit, qui, septimo vix mense transacto (4), opus sibi demandatum explevit, et exemplar Toletanum (5) prælo subjectum est ab Aldo Manutio, Aldi abnepote, in folio maximo atque iisdem characteribus, quibus Sixtina Biblia iste jam impresserat, et ante illius anni 1592 finem in lucem prodiit, curante typographicam correctionem Angelo Rocca ex Augustiniana familia (6). Neque tamen hæc im-

(1) Hos pariter refert Ungarelli, § 16. Sunt autem numero quinque. Subjicit præterea, § 17, plures observationes circa ejusmodi emendationem.

(2) Ibid. § 19.

(3) Hoc Correctorium Mss. adhuc Romæ asservatur in Bibliotheca Patrum Augustinianensium, *Angelica* nuncupata, una cum facti narratione Angeli Rocca, quæ plurimum juvat ad rei veritatem agnoscendam.

(4) In postrema pagina suarum annotationum, quas apposuerat Bibliis Sixtinis, spatiosis foliis impressis, ad utrumque Testamentum usque ad Apocalypsim, legitur: 28 *Augusti an. 1592,*

*die Sancti Augustini, Clem. viii (sic) a. 1, perfeci annotationes has omnes.* Apud Ungarelli, § 22.

(5) Hoc pariter exemplar, manu Sirleti exaratum, in bibliotheca Vaticana asservatur.

(6) Ut liquet ex litteris apostolicis Clementis viii, quæ ita se habent: *Clemens Papa viii: Hanc Bibliorum editionem, juxta correctionem a Congregatione præstitam, imprimendam mandamus; et iudicio P. Francisci Toleti e societate Jesu committimus, eique nostram hac in re auctoritatem impertimur; emendationem vero typographicam fratris Angeli Rocchensis,*

pressio suis mendis typographicis caruit (1), neque item aliæ, quæ eam proxime subsecutæ sunt, videlicet an. 1593, 1598 et 1624 (2). Interim, si quis conferat inter se editionem Sixtinam et Clementinam, comperiet, alteram alteri adjumento fuisse, plures retentas esse correctiones Sixti V, quarum nulla absque fundamento facta est, quamvis in insequenti non omnes fuerint justas ob causas adlectæ (3); comperiet præterea, diversitates inter utramque editionem exigui esse momenti, adeo ut vere scribere potuerit Bukentop: *Nulla est in utroque Pontifice repugnantia, nulla in utriusque Bibliis alia credendi aut agendi, nulla substantialis diversitas, sed accidentalis solummodo* (4). Nempe ita Sixtina editio ad Clementinam se habet, ut minus perfectum ad magis perfectum.

*Augustiniani a Camerino, fidelitati et industriæ demandamus. - Clemens Papa VIII.*

(1) Sane editionis Clementinæ principis, quæ an. 1592 prodiit, errata typographica octogenerium numerum excedunt, dum vix XL reperirentur in editione Sixtina alicujus momenti. Hujus quoque exemplar habemus in bibliotheca Coll. Rom.

(2) Nam et ea, quæ 1593 edita est, teste Le Long, suis erroribus maculatur, et pluribus quam quæ fuit anno superiore impressa, quæ deinde castigata est editione 1598 in 4° min. Verum neque hæc suis mendis caruit, eo præsertim quod tribus commune est, imo et illi quæ an. 1624, ubi Genes. xxxv, 8, nutritrix Rebeccæ legebatur sepulta *SUPER QUERCUM* pro *SUBTER*, prout recte legitur in editione Sixtina. Hic error postea casu *mere fortuito* deprehensus est, ac sublatus a typographis Plantinianis. De illis editionibus prioribus Clementinis copiose egit Henricus Bukentop, in cit.

*אוד מואד*, seu *Lux deluce*, pag. 487-500, qui præterea comparationem instituit inter lectiones universas Sixtinæ editionis cum lectionibus editionis Clementinæ; ex his porro colligitur, loca mutata ex Sixtina editione in Clementina esse 2134. Egit insuper de Clementinis editionibus, quæ vulgatæ sunt an. 1592, 1593 et 1598, Bonaventura a Magdalono, in op. cui tit. *Triplex Biblico-critica demonstratio*, tom. 1, Venet. 1760, pag. 45 et seqq. Notandum denique est, editiones Clementinas constanter fuisse editas sub solius Sixti v nomine; qui omnium primus in fronte Bibliorum apposuit nomen Clementis VIII, videtur Antonius Laurens, cujus sumptibus prodierunt Lugduni Biblia Vulgata latina, fol. an. 1675, cujus exemplum deinceps ceteri editores sequuti sunt.

(3) Cfr. Ungarelli, in cit. *Proleg.* § 15.

(4) In præfat. ad librum III, op. *Lux de luce*, pag. 316.

274. 4<sup>o</sup> Ex his patet insuper : 1<sup>o</sup> perperam James aliosque Protestantés inter se utramque editionem commisisse, perinde ac si sibi invicem adversarentur, atque ex solo æstu Romanam Ecclesiam carpendi eo adductos esse (1). 2<sup>o</sup> Non ex præpropèra festinatione et ex superbo Pontificis Sixti ingenio factum esse, ut mendis inficeretur ejus editio, sed vere ex typographi lapsu illa irrepsisse, quibus emendandis Sixtus chartulas glutine applicuit (2). 3<sup>o</sup> Si præter vitia typographica nonnullæ lectiones immutatae sunt in clementina editione, id contigisse ex eo, quod diversam methodum secuti fuerint correctores Sixtini et Gregoriani, postea vero etiam Clementini (3); quod innuit Bellarminus in præfatione adjecta sacris Bibliis, qui non solum præli vitia emendata tradit, sed immutata nonnulla præterea docet in Clementina editione ad instrumentorum fidem et collectionem (4),

(1) Equis non deprehendat Protestantium furorē in Ecclesiam catholicam, dum ob exigui momenti correctiones adeo vehementer in eam insurrexerunt? Qui præterea, insanientes in Tridentinum decretum de Vulgata retinenda et emendanda, alii illud *prodigiosum* vocarunt, ut Amama, in *Anti-bar.* lib. 1, cap. 5, pag. 37, alii *temerarium*, ut Hottingerus, in *The-sauro philolog.* lib. 1, cap. 3, pag. 393, alii *infelicissimam temeritatem*, op. cit. part. II, cap. 1, pag. 488, alii *indignissimum facinus*, ut Pfeifferus, *Criticæ sacræ*, cap. 2, n. 5, alii *absurdum ac falsum*, ut Leusdenus, in op. *Philologus hebræus mixtus*, diss. 1, n. 6, alii demum *blasphemum* atque *impium*, ut Glasius, *Philologia sacra*, lib. 1, tract. 1, edit. Lips. 1705, loci. 32. Ad hæc quid dicemus? Illud ipsum quod regius Psaltes : *Superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.*

(2) Attamen Hug, ut Protestantibus

velificaret, scribere haud dubitavit : *Mais le Saint-Siège voulait se réserver ce travail. Pie IV et Pie V le confièrent à des congrégations nommées dans ce but. Sixte V, dont la bouillante activité ne pouvait supporter une marche aussi lente, le fit promptement terminer, et annonça ce succès par une bulle du premier Mars 1589.* Apud Célér. pag. 202. Hoc vere est historiam scribere *a priori*. Hic præterea ibid. subdit : *L'instruction, la véhémence et l'orgueil de Sixte rendent assez probable, que plus d'une fois il contraria les correcteurs et changea l'ouvrage brusquement, malgré eux, et de sa propre main.* Itane catholicus?

(3) Cfr. Ungarelli, in cit. *Proleg.* § 24.

(4) En ejus verba, ex præf. ad lector. præmissa edit. Clementinæ : *Et vero quamvis in hac Bibliorum recognitione, in codicibus Mss. hebræis, græcisque fontibus, et ipsis veterum Patrum commentariis conferendis, non*



quique et alia immutata consulto relicta esse admonet. Patet in-super, 4<sup>o</sup> nomine *Vulgatæ veteris et communis* Bellarminum significasse reipsa Hieronymianam versionem ac recensionem, ut constat ex orationis serie, secus ac insinuat Hug; omnes enim correctores tum Sixtinæ tum Gregorianæ congregationis codicem gothicum Bœticum, præ se ferentem puriorem Hieronymianum textum, uti instrumentum præcipuum adhibuerunt (1). Patet, 5<sup>o</sup> Bellarminum, non ut consuleret honori Sixti V, multo vero minus pontificiæ *infallibilitati*, uti nonnulli Protestantes adjicere solent, permiscentes opus *criticum* cum fidei definitione (2), illam præfationem confecisse, sed ut rationem redderet ipsius editionis (3). Patet, 6<sup>o</sup> tantum abesse, ut hæc præfatio causa extiterit

*mediocre studium adhibitum fuerit; in hac tamen pervulgata lectione, sicut nonnulla consulto immutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consulto immutata relicta sunt.*

(1) De insigni hoc documento, quod primum typis vulgavit Cl. Blanchinius, cfr. quæ doctissimus hic vir scripsit, una cum præfatione Christophori Palomares, ex qua discis, illud exscriptum esse ex codice Lucinii Boetici, qui sex ad Hieronymum notarios miserat ad scribendum, quidquid Hieronymus hactenus in sacras Litteras exaraverat, et eodem S. Doctore dictante, fideliter scripserunt. Habet hic codex ad minus annos 900 antiquitatis et genuinum exhibet versionis Hieronymianæ textum. Romam Rom. Pontificum cura advectus, eo deinceps, tanquam instrumento præcipuo ad veram lectionem *Vulgatæ* restituendam, usi sunt tum correctores Sixtini, tum Clementini. Attamen vix unquam de hoc codice Protestantes mentionem faciunt; ratio est, quia continet celebre comma i Joan. v, 7.

(2) Sic Michaëlis, fanaticus admirator magni Lutheri, qui magnus non fuit nisi ea ratione, qua *magnus* fuit Arius, ceterique heresiarchæ magni fuerunt. Ceterum Michaëlis, op. cit. tom. II, sect. 29, pag. 31, scribit: *Mais, afin de respecter l'infaillibilité du Souverain-Pontife, on prétendit que tout cela avait été fait à cause d'un ordre donné par Sixte v.* Et ante ipsum Hodius, op. cit. lib. III, cap. 14, n. 10, ut insultet Catholicis: *Ne nescius, inquit, sit lector diligens, quale fuerit illud inter duos Pontifices infallibiles bellum*, etc. Et ita porro ceteri minorum gentium scriptores, quin animadverterint, Sixtum ipsum professum esse, se evulgare latinam editionem, *prout optime fieri potuit*, emendatam, ac proinde nunquam sibi in critico hoc opere infallibilitatem tribuisse.

(3) Javerit integram textum in medium asserre Card. Bellarmini, ex commentariolo vitæ suæ privatæ, quod ipsemet conscripsit, diuque manuscriptum delituit, donec publicis typis vulgatum

canonizationis Bellarmini, ut neque Bellarminus unquam *canonizatus* fuerit, et hæc ipsa præfatio occasionem dederit promovendi difficultates adversus illius canonizationem (1).

275. Si modo oculos conjiciamus in editiones vulgatæ versionis, quæ ante Tridentinum prodierunt, easque comparemus cum editionibus, quas deinde accepimus post tot Rom. Pontificum curas a S. Sede, fateamur necesse est, *in multis beneficiis, quæ per sacram Tridentinam Synodum (et Sedem Apostolicam) Ecclesiæ suæ Deus contulit, id in primis numerandum, quod ita emendata hac editione fruamur.*

est, ex quoprehendimus ejus consilium, ac ipsum, prout antea diximus, auctorem fuisse præf. Typographi ad lectorem, quæ in Bibliis Clementinis habetur. Sic igitur ipse scribit: *Anno 1591, cum Gregorius XIV cogitaret, quid agendum esset de Bibliis a Sixto v editis, in quibus erant permulta perperam mutata, non deerant viri graves, qui censerent, ea Biblia esse publice prohibenda; sed N. (Bellarminus) coram Pontifice demonstravit, Biblia illa non esse prohibenda, sed esse ita corrigenda, ut salvo honore Sixti v Pontificis Biblia illa emendata ederentur; quod fieret, si quam celerrime tollerentur, quæ male mutata erant, et Biblia recuderentur sub nomine ejusdem Sixti, et addita præfatione, qua significaretur, in prima editione Sixti præ festinatione irrepsisse aliqua errata vel typographica vel aliorum. Placuit consilium N. Gregorio Pontifici, et jussit, ut congregatio fieret ad recognoscendam celeriter Bibliam*

*Sixtinam (sic), et revocandam ad ordinariam Bibliam, præsertim Lovaniensem. Id factum est Zagarolæ in domo Marci Anton. Columnæ, præsentibus Cardinali ipso Columniensi, et Alano Cardinali Anglo, nec non magistro sac. Palatii Apostolici, ipso N et aliis tribus vel quatuor; et post obitum Gregorii et Innocentii Clementis VIII edidit Bibliam recognitam sub nomine Sixti, cum præfatione, quam idem N. composuit.*

(1) Cfr. *Relatio Caroli Alberti, Card. Cavalchini, ponentis in causa beatificationis et canonizationis ven. servi Dei Roberti, Card. Bellarmini, Romæ 1753, pag. 175 et seqq.* Quod nec dissimulavit Leander Van Ess, qui et hanc causam assignat, qua Bellarmini canonizatio difficultatem experta sit. Attamen, si credimus Cellérier, loc. cit. pag. 205: *Hug donne en note les preuves de cette double assertion, quod scilicet Bellarminus fuerit auctor præfationis, et causa ejus canonizationis!*

## PROPOSITIO II.

*Jure optimo Romani Pontifices Societates biblicas nuncupatas veluti noxias et perniciosas iteratis decretis improbarunt.*

276. Jure optimo Romani Pontifices societates biblicas improbase veluti noxias et perniciosas dicendi sunt, si tales reipsa et earum origo ac natura, et spiritus, qui in iis dominatur, atque finis ipsis præstitutus, effectus denique, qui ex iis profluunt, aperte illas patefaciunt. Jam vero ejusmodi esse societates biblicas, a Rom. Pontificibus improbatas, sic per partes ostendimus.

In sinu protestantismi vel anglicanismi prima biblica societas instituta est, in Anglia scilicet an. 1804. Cum enim fructus invidio oculo cernerent protestantes et anglicani, quos ubique locorum missionarii, quos vocant, catholici, ingentes sane referebant, quamvis antea vel hos spernerent, vel etiam proselytismi notam illis inurerent, cœperunt et ipsi de gentium conversione serio cogitare. Illico flagrarunt desiderio ad Christum, ut ipsi dictitabant, adducendi idololatrias ac infideles ceteros, Judæos scilicet et Islamitas. In hunc finem publica societas biblica Londini est instituta, ad Biblia translata in linguas vernaculas singulorum populorum sine commentariis ac sine notis ubique disseminanda (1). In hanc societatem cooptatæ deinde sunt aliæ prope innumeræ in utroque hemisphærio institutæ, quæ et pecuniariis subsidiis et versionibus Bibliorum societati primariæ ad opus perficiendum adjumento essent (2). Hæ omnes societates coalescunt ex membris omnium sectarum protestantismi, ex Lutheranis videlicet et Calvinistis orthodoxis, ut appellant, Wesleyanis sive Methodistis, Anglicanis, Socinianis, Arminianis, Moravis, Anabaptistis, Quakeris, etc. (3). Harum sectarum quæ-

(1) Cfr. Grégoire, *Hist. des sectes*, liv. vii, chap. 9, tom. iv, edit. Paris. 1829, pag. 402.

(2) Centenæ imo et millenæ pene numerantur ejusmodi societates, co-

lescentes ex omnibus sectis, cfr. ibid. p. 427 et seq.

(3) Cfr. Milner, op. cit. lettre xxx, pag. 399.



libet in peculiari, quam adornat, versione; Scripturam ad opiniones seu verius ad errores suos accomodat, ac, si opus sit, foede corrumpit, ut sic professionem fidei uniuscujusque propriam incautis propinet (1). Talis est societatum biblicarum origo, talia membra, talia denique elementa, quibus constant, atque instrumenta, quibus ad rei christianæ propagationem, ut ipsæ proclamant, utuntur.

277. Spiritus porro, qui in ipsis dominatur, spiritus oppositionis est adversus Ecclesiam catholicam, finis vero sive scopus est, ejusdem destructio ac eliminatio. Ne vero hasce societates calumniari videamur, juverit documenta afferre, quibus utraque assertio adstruatur. Sane spiritum hostilem adversus catholicam Ecclesiam biblicis societatibus inesse, fatetur ipsemet O' Collaghan auctor protestans, qui reperit in harum societatum institutione *spiritum oppositionis adversus Romam*, seu adversus Ecclesiam catholicam (2). Quidam minister cognomento Cottarel, in publica concione habita, an. 1813 in conventu cujusdam harum societatum, significavit, sperare se, fore ut Bibliorum distributio plurimum conferat ad evertendam auctoritatem papalem (3). Distributio ipsa Bibliorum absque explanationibus ac notis scopum patefacit efficiendi, ut prævaleat principium princeps ac fundamentale protestantismi de interpretatione privata ac rejectione omnium dogmaticarum traditionem (4); hoc autem vel ipse furor declarat, quo sectæ omnes protestantismi istud promovent institutum, nullis parcentes sumptibus (5), nullis laboribus, incommodis, translationibus, impressionibus Bibliorum, ita ut in conventu Novionensi an. 1828 societas gloriaretur, quod viginti quinque annorum tractu Evangelium translatum fuerit et impressum nonaginta septem novis idiomatis, dum longa octodecim

(1) Cfr. ibid. et Grégoire, pag. 407.

(2) Ita in op. *Thoughts on the tendency of Bible societies as affecting the established church*, by the Rev. O'Collaghan, London 1817, pag. 33.

(3) *The Orthodox journal*. Oct. 1813, pag. 179.

(4) Cfr. Grég. loc. cit. pag. 425.

(5) Recol. quæ scripsimus in tract. *De vera rel.* part. II, prop. x. t. 1, p. 316.

seculorum anteaetorum periodo nonnisi in quadraginta septem linguis fuerit conversum ac typis deinde vulgatum (1).

278. Quod vero ad finem spectat, quem sibi proponunt ejusmodi societates, tum ex hactenus dictis patet, tum ex modo, quo ipsæ Biblia sic translata, seu potius corrupta diffundunt. Nam non solum inter infideles aut idololatrias ea disseminant, sed inter catholicos in Germania, in Galliis, in Hispaniis, in Lusitania, in Italia aliisque regionibus ad Catholicos seducendos ac pervertendos (2). Patet præterea id ipsum ex innumeris pene libellis, tractatibus impiisque lucubrationibus, quas una cum Bibliis aut gratis aut modico pretio inter opifices, villicos, plebeculam studiose distribuunt. Quandoque nec veritæ sunt pseudepigraphis incautos decipere, libros ipsius christianismi eversivos por-

(1) Cfr. Grégoire, op. et loc. cit. pag. 442. Ex illo tempore ultiores jugiter progressus fecerunt biblicæ societates; ex Ephemer. Asiatica eruimus, collectam societatis in sola Anglia, anno 1838, pervenisse usque ad ingentem summam 846,316 libr. sterlin. nempe 21,000,500 circiter libr. gallican. Qui plus contulerunt fuerunt Methodistæ, qui dederunt 83,648 lib. sterl. Missio eccles. anglicanæ, libr. ster. 83,447. Missiones Soc. cognitionum christian. 84,032. Missionarii Londinenses libr. ster. 70,255; reliquum tribuerunt aliæ sectæ. Cfr. *Journ. de Liège*, t. v, p. 581, 1 Mars, 1839. Proventus societatis biblicæ an. 1838 ascendit ad 1,000,600 lib. st. nempe supra 30,000,000 lib. gallic. quarum Anglia contulit 10,000,000; provinciæ Fæder. Americæ 10,000,000; reliquum contulerunt coloniæ anglicæ in quatuor mundi partibus, atque regiones protestantes in Europa. Cfr. *Ami de la Relig.* 6 Juin 1840. Anno 1839 numerabat societas 5000 missionarios, 50 typographias, 300 adjutores missio-

narios ac ludimagistros, plura centena indigenarum ministrorum. Missionarii proprie dicti recensebantur in Africa 128, in Indiis 168, in insula Ceylan 28, in Archipelago Indico 81, in Indiis Occidental. 118.

(2) Societas Biblica instituta est, ut diximus, an. 1804; ab hoc anno ad an. 1840, id est, spatio 36 ann. distribuit supra 12,000,000 exemplaria Bibliorum, quæ versa sunt in 148 idiomata. An. 1839 in solis Galliis distributa sunt 137,000 exempl. Conquereretur *Caballerus*, anglicus præfectus a societate distribuendis Bibliis, quod Hispania, Italia et Austria solæ regiones essent, per quas circuire non poterat *opus divinum*; ast tandem aliquando nunc Hispania et ipsa feliciter invenitur in circulo nationum *liberarum*. Cfr. *Univers*, 6 Mars 1841. Sane cito profecerunt biblici Methodistæ in Hispania; etenim a mense Septemb. ad mensem Januar. 1841 distribuerunt 100,000 exemplaria Biblior. in linguam hispanicam translata. Vid. *Voce della Ve-*

rigendo (1); ut silentio prætereamus artes fraudesque omnigenas, quibus ad subvertendos neophytos catholicos utuntur in regionibus infidelium (2), persecutiones ac vexationes, quas ubique locorum excitare satagunt biblici adversus missionarios catholicos; adeo ut illos vere lupos esse dixeris ad dissipandum mandandumque dominicum gregem immissos (3). Talis est spiritus, talis fines seu scopus ejusmodi societatum.

279. Fructus demum, qui exinde dimanant, apprime naturæ ac indoli conspirantium istarum societatum respondent. Cum enim nusquam dixerit Christus: *Euntes distribuite Biblia*, sed: *Euntes docete... et prædicate*, cumque fides sit *ex auditu*, ut loquitur Apostolus, factum est, ut tanta diffusionem imo et prodigalitate Bibliorum nullum hactenus alicujus momenti societates

*rità*, 20 Genn. 1841. Imò officina typographica Barcinonæ instituta est ad ea imprimenda. De Austria nihil certi scio; quod vero attinet ad Italiam, præ manibus habeo varia exemplaria Bibliorum, quæ italice impressa sunt, et quidem corrupta ac mutila, ex versione Diodati, hominis, ut videbimus, luc calviniana infecti, quæque distributa sunt in his regionibus a viatoribus protestantibus.

(1) Ut plurimum tractatus mysticos, qui una cum Bibliis diffunduntur, in acceptis referre debemus fœminis, quæ oblitæ fusi ac filii digitis suis apprehenderunt calamum. Inter has eminet Ducissa de Broglie, orta ex Stael, apologeta adulterii atque suicidii, abnepos boni illius Necker, cui debitor sumus op. *Rationalité du Déisme*. Alias non commemoro, ne invidiam subeam. Cfr. opusc. cit. *Le ministre protestant aux prises avec lui-même*, pag. 13. Adeo progressi sunt Protestantes in ejusmodi impietatibus, ut, ad decipiendos vil-

licos ex titulo, veriti non fuerint distribuere *Vitam Jesu Christi* doctoris Strauss, qua ipse evertitur Christianismus. Vid. *L'Ami de la Relig.* n. 2947-2948, 31 Mars, 1838. Vid. *ibid.* 6 Août 1840, qua ratione impresserint Biblia sub nomine Vulgatæ a Clemente VIII recognitæ, mutila tamen atque corrupta de more, attamen uti *authentica* venderunt. Talis est *sincera Protestantium fides!*

(2) Cfr. *Annali della propagazione della fede* vol. II, pag. 417 et seqq. Quoniam ejusmodi annales omnium manibus teruntur, ideo brevitatis gratia indicabo solummodo fasciculos, quibus quæ affirmo innituntur.

(3) Cfr. *Annali*, etc. fasc. LVI, pag. 204-206; *ibid.* 209-235; fasc. LVII, pag. 258-262; fasc. LVIII, 372 et seq. *ibid.* pag. 375-400; fasc. LIX, pag. 424 et seq. fasc. LXI, pag. 75; LXII, pag. 95, 149, 154; LXIV, pag. 310; LXV, pag. 512-514, 530-532, etc. etc.



biblicæ vel apparentem felicem exitum attulerint (1). Ad hæc accedit profanatio, cui ubique gentium exposuerunt atque exponunt hæ societates sacra Biblia, quæ usibus plane indignis, ut plurimum saltem, inserviunt (2) et irrisioni infidelium, qui cachinnis, quæ non intelligunt, excipiunt (3). Verum exigua hæc adhuc sunt, si cum zelotypia exterorum regiminum politicorum comparentur, qua factum est, ut identidem harum societatum imprudentia sævissimæ excitatæ fuerint insectationes in christianos, qui pace fruebantur; cum turbatione, quæ indidem mota est, animorum, qui ejusmodi Bibliorum distributione graviter offensi sunt (4); cum scandalo, quod integri aliquando populi ex sacre Scripturæ lectione passi sunt, quam adeo contrariam præconceptis suis opinionibus ac ritibus reppererunt. Quamobrem pluribus in provinciis ac regnis inconsulta hæc Scripturæ sacre diffusio animos magis aversos ab amplectenda religione christiana effecit (5).

280. Quæ cum ita se habeant; si nempe spectata societatum biblicarum origine, natura, elementis, instrumentis; si perpenso hostili ipsarum spiritu ac fine aut impediendi progressus Religionis catholicæ, aut etiam, si quidem fieri posset, eæ evertendæ, quocumque id demum medio, malis artibus ac fraudibus obtineri posse ipsis videatur; si ratione habita pessimorum fructuum, qui ab eis producuntur, luce ipsa meridiana profecto clarius apparet, in perniciem eas cedere veræ Religionis, scilicet Ecclesiæ catholicæ, quæ unice vera religio christiana est, cui plane quaquaversus exitiosæ societates biblicæ sunt (6); recte conclu-

(1) Recol. tract. *De vera relig.* loc. cit.

(2) Ibid. Cfr. præterea Grégoire, op. cit. pag. 443, et Milner, *Lettre xxx*, pag. 394; vid. etiam *Univers*, 28 Octob. 1841.

(3) Cfr. *Annali*, etc. fasc. XIII, cui tit. *Delle bibliche società e delle missioni protestanti nell' Indie*, ubi referuntur epistolæ D. Du Bois.

(4) Cfr. Ibid. fasc. LIX, pag. 462; T. IX.

LXIII, pag. 200, 202, 220; LXV, 390, 395, etc. In imperio Sinensi non ita pridem sæva persecutio in Christianos excitata est ex Bibliis lingua Sinica projectis ad maris oram.

(5) Cfr. cit. fasc. XIII.

(6) In secundo supplemento *Ephem. Univers*, 7 Avril 1841, exhibetur *Mémoire sur l'état actuel de l'Eglise grecque-catholique dans le Levant*; ex hoc

dimus, Rom. Pontifices, quibus munus divinitus incumbit intereratam incolumemque illam servare, jure optimo biblicas societates tanquam noxias ac perniciosas improbasse atque damnasse, Leonemque XII, epistola encyclica ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos data die 8 Maj. 1824, proscriptionem illam rite iterum sancivisse et confirmasse.

281. Nunc coronidis gratia adjicimus, non solos Rom. Pontifices, sed ex ipsis Protestantibus et Anglicanis haud paucos extitisse, qui, omnibus perpensis, biblicas societates improbarunt eisque obstiterunt. Tales fuere episcopi *Prettisman* et *Carlisle* in Anglia (1). Talis cleri anglicani pars, quæ conquesta est, quod cooptati in societatem biblicam fuerint *dissentientes* cujusvis communionis (2). Anno præterea 1826 Herberts Marsh episcopus Anglicanus Novi Eboraci (*New-York*) in provinciis fœderatis Americæ documentum pastorale edidit, quo *episcopales* a cooptandis in societatem biblicam alterius communionis hominibus deterreret (3). Jam vero, si Anglicani reprobant societates biblicas, ne extremam afferant perniciem Ecclesiæ anglicanæ ob principium, ut ita loquar, dissolvens, quod ipsarum ope Protestantismus spargit atque diffundit (4), quanto eas magis improbare debent Rom. Pontifices ob damna, quæ inde adversus Religionem catholicam promanarent? Attamen adversarii crimini vertunt Romanis Pontificibus, quod eas proscripserint; alte vero silent de anglicanis Præsulibus, qui eadem sese ratione gesserunt.

porro documento deprehendimus unionem *Turcarum, Græcorum schismaticorum, Anglicanorum, Russorum et Hebræorum*, adversus Catholicos; istius unionis societatem biblicam animam veluti esse, biblicosque non esse nisi conspirationem generalem permanentem contra Ecclesiam catholicam.

(1) Apud Grégoire, loc. cit. pag. 421.

(2) Ibid. pag. 422.

(3) Ibid. pag. 426. Hæc de causa ad eundem episcopum Marsh epistolas gra-

tulatorias dedit Sacerdos catholicus Gandolphy, ita inscriptas: *A congratulatory letter to the Rev. Herbert Marsh, etc. by the Rev. P. Gandolphy, in 8°. London 1812, et A second letter, ibid. 1813.*

(4) Certe vel ipse Hook anglicanus evidenter ostendit, magnum Protestantismi principium presse in praxim deductum allatarum plenam ecclesiæ anglicanæ dissolutionem. Cfr. apud Milner, loc. cit. pag. 400.

## DIFFICULTATES.

282. Obj. 1<sup>o</sup> Nonnisi commendatione dignus zelus habendus est, quo flagrant biblicæ societates, deferendi *bonum nuncium* barbaris populis idololatriis aut infidelibus, qui in tenebris et in umbra mortis sedent. 2<sup>o</sup> Qui saltem per Bibliorum lectionem desiderium possunt animo concipere inquirendæ ulterius veritatis, etiamsi Biblia per se conversionis opus perficere nequeant. 3<sup>o</sup> Credibile porro non est, eos omnes, qui pecuniam in opus adeo salutare erogant et impendunt, alio permoveri fine, quam ad lucrificandas Christo Domino tot miserorum animas. 4<sup>o</sup> Quod et de translatoribus et distributoribus Bibliorum, seu missionariis intelligi pariter debet. 5<sup>o</sup> Quamobrem spes magna affulget, integre mores emendatum iri, tum in Christianorum tum in infidelium regionibus, ejusmodi Bibliorum distributionis subsidio (1). 6<sup>o</sup> Sane Deo pergratum esse biblicum institutum, haud obscure ex felici ejusdem successu patescit; census enim annuus biblicæ societatis eadem proportionem auctus est, qua in eam insectationes sunt excitatæ (2). 7<sup>o</sup> Soli igitur tenebrarum patroni, Romani videlicet Pontifices, ejusmodi societates improbare possunt ac *pestis* nomine infamare, ut Pius VII, in *Brevibus* datis die 29 Jun. 1816 ad Arch. Gnesnensem, et die 3 Sept. 1816 ad Archiep. Mohilowensem; 8<sup>o</sup> in quo etiam prohibenda præcipitur versio Scripturæ sac. polonica, jussu Gregorii XIII confecta, quæque, approbante Clemente VIII, Cracoviæ anno 1599 in vulgus jam prodierat; Brevia ista *ad hanc pestem avertendam* sancivit Leo XII, epistola encyclica die 3 Mai. 1824 (3). Ergo.

283. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Dist.* Si zelus iste esset secundum scientiam, atque ex fine deferendi *bonum nuncium* ortus reipsa esset, *trans.*; si contra inconsultus est, ex odio in Rom. Ecclesiam profectus, et ex solo fine impediendi fructus, quos referunt Catholici, *neg.* Talem porro esse spiritum, quo institutæ sunt ejusmodi societates, talem sibi finem eas præstituisse, paulo ante

(1) Ita Clark, apud Milner, *ibid.*

(3) Ita Wegscheider, § 45, not. (g).

(2) Ita Gisborne, *ibid.*



luculenter ostendimus. Profecto si zelo illo, quem jactant, reipsa flagrarent sodalitia biblica, impense foverent missiones Catholicorum, qui et ipsi deferunt *bonum nuncium*; cum autem ubique locorum eos exturbare adnitantur; cum Principes populosque ad ejiciendos catholicos missionarios impellant (1); cum turbas cieant, et omnia moliantur ad eorum labores evertendos, evidens est, non *boni nuncii* deferendi causa, sed iniquo prorsus animo ac invidentia illa permoveri (2). Deinde curnam infideles versiones ac detruncata Biblia (3) obtrudunt Catholicis, qui *bonum nuncium* longe melius quam istæ societates noverunt? Ecur a catholica Religione eos avertere tanto studio, tantoque molimine, impensis ac laboribus satagunt? Demum, ceteris omissis, sciscitari merito possumus, a quonam suam hanc missionem acceperint: *Quomodo prædicabunt*, interrogat Apostolus, *nisi mittantur?* Multo vero minus missionem habuerunt distribuendorum Bibliorum, cum Christus nunquam medium istud elegerit. Profecto olim et isti sectarii illud audient: *Nunquam novi vos... Non mittebam eos, ut ipsi currebant* (4).

284. Ad 2<sup>m</sup>, *Neg.* Vidimus siquidem experimento, animos infidelium amoveri potius a Religione Christiana, Bibliorumque lectione graviter offendi. Cum enim Biblia nullum religionis inte-

(1) Hac ratione sese gesserunt in insulis Sandwich, Gambier, etc. seu ubicumque influxum aliquem exercere potuerunt; satis est, ad hæc cognoscenda, oculos conjicere in singulos prope fasciculos *Annalium propagationis fidei*.

(2) Cum ministri novæ Angliæ saterent pervertere Hurones et Iroquenses, aliosque silvestres populos ad Religionem catholicam conversos, hoc ab illis acceperunt responsum: *Vos nunquam verbum nobis annunciastis, cum adhuc infideles essemus; nunc autem cum simus christiani, quæritis nos Christianismo privare.* Cfr. Milner, loc.

cit. pag. 396.

(3) En quomodo scribat Moulinié, minister protestans, in op. cit. *Notice sur les livres apocryphes*, pag. 6: *Les uns pour atteindre leur but ont travaillé pendant longtemps à éplucher chaque livre, chaque chapitre, et, pour ainsi dire, chaque verset, chaque mot, pour voir tout ce qu'il serait possible d'amoinrir, pour l'accommoder à leur point de vue, et ils ont ébranlé le christianisme par où ils espéraient l'affermir... L'esprit particulier et exclusif se couvre du manteau du zèle.*

(4) Matth. vii, 23, col. Jérem. xxiii, 21.

grum systema offerant, fieri nequit, ut rudes et efferati inde aliquid percipiant emolumenti. Attamen Anglicani vellent, ut illi exinde XXXIX articulos Ecclesiæ anglicanæ eruerent, Methodistæ suum *enthusiasmum*, Quakeri spiritum interiorem, Swedenborgiani somnia sua, et ita porro (1). Præterea quomodo isti biblici suadebunt Tartaris, Iroquensibus, Indis, etc. librum, quem porrigunt, divinitus esse inspiratum, ita ut ei iidem auscultent, concipiantque desiderium ulterius inquirendæ veritatis, cum nec ipsi huic inspirationi credant?

285. Ad 3<sup>m</sup>, *Dist.* Qui bona fide pecunias erogant, *conc.*; qui eas nempe emungunt ad pravos commemoratos fines, *neg.* Neque dubitem, quin plures certo reperiantur, qui decepti ac circumventi a concionatoribus suis putent, obsequium se præstare Deo, atque ex sincero desiderio proximorum suorum saluti prospiciendi ad erogandas eleemosynas permoveantur sumptusque faciendos; plurimi ex infima præsertim plebecula, cujusmodi sunt opifices, bajuli, famuli, ancillæ, non alium sibi finem præfigunt. Deus benevolentem istorum animum non despiciet. Verum de his nullus hic sermo; loquimur de societatum primoribus, qui bona illorum voluntate ac optima animi comparatione abutuntur, et contra illorum vota congestam pecuniam dilapidant, atque in pravos aut saltem inutiles usus convertunt. Qua de causa interdum ab ipsis Protestantibus *fures ac latrones* appellati sunt (2).

286. Ad 4<sup>m</sup>, Eadem esto distinctio. Etenim, cum non pauci Bibliorum interpretes sint mercatores aut mercatoribus addicti, fieri utique potest, ut inter ipsos nonnulli inveniantur, qui bonum sibi finem præstituant. Distributores vero ad victum sibi comparandum Biblia diffundunt. Ignorantia proinde excusari possunt.

287. Ad 5<sup>m</sup>, *Dist.* Id est, promittunt sibi absque fundamento successum, quem neque habuerunt nec habere possunt, *conc.*; vera reipsa spes de felici exitu affulget, *neg.* Istorum spes haud

(1) Cfr. Grég. loc. cit. pag. 426.

*De vera Relig.* loc. cit. t. 1, p. 316.

(2) Recol. quæ scripsimus in tract.

absimilis ab illa est, qua se decipiunt, qui phtysi laborant, dum hac spe freti moriuntur. Si ex successibus, quos hactenus biblici obtinuerunt, conjicere licet id, quod in posterum futurum sit, tuto affirmare haud veremur, nullum unquam fructum eos esse laturos. Verum dicta hæc sint in istorum hypothesi; ceterum doctor Hook documentis ostendit, tantum abesse, ut societates biblicæ, Londini aut alibi institutæ, emendationem morum obtineant, ut contra crimina ab institutione societatum septem annorum lapsu fuerint duplicata; ac deinceps usque ad an. 1817 ea triplicata fuisse, adductis pariter documentis ostendit Episcopus Milner (1). Ex his patet, satius longe esse, si nullum omnino fructum ejusmodi societates producerent. Ecquos enim fructus nisi fructus mortis ac interitus exitialis Protestantismus unquam protulit, aut proferre aliquando poterit?

288. Ad 6<sup>m</sup>, *Dist.* Permisit scilicet Deus, ut ad tempus ejusmodi societates prosperarentur, ad majorem Ecclesiæ suæ gloriam atque triumphum, *conc.*; ad patefaciendum, sibi eas pergratas esse, *neg.* Interdum permittit Deus, ut inferorum portæ novum adversus Ecclesiam suam (nempe catholicam) excitent conflictum, ut ostendat potentiam suam in ea regenda tuendaque, dum ad nihilum omnes illarum machinationes redigit. Duo sane haud exigui pretii emolumenta in rem catholicam ex societatibus biblicis provenerunt; alterum videlicet, ut ex comparatione inter uberrimos fructus, quos Romanæ Ecclesiæ apostolatus cunctis destitutus subsidiis quovis tempore, et hac præsertim ætate, superatis tot obstaculis, edidit, et omnimodam sterilitatem sectarum, seu hæreticorum omnium in unum conspirantium, descrimen patefieret ingens, quod inter opus Dei inanesque hominum intercedit conatus (2); alterum vero est institutio societatis

(1) Tabulam progressivam confectam ab ipso D. Hook et ex *Cronaca Londinensi* exhibet Milner, op. cit. pag. 400, not. (1).

(2) Nulla comparatio institui potest inter fructus, seu potius illusiones biblicæ societatis, et fructus uberrimos,

quos quavis ætate tulit Ecclesia catholica. Etenim præter vires sanctitate conspicuos, quos ubique efformavit, quot martyres ejus gloriam non cumularunt? In imperio Sinensi, in regnis Abyssiniæ, Siam, Tunquini, Cochincinæ, etc. vel a postremo seculo plura centena ac



a *fidei propagatione* nuncupatæ, quæ paucis abhinc annis inter Catholicos orta est, et angusto temporis lapsu copiosissimam protulit messem. In dies ipsa succrescit ac floret sub Præsulum auspiciis, præsertim vero Romanorum Pontificum, qui eam Indulgentiarum thesauro ditarunt. Dum hæc floret, societates biblicæ languescunt, ita ut problema jam fuerit a Protestantibus ipsis propositum, magis ne expediat illas dissolvere (1). Neque vero alium exitum quispiam de illis sibi polliceri poterat.

289. Ad 7<sup>m</sup>, *Dist.* Id est, fidei assertores, qui nullo aptiori vocabulo poterant ejusmodi societatum indolem designare, *trans.* vel *conc.*; secus, *neg.* Nam cum Romani Pontifices a Christo ipso custodes ac fidei assertores constituti sint, munere suo functi sunt, dum tantæ animorum stragi se se opposuerunt; quod nisi effecissent, defuissent muneri proculdubio suo. *Pestis* autem nomine jure merito ejusmodi societatum molimina donata sunt, utpote quæ cedant in animarum perniciem et exitium, non secus ac pestilentia in corpora grassatur, iisque interitum affert. Nec enim sola, ut ita loquar, materialis Bibliorum distributio attendenda est, sed omnia insuper adjuncta spectanda et Bibliorum adulteratio, quæ detruncata atque corrupta porriguntur, et pessimi tractatus, qui una cum illis distribuuntur, et finis, qui intenditur, et effectus, qui exinde promanant, quæ omnia recensent Romani Pontifices, dum *pestis* nomine eas societates infamant (2).

millena martyria sive indigenorum sive Europæorum numerantur. Cfr. *Mémoires pour servir à l'hist. ecclés. du XVIII<sup>e</sup> siècle*; Butler, *Vies des Saints*, 5 Févr. In sola Japonia, ex persecutione excitata per Calvinistas Hollandiæ, qua et Christianismus illic extinctus est, juxta Bercastel, *Hist. de l'Eglise*, tom. xx, 2,000,000 martyres numerantur, et heu, quæ martyria sustinuerunt? Absque animi commotione et horrore legi haud possunt, adeo ut nil tale appareat in ipsis persecutio-

nibus Persarum aut Romanorum. Cfr. Bartoli, *Storia della Compagnia di Gesù nell' Asia*, part. II, *Il Giappone*, lib. III et seqq. Quandonam hæretici pro fide asserenda apud infideles aut eorum proselyti guttam sanguinis effuderunt? Oh strenuos milites! Nunc vero isti sunt, qui contendunt *bonum nuncium* afferre.

(1) Cfr. *Annali della propagaz.* etc. fasc. LXVII, Nov. 1839, pag. 660 et seqq.

(2) Speciminis gratia nonnullos tractus hic subjiciam ex Brevibus Pii VII et

290. Ad 8<sup>m</sup>, *Neg.* Hoc enim putidum mendacium est; nusquam id præcipitur a Pio VII, qui solum præcipit Archiepiscopo Gnesnensi : *Ut quam primum mittas, inquit, Biblia, quæ commentariis subjectis edidit polonica lingua Jacobus Wickius, recentemque ipsorum ( Bibliorum ) editionem, quæ sublatis annotationibus, quæ ex sanctis Ecclesiæ Patribus vel ex doctis*

ex Encyclica Leonis XII. Itaque hæc habet Pius VII, in Brevi ad Ignatium Archiep. Gnesnensem : *Horruimus sane vasferimum inventum, quo vel ipsa Religionis fundamenta labefactantur, adhibitisque in consilium, pro rei gravitate, venerabilibus Fratribus Nostri S. R. E. Cardinalibus, quænam Pontificiæ nostræ auctoritatis remedia ad eam pestem, quoad fieri possit, curandam delendamque opportuniora futura sint, omni adhibito studio et sollicitudine deliberavimus.* Et in Brevi dato ad Stanislaum Archiep. Mohiloviens : *Magno, inquit, et acerbo dolore confecti sumus, ubi accepimus exitiosum consilium haud ita primum susceptum, quo sacratissimi Bibliorum libri notis ac præter saluberrimas Ecclesiæ regulas editis interpretationibus, iisque callide in pravos sensus contortis, vernacula qualibet lingua passim pervulgantur. Namque ab aliqua jam ex perlatis ad Nos hujusmodi versionibus animadvertimus, eam in purioris doctrinæ sanctitatem parari perniciem, ut facile fideles ex iis fontibus lethale ebibant venenum, ex quibus haurire debuissent aquas sapientiæ salutaris... In id proinde pravas deterrimasque machinationes suas conferre in more habuerunt hæretici, ut editis vernaculis Bibliis (de quorum tamen varietate ac discre-*

*pantia ipsi se invicem accusant et carpunt), suos quique errores, sanctiori divini eloquii apparatu obvolutos, per insidias obruderent.* Leo vero XII : *Non vos latet, VV. FF., scribit, societatem quamdam, dictam vulgo Biblicam, per totum Orbem audacter tagari, quæ spretis SS. Patrum traditionibus, et contra notissimum Tridentini Concilii decretum, in id collatis viribus ac modis omnibus intendit, ut in vulgares linguas nationum omnium sacra vertantur, vel potius pervertantur Biblia. Ex quo valde pertimescendum est, ne sicut in aliquibus jam notis ita et in cæteris interpretatione perversa de Evangelio Christi hominis fiat Evangelium, aut quod pejus est, diaboli (S. Hieron. in cap. I epist. ad Galat.)... En, VV. FF., quo hæc spectet societas, quæ insuper, ut impij voti fiat compos, nil intentatum relinquit. Non enim tantummodo versiones suas typis edere, verum etiam per omnes urbes cursitando in vulgus per se spargere sibi plaudit. Quin imo, ut alliciat simplicium animos, qua venditare curat, qua dono dare insidiosa liberalitate gestit. His prædecessoribus suis Rom. Pontificibus se adjecit, in damnanda Biblica societate, imort. GREGORIUS XVI, cujus Encyclicam refert *Ami de la Relig.* in fasc. 24 Octob. 1840, n. 3350.*



*catholicisque viris desumptæ erant, in vulgus prodiit, et quid de ea sentias, proponas, ut ita ex ipsorum collatione, ac re mature perpensa, dignoscatur, quinam errores insidiosè ibidem obtegentur, et nostrum demum iudicium ad rectæ fidei incolumitatem pronunciemus* (1). Judicet nunc lector, quid de hujusmodi hominibus sentiendum sit, qui per summam impudentiam publica ac solemnia documenta corrumpere eorumque sensum invertere haud verentur, ut Rom. Pontifices inter se committant. Si talia audent in publicis documentis, quæ omnium manu terentur, quid non audebunt, dum Biblia vertunt in peregrina idiomata, et in quibus longe facilius fraus furtive obrepere securiusque obtegi potest? Ast protestantes biblici ejusmodi scrupulis non anguntur (2).

## CAPUT V.

## DE SACRÆ SCRIPTURÆ LECTIONE IN LINGUA VERNACULA.

291. Omnibus indiscriminatim fidelibus necessariam Sacræ Scripturæ lectionem ad salutem esse, novatores seculi XVI autumarunt, qui propterea in linguas vernaculas conversam summo studio eam propagare adnisi sunt (3). Eos sequuti sunt

(1) Sane ob oculos habeo exemplar hujus versionis polonicæ probatæ ab apostolica Sede; verum ad singula capita subjiciuntur notæ, quæ textum explant. Cfr. de hac versione P. Alegambe, *Biblioth. scriptorum Soc. Jesu*, Antverp. 1643, pag. 214 et seq.

(2) Scripserunt etiam de hoc argumento D. Rubichon, in op. *De l'action du clergé*, et comes De Maistre, in *Soirées de St. Pétersbourg*, Soir. xi.

(3) Ilis novatoribus jam præiverat hac in sententia Erasmus, cujus articulos damnavit facultas Sorbonica an. 1527, die 17 Decembr. In arti-

culo xii, qui est *De traductione sanctarum Scripturarum in linguam vulgarem*, excerptæ sunt ex præf. in Matth. et damnatæ insequentes propp. 1<sup>a</sup> *Sacras Litteras cupiam in omnes verti linguas.* 2<sup>a</sup> *Exclamant indignum facinus, si mulier, vel coriarius loquatur de sacris Litteris.* 3<sup>a</sup> *Me auctore, sacros Libros leget agricola, leget faber, leget latomus.* 4<sup>a</sup> *Neque Ezechielis Prophetæ, neque Cantici Cantici, aut cujusquam librorum Vet. Test. lectionem ulli homini interdico.* 5<sup>a</sup> *Indecorum vel potius ridiculum videtur, quod idiotæ et mulierculæ psittaci*



janseniani, qui pariter ejusdem lectionis necessitatem prædicarunt, præsertim vero Quesnellus, cujus propositiones LXXIX, LXXX, LXXXI, LXXXII, LXXXIII, LXXXIV, LXXXV damnatæ sunt, in quibus vigentem Ecclesiæ improbat disciplinam, perinde ac perniciosum ac noxium sit, christianum velle a Scripturæ lectione retrahere, ac fidelibus Christi os obturare, atque efficere, ut filii lucis quamdam patiantur excommunicationis speciem (1). Quesnelli vestigiis, ut moris est, institit synodus Pistoriensis, cujus propositio LXVII his verbis expressa: *Doctrina, perhibens a lectione sacrarum Scripturarum non nisi veram impotentiam excusare, subjungens ultro se prodere obscuracionem, quæ ex hujusce præcepti neglectu orta est, super primarias veritates religionis, a Pio VI damnata est uti falsa, temeraria, quietis animarum perturbativa, etc.*

292. Neque his contenti novatores, Ecclesiam calumniantur catholicam, quod subtrahat e fidelium manibus divina eloquia, ne ex eorum lectione ipsi detegant errores, quibus maculatur (2). Ad incautos vero decipiendos, interrogare passim solent rudes Catholicos: *Cur Ecclesia vestra interdicit vobis sacra Biblia* (3)? Imitantes videlicet serpentem sciscitantem ab incauta muliere; *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno paradisi* (4)?

293. Ut igitur viam præcludamus omnem Ecclesiæ catholicæ osoribus, eorumque depellamus calumnias, duo nobis præstanda sunt: *primo* evincere debemus sacrarum Scripturarum lectio-

*exemplo psalmos suos et precationem Dominicam immurmurent, cum ipsi, quod sonant, non intelligant.*

(1) Nonnullas ex his inferius dabimus.

(2) Ita inter ceteros stolidus ac furiosus minister Genevensis Bost, quem in superiore hujus tractatus parte, sect. 11, cap. 1, num. 498, not. (3), commemoravi, qui in cit. opusc. *Du Pouvoir de St. Pierre dans l'Eglise*, edit. 1833, pag. 58, more suo ita scribit: *Prêtres*

*de Rome! je vous le conseille; continuez de cacher les Écritures au peuple! Entrez les sociétés qui les propagent! Empêchez l'instruction des hommes, et renversez les écoles! Car, vous le voyez vous-mêmes, il suffit de savoir lire la Bible pour ne plus croire à vos plus importantes traditions!*

(3) Ut passim legitur in *L'Ami de la Religion*.

(4) Genes. 111, 1.

nem cunctis promiscue fidelibus haud necessariam ad salutem esse; *secundo* nunquam Ecclesiam absolute ac indiscriminatim prohibuisse filiis suis sacrorum Bibliorum etiam in lingua vernacula lectionem. Quæ ut obtineamus, sit.

## PROPOSITIO I.

*Sacræ Scripturæ lectio Christi fidelibus indiscriminatim omnibus minime necessaria est ad salutem.*

294. Ut ex ipsa propositionis enunciatione liquet, de solis fidelibus hic loquimur, minime vero de pastoribus Ecclesiæque ministris, quibus onus incumbit alios instruendi, quibus potius dictum est: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirunt ex ore ejus* (1). Timotheo vero Apostolus inculcat: *Attende exhortationi et doctrinæ* (2). Ac innumeræ pene ecclesiasticæ sanctiones eam illis injungunt (3).

295. Jam vero nulla teneri necessitate fideles ad legendas Scripturas, sic ostendimus. Si ejusmodi eos urgeret necessitas, ea oriretur aut ex ipsa rei, de qua agitur, natura, aut ex aliquo præcepto positivo divino vel ecclesiastico. Ex neutro porro capite talis oritur necessitas.

296. Non exurgit in primis ex ipsa rei natura. Etenim per priora viginti ab orbe condito secula potuerunt homines salutem adipisci absque Scripturarum lectione, cum illæ nondum extarent; a Moyse deinde ad Christum usque, absque eadem lectione potuerunt pariter salvari, quotquot in ethnicismo, ope fidei sibi ex antiqua traditione comparatæ et divinæ opitulante

(1) Malach. II, 7.

(2) I Timoth. IV, 13.

(3) Constitutiones et decreta Conciliorum sive œcumenicorum sive particularium, incipiendo a Conc. Hypponensi an. 393 celebrato usque ad Narbonense celebratum an. 1609, necnon decreta Rom. Pontificum, ab Aga-

peto an. 530 usque ad Clementem VII an. 1596, quibus clericis et monachis sacræ Scripturæ lectio præcipitur, exhibet eruditus P. Cherubinus a S. Joseph, Carmelita discalceatus, in *Apparatu biblico*, Bruxell. 1704, tom. I, *Dissert. præmiali*, quæst. 3, art. 5, sect. 3, pag. 120 et seqq.

gratia, legem naturalem servaverunt justeque vixerunt, qui fortasse pauci non sunt. Id ipsum dicatur de primis fidelibus post Christi adventum toto illo tempore, quo nondum scripta Novi Test. fuerunt exarata. Postquam vero libri sive Vet. sive Novi Testamenti in lucem prodierunt, absque illorum lectione tot potuerunt obtinere salutem, quot rudes et illiterati extiterunt et existunt, et ex quibus major semper constat generis humani pars, aut in quorum manus hi libri minime pervenerunt. Omissis porro Judæis, de Christianis barbaris ac rudibus, qui sine Scripturis fidem tenebant atque ad ejus normam mores suos componebant, notum est S. Irenæi testimonium, quod alibi exscriptimus (1). Absurdum autem est, innumeris ejusmodi fidelibus viam præcludere salutis hac una de causa, quod nequiverint aut nequeant Scripturas sacras legere. Hoc semper erit argumentum, a quo nunquam poterunt adversarii se expedire. Crescit vero ejusdem vis ex iis, quæ paulo post ostendemus, scilicet neque Scripturas ipsas *absolute* ad fidem atque salutem necessarias esse. Nam, si Scripturæ ad fidem salutemque *absolute* necessariæ non sunt, quâto minus necessaria erit earumdem lectio? Huc accedit quod, si Scripturæ lectio omnibus prorsus necessaria esset, ideo foret, quia ad fidem, pietatem sanctitatemque in animis gignendam, fovendam promovendamque lectio illa *absolute* requireretur. Jam vero in hunc finem Scripturæ lectio necessaria minime est, cum fides sit *ex auditu*; foveri autem promoverique possint pietas ac sanctitas tot aliis subsidiis, quibus fideles abundant, instructionibus videlicet, exhortationibus, concionibus, tot libris asceticis, quibus ad omnimodam sanctitatem tuto informantur.

297. Restat proinde, ut necessaria adstruatur Scripturarum lectio alicujus præcepti divini aut ecclesiastici vi. Nusquam porro ejusmodi præceptum reperiri, ex ipsa liquet adversariorum agendi ratione, qui, licet sæpe adeo provocati fuerint ad illud proferendum, hactenus, tametsi maxime voluerint, exhibere non po-

(1) Ex lib. III, *Cont. hæres.* cap. 4, bimus, cum sermo erit de Traditione. n. 2, quod etiam iterum inferius da-



tuerunt; quod melius adhuc patebit ex difficultatum solutione. Deinde si ejusmodi præceptum alicubi existeret, certe pia anti-  
 quitas, ut adversarii loquuntur, illud comperisset; ast tantum  
 abest, ut agnoverit, ut vel contrarium omnino supponant Eccle-  
 siæ Patres, atque Concilia etiam aperte omnino id excludant. Con-  
 trarium quippe supponunt tot illis exhortationibus, quibus adni-  
 tebantur fideles inducere ad Scripturæ sacræ lectionem, quin  
 unquam præceptum commemorent aut insinuent quidem (1).  
 Aperte vero excludunt eorundem Bibliorum testimoniis. Ex innum-  
 eris prope, quæ adduci possent, unum aut alterum selige-  
 mus. Tertullianus: *Fides tua, inquit, te salvum fecit, non exer-  
 citatio Scripturarum. Fides in regula (Symbolo) posita est* (2).  
 Quid senserit S. Irenæus, paulo ante diximus. S. Augustinus  
 scribit: *Homo fide, spe et charitate subnixus, eaque inconcusse  
 retinens, non indiget Scripturis, nisi ad alios instruendos. Ita-  
 que multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus vivunt* (3).  
 Quomodo porro hæc aliaque his similia, quæ passim in Patrum  
 scriptis occurrunt, conciliari possent cum aliquo sive divino sive  
 ecclesiastico præcepto, si hoc reipsa existeret (4)? Quod vero  
 attinet ad Concilia, satis est percurrere eorundem acta, ut quis-  
 que intelligat, non semel Bibliorum lectionem in lingua vulgari  
 vetitam fuisse. Ejusmodi sunt inter alia Concilium Tolosanum,

(1) Patrum tum græcorum tum lati-  
 norum, qui exhortationes habent ad  
 lectionem sacrarum Bibliorum, et do-  
 ctorum, qui eos secuti sunt, duplicem  
 pariter copiosissimum indicem, adduc-  
 tis etiam singulorum verbis, similiter  
 confecit P. Cherubinus, op. et loc. cit.  
 art. 5, sect. 2 et 3; incipiendo a se-  
 culo 1, a Clemente nempe Rom. usque  
 ad seculum XVI inclusive, nempe usque  
 ad an. 1597. Hoc ipsam jam præstite-  
 rat Jodocus Coccius, qui reipsa vere  
 Thesaurum catholicum collegit 24 an-  
 norum spatio. Is itaque, tom. 1, lib. VI,  
 art. 20, eundem catalogum exhibet

usque ad an. 1510. Prior tamen auctor  
 copiosior est, magis criticus, magisque  
 accuratus, quia ipsi facile fuit ex an-  
 teriore proficere. In nonnullis tamen,  
 quæ ad severiorem criticam spectant,  
 interdum et ipse labitur.

(2) *De præscript. hæret.* cap. 14  
 edit. Rigalt.

(3) *De doctrina christiana*, lib. 1,  
 cap. 39, n. 45.

(4) Cfr. Fontana, *Constitutio UNI-  
 GENITUS theologice propugnata*, tom. III,  
 in propos. LXXIX, cap. 1 et 2, pag. 584  
 et seqq.

Narbonense , Cameracense , Mechlinense , de quibus inferius agendum nobis erit.

298. Cum igitur neque ex rei natura neque ex præcepto aliquo necessitas legendi Scripturas , quam novatores ac Jansenistæ obtrudere vellent , quæque omnes indiscriminatim adstringat , habeatur , concludendum est , sacræ Scripturæ lectionem Christi fidelibus indiscriminatim omnibus minime esse ad salutem necessariam , prout ostendere nobis assumpsimus.

#### DIFFICULTATES.

299. Obj. Ex utroque capite exurgit lectionis Scripturarum necessitas , quæ omnes ac singulos obliget Christi fideles. Sane ipsam rei naturam ejusmodi inducere necessitatem , ex multiplici capite patet , ac 1<sup>o</sup> ex fine , quem Deus sibi præstituit in leganda Scriptura hominibus , ut nempe suam eis patefaceret voluntatem ; jam vero omnibus ac singulis munus incumbit hanc Dei cognoscendi voluntatem ; 2<sup>o</sup> ex obligatione , qua omnes tenebantur Judæi , audiendi Moysen atque Prophetas ipsos Dei nomine alloquentes , et qua adhuc tenerentur Christiani Christum , si nobiscum adhuc conversaretur , et Apostolos , si et ipsi nobis concionarentur , audiendi ; quæ obligatio profecto non cessavit , cum et Christi doctrina et Apostolorum prædicatio Libris sacris consignata sit ; 3<sup>o</sup> ex consolatione , quam nobis comparare ex Scripturarum debemus lectione , uti loquitur Apostolus , dicens : *Ut per patientiam et consolationem Scripturarum , spem habeamus* (1) ; 4<sup>o</sup> ex persuasionem , in qua erant Judæi , quod in Scripturis vita haberetur æterna , seu medium ad salutem , a qua Christus eos minime abduxit , sed potius confirmavit illis verbis : *Scrutamini Scripturas , quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere* (2). 5<sup>o</sup> Neque eximuntur ab hac necessitate rudes ac illitterati , quibus idcirco onus incumbit ejus lectioni adesse in templis , ubi lingua vernacula ipsis legi debet ; 6<sup>o</sup> aut saltem dicendum cum synodo Pistoriensi , eos excusari ex sola impo-

(1) Rom. xv , 4.

(2) Joan. v , 39.

tentia, ut in pluribus aliis accidit. 7<sup>o</sup> Nec demum suppletur huic necessitati aut concionibus aut libris asceticis, cum in his non præbeatur purum verbum Dei, sed immisceatur verbo hominum, nec raro per ineptas, quandoque vero etiam contortas ac absurdas Scripturarum expositiones. Ergo.

300. Resp. *Neg. ant.* Ad 1<sup>m</sup>, prob. *Dist.* Si nulla alia ratio suppeteret, cognoscendi voluntatem Dei hominibus patefactam, præter Scripturarum lectionem, *conc.*; si plures aliæ rationes præterea suppetant, *neg.* Has porro assignavimus in probationibus.

301. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Tenentur homines Christum et Apostolos audire sive immediate sive mediate, *conc.*; immediate, *neg.* Hoc enim absurdum est. Ceterum cum Christus generatim dixerit: *Qui vos audit, me audit* (1) et: *Ecce, ego vobiscum sum (docentibus) omnibus diebus usque ad consummationem seculi* (2), apertum est, eos omnes Christum et Apostolos audire, qui legitimos Apostolorum successores docentes prædicantesque audiunt. Christus enim jugiter vivit in ministris suis, ac per eos divina sua missio perennis fit, dicente Apostolo: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos; obsecramus pro Christo* (3). Eo vel magis, quod non omnis Christi et Apostolorum doctrina per solam Scripturam ad nos pervenerit, verum etiam per traditionem, uti paulo post ostendemus.

302. Ad 3<sup>m</sup>, *Dist.* Si Scriptura unica via esset ad patientiam et consolationem capiendam, *trans.*; si plures aliæ præsto sint, *neg.* Addimus, motiva, quæ ad homines salvandos et ad patientiam informandos conferunt, viva voce exponi posse, ac tutius per legitimos Christi ministros, ut diximus, a fidelibus percipi.

303. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Quatenus in Scripturis, ex parte saltem, divina revelatio continetur ad viam salutis hominibus commonstrandam, *conc.*; quatenus ex sola Scripturarum lectione ab unoquoque immediate illa hauriri debeat, *neg.* Responsio patet ex dictis; neque unquam Judæi in hac persuasionem fuere.

304. Ad 5<sup>m</sup>, *Neg.* Etenim, si omnes prorsus et singuli ejus-

(1) Luc. x, 16.

(3) II Cor. v, 20.

(2) Matth. xxviii, 20.



modi necessitate adigerentur, omnes omnino etiam rudes ac illiterati ei parere deberent, ac propterea ad removenda obstacula, quæ ipsos impedirent, quominus ei muneri satisfacerent, obligarentur. Nam qui ad finem tenetur, et quidem absolute, tenetur pariter ad media, sine quibus necessarius finis nequit obtineri. Neque huic obligationi satisfaceret per auditionem, cum juxta adversarios necessitas sit de lectione ipsa. Susplicari præterea semper possent rudes, ne in publica illa lectione deciperentur aut per versionem infidelem, aut per mutilationem textus, aut alia demum ratione. Quod vero adjicitur de onere legendi Scripturas in templis lingua vernacula, quomodo id adversarii ostendunt? Nihil ejusmodi in Scripturis occurrit, quæ juxta ipsos solam constituunt credendorum et agendorum regulam.

305. Ad 6<sup>m</sup>, *Dist.* Cujus propterea Synodi propositio, utpote erronea, damnata est, *conc.*; probata atque admittenda, *neg.* Accedit, quod hæc sit glossa omnino gratuita, cujus nullum in Scripturis fundamentum habetur aut traditione, et in eum finem invecta, ut ab absurdis, quibus premitur adversariorum doctrina, se subducerent.

306. Ad 7<sup>m</sup>, vel *Neg.* vel *Dist.* Nonnulli, *trans.*; omnes, *neg.* Jam vero nunquam desunt in Ecclesia operarii, ut vocat Apostolus, *inconfusibiles*, qui rite graviterque enarrent verbum Dei; Episcopi excubant, ut concionatores suo recte fungantur officio. Sic nunquam desunt libri ascetici ac mystici vero Dei Spiritu conscripti, quibus fidelium animi ad pietatem omnigenam mire excitantur, ac promoventur ad sanctitatem, sententiis ex sacris Litteris opportune et apte depromptis (1). Si quid vero aut inutile

(1) Prætermisissis siquidem nunquam satis commendatis asceticis operibus, *De imitatione Christi*, *Philothea* S. Francisci Salesii, *De gemitu columbæ*, *De arte bene moriendi*, *De ascensione mentis in Deum* Ven. Card. Belarmini, necnon tot eximiis operibus Bossueti, Fenelonii, Card. Bonæ, qui solide non minus quam pie animam

christianam ad pietatem perfectionemque perducunt, si quis oculos conjiciat in scripta S. Catharinæ Senensis, S. Theresiæ, S. Alphonsi, fieri non potest, ut ex unctione, quam ubique spirant, non sentiat Dei spiritum in illis dominari, ac cor suum in Deum rapi imo et trahi. Hæc speciminis gratia commemoravi; ceterum innumera prope sunt

aut minus grave sive concionibus sive libris illis inseritur, non ideo omnia vitiata dicenda sunt, sed in tanta, qua illarum versamur, copia, potest quispiam illos seligere, quos magis idoneos experitur, ac sibi magis accomodatos.

307. Inst. Saltem tenentur fideles ad sacrarum Litterarum lectionem ex præcepto. Nam, 1<sup>o</sup> Deut. VI, 6, de mandatis Domini dicitur: *Ligabis ea quasi signum in manu tua; eruntque et movebuntur ante oculos tuos; scribesque ea in limine et ostiis domus tuæ.* 2<sup>o</sup> Christus vero, Joan. V, hoc ipsum iterum inculcavit, dicens: *Scrutamini Scripturas.* Et Apostolus præcepit Colossensibus, ut epistolam legerent, quam scripserat ad Laodicenos, ac vicissim ut Laodiceni eam legerent, quam direxerat ad Colossenses: *Et cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite ut et in Laodicensium Ecclesia legatur; et eam, quæ Laodicensium est, vos legatis* (1). 3<sup>o</sup> Ex his præterea discimus, fideles omnes præcepto adigi ad legendas epistolas, quas scripserunt ad eos Apostoli; quorsum sane epistolas illi scripsissent, si fideles non tenerentur eas legere? Quod vero dictum est de epistolis, de reliquis Scripturarum libris Novi præsertim Testamenti intelligi per analogiam debet, cum juxta S. Gregorium M. ac reliquos Patres Scriptura Sacra aliud non sit quam Dei epistola ad homines data. 4<sup>o</sup> Hinc Christus generatim dixit: *Quærite, et invenietis*; perinde ac si dixisset: *Quærite in Scripturis veritatem, et invenietis eam* (2). 5<sup>o</sup> Quibus permotus S. Joan. Chrysostomus: *Audite, inquit, obsecro, seculares omnes, comparate vobis Biblia, animæ pharmaca, si nihil aliud vultis, vel Novum Testamentum acquirite, Apostolorum Acta, Evangelia, etc.* (3);

in Ecclesia catholica ejusmodi opera, quæ animum in Deum accendunt; hæc autem frustra quæras in Protestantium scriptis, quæ glaciem potius adducunt. Sed in Ecclesia est vita. Non semel factum est, ut Protestantes rite dispositi ex illorum lectione commoverentur ac se recipere in Ecclesiæ sinum.

(1) Coloss. iv, 16.

(2) Ita Monod, in cit. opusc. *Le ministre*, etc. pag. 15 et seqq.

(3) Ἀκούσατε, παρακαλῶ, πάντες οἱ βιατικοὶ, καὶ κτᾶσθε βιβλία, φάρμακα τῆς ψυχῆς. Εἰ μηδὲν ἕτερον βούλεσθε, τὴν γοῦν καινὴν κτήσασθε, τῶν ἀποστόλων τὰς πράξεις, τὰ εὐαγγέλια. *Hom. IX, in epist. ad Coloss. n. 1. tom. xi, p. 390.*

ac demum concludit : *Non potest fieri, ut quisquam salutem assequatur, nisi perpetua versetur in lectione spirituali* (1). 6<sup>o</sup> Merito proinde vel ipse Van Ess, parochus catholicus ac professor in universitate Marburgensi, affirmavit, propagationem sacrorum Bibliorum inter omnes indiscriminatim fideles unicum medium esse efficiendi, ut denuo christiana religio efflorescat (2). Ergo.

308. Resp. *Neg. ant.* Ad 1<sup>m</sup>, prob. *Dist.* De præceptis Decalogi, *trans.*; universæ legis mosaicæ, *neg.* Absurdum siquidem esset asserere, legem universam seu Pentateuchum scribi in liminibus et ostiis domorum, aut ferri quasi signum in manu. Sane Pharisæi, qui ad litteram allegata verba ex Deuteronomio intelligebant, in phylacteriis et vestis fimbriis nonnullos perpauca legis mosaicæ locos exscriptos deferebant; ad hunc autem morem alludens Christus Dominus : *Dilatant enim, inquiebat, phylacteria sua, et magnificant fimbrias* (3), ad ostentationem videlicet. Ceterum objecta verba figuratam locutionem præ se ferunt, qua Hebræis præcipiebatur, ne unquam oblivioni traderent divina præcepta. Materialis interpretatio pharisæismum sapit et rabbinismum. Perperam igitur afferuntur verba Deuteronomii pro adstruendo præcepto de Scripturarum lectione.

309. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Et in hypothesi, quod objecta Christi verba præceptum contineant, solos pharisæos, seu legis doctores ac Sacerdotes afficiunt, *conc.*; indiscriminatim omnes, *neg.* In primis dubium admodum est, utrum imperandi aut indicandi modi sit verbum Ἐρευνᾶτε, *scrutamini*, ut inter ceteros S. Cyrillus Alex. contendit (4). Verum dato etiam, quod modi sit imperandi,

(1) Οὐ γὰρ ἔστιν, οὐκ ἔστι τιναὶ σαθῆναι μὴ συνεχῶς ἀναγνώσεως ἀπολαύοντα πνευματικῆς. *In Laz. hom.* iii, n. 2, t. 1, p. 738.

(2) Apud Grégoire, *Hist. des sectes*, tom. iv, pag. 412.

(3) Matth. xxiii, 5. Cfr. in hunc loc. Joan. Lightfootus, opp. edit. Ultraject. 1699, vol. II, pag. 356 et seq. qui recenset locos a pharisæis descrip-

tos in phylacteriis seu observatoriis et vestium fimbriis; sunt autem hæ quatuor legis periochæ, Exod. xiii, v. 3-10; Exod. xiii, v. 11-16; Deut. vi, v. 5-9; Deut. xi, v. 13-21. Cfr. quoque Ign. Weitenauer S. J. in celebri *Lexico biblico* sæpius recuso, ad vocem *Phylacterium*.

(4) Vadem damus hujus expositionis



non ad omnes promiscue Christus verba sua direxit; sed, uti colligitur ex v. 33, eos alloquebatur, qui miserant ad Joannem, quique erant Sacerdotes et Levitæ (Joan. 1, 19-24) (1). Jam vero etiam nunc Ecclesia Sacerdotibus ac ministris suis eadem verba ingeminat: *Scrutamini Scripturas*; fidelibus vero ac populo illa Ecclesiastici ingerit: *Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper... Non est enim tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis... Multos quoque supplantavit suspicio illorum. Et in vanitate detinuit sensus illorum* (2).

310. Ad. 3<sup>m</sup>, *Dist.* In publico coetu et sub magisterio ministrorum Ecclesiæ, *conc.*; ab unoquoque privato et absque ulla subjectione, *neg.* Haud inficiamur, quandoque utilem esse posse publicam lectionem sive Epistolarum, sive Evangelii, aliorumve sacræ Scripturæ librorum, prout Ecclesia semper facere consuevit. Verum, ut omni periculo via præcludatur, tractus seligendi sunt, qui omnium ædificationi inservire possint; et, si qua alicubi difficultas in his deprehendatur, explananda est ab Ecclesiæ ministris, uti fit in Ecclesia catholica per enarrationem Evangelii aut Epistolæ, ac etiam ab iis, qui e suggestu lectiones habent ac explanationes Scripturarum (3). Nunquam sane mens fuit Apo-

vel ipsum Kuinoellium, qui in Joan. v. 39, hæc scribit: Ἐπειὼντες permulti interpretes, neutiquam tamen idoneis de causis, imperandi modo accipiunt, et verbum ipsum ἐπεινέειν explicant aliquid cum maxima ἀκρίβεια, animi attentione, et magno animi conatu quærere... sed ἐπεινῶντες, ut jam Cyrillus vidit, indicandi modo accipiendum est, vos inquiritis, scrutamini... Hunc enim modum orationis series flagitat, cum v. 40 sequatur, καὶ οὐ θίλτε ἰλαθῆν κ. τ. λ., cum infra v. 45 Jesus concedat, Mosen ab iis magni fieri, sed frustra legi; atque in præcedentibus etiam indicativi modi legantur.

(1) Cfr. Idem Kuinoellius, ibid. ad v. 33-34.

(2) *Ecclesiastici* III, 22, 23, 26.

(3) Ut pateat, quanta sollicitudine caverit Concilium Tridentinum, ut sacræ Scripturæ lectio et explanatio vernacula lingua fieret populo christiano, satis est legere ejus decreta, quæ sub Paulo III, anno 1545, sess. v, *De reform.* cap. 1, edita sunt: *In ecclesiis, dicitur, in quibus præbenda... aut quovis nomine nuncupatum stipendium, pro lectoribus sacræ Theologiæ deputatum, reperitur, Episcopi, Archiepiscopi, Primate et alii locorum Ordinarii eos... qui stipendium hu-*

stolis, ut fideles absque subjectione præpositis suis Epistolas aliaque ipsorum scripta legerent, eademque privato sensu interpretarentur. Equis enim fidelium absque erroris formidine legeret ac interpretaretur Epistolam ad Romanos? Quod et de ceteris pariter dici opus est. Atque hinc responsio patet ad id, quod adjicitur de universa sacra Scriptura, quæ a S. Gregorio M. aliisque Patribus merito vocata fuit epistola Dei ad homines (1).

311. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist. Quærite orando, conc.*; legendo Scripturas, *neg.* Evidens est ex toto contextu, agere hic Christum de necessitate atque efficacia orationis, cum dicat: *Petite, et accipietis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis*; in quibus nec verbum occurrit, quod vel innuat præceptum de Bibliorum lectione. Sed ita est; hæretici prius contorquent ad proprios sensus litteras sacras, deinde vero juxta privatam suam interpretationem eas Catholicis obtrudunt, ut, quod contendunt, quaquaversus evincere videantur (2).

*jusmodi obtinent, ad ipsius sacra Scripturae expositionem et interpretationem, per seipos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum, ab ipsis Episcopis... eligendum, compellant. De cætero vero præbenda aut stipendium hujusmodi non nisi personis idoneis, et quæ per seipos id munus explere possint, conferantur.* Et aliis omissis, quæ alias retulimus, sess. xxiv, sub Pio iv anno 1562, *De reform.* cap. iv, statuitur de Episcopis et parochis, ut *saltem omnibus Dominicis et solemnibus diebus festis, tempore autem jejuniorum quadragesimæ et adventus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras Scripturas divinamque legem annuncient.* In quos locos cfr. Joan. Gallemart. Hæc vero executioni mandari,

tum ex publico facto constat, tum ex Scripturae lectionibus, quæ vernacula lingua ad populum habitæ sunt ac deinceps ingenti populi fructu typis editæ; atque ut in Italia nostra sistam, equis ignorat lectiones sacras Zucconi, Calini, Cattaneo, Nicolai, Rossi, Granelli, Roberti, Pellegrini, Martinetti, Barotti, Cesari, quique horum agmen claudit Cl. Franc. Finetti, cujus decem jam volumina hac de re prodierunt.

(1) Cfr. Fontana, op. cit. in prop. lxxxii Quesnelli, cap. iv et v, pag. 996 et seqq.

(2) Vere quadrant adversariis nostris, quæ Tertullianus scribit de sui temporis hæreticis, qui et ipsi, sicut sec. xix novatores, obtrudebant istud *quærite et invenietis*; sic, inquam, scribit, in lib. *De præscript.* cap. xiv: *Itaque tu, qui perinde quæris, spe-*



312. Ad 5<sup>m</sup>, *Dist.* Adhortando et quidem non absque aliqua amplificatione, *conc.*; presse præcipiendo, *neg.* Ut enim omitam, non esse in unius tantum Patris potestate præceptum inducere, quo omnes obligentur fideles, scopus ipsius est fideles a ludis, spectaculis profanorumque librorum lectione retrahere, eosque ad sacræ Scripturæ lectionem excitare, ut paulo post ostendemus. Quod ut obtineat, utitur interdum hyperbole et amplificatione, prout clare patet ex altero testimonio ab adversariis objecto. Fieri ne potest, ut S. Joan. Chrysostomus sibi persuaserit, rudes omnes ac idiotas, qui litteras non didicerint, assequi salutem non posse? Hoc neque adversarii contendunt (1).

313. Ad 6<sup>m</sup>, *Dist.* Si privatorum individuorum iudicium Rom. Pontificum, imo et Ecclesiæ universæ iudicio esset præferendum, *conc.*; secus, *neg.* Quid magis ad religionis christianæ prosperitatem conferat, melius certe noverunt Rom. Pontifices, quibus illa ex divina institutione commissa est, aut, si lubet, Ecclesia ipsa universa, quam privati homines qualescumque. Cum vero Rom. Pontificibus et cum illis universæ Ecclesiæ constiterit, non solum non expedire ad religionis Christianæ incrementum, aut nullo modo conferre, verum etiam maxime obesse inconsultam ejusmodi Bibliorum propagationem, nonne hominis tumentis est ac intolerabilis arrogantia illam propugnare tanquam unicum

*ctans ad eos qui et ipsi quærent, dubius a dubiis, incertus ab incertis, cæcus a cæcis in foveam deducaris necesse est. Sed quum decipiendi gratia prætendunt se adhuc quærere, ut nobis (Catholicis) per sollicitudinis injectionem tractatus suos insinuent; denique, ubi adierint ad nos, statim, quæ dicebant quærenda esse, defendunt; jam illos sic debemus reputare, ut sciant vos non Christo, sed sibi negatores esse. Cum enim quærunt adhuc, nondum tenent; cum autem non tenent, nondum crediderunt, non sunt Christiani. Et cum tenent quidem et*

*credunt, quærendum tamen dicunt, ut defendant; antequam defendant, negant quod confitentur se nondum credidisse, cum quærunt. Qui ergo non sibi sunt christiani, quanto magis nobis? Qui per fallaciam veniunt, qualem fidem disputant? Cui veritati patrocinantur, qui eam a mendacio inducunt? Edit. Rigalt. Quam bene, quam graphice paucis his verbis omnium hæreticorum cujusvis ætatis agendi ratio exponitur!*

(1) Cfr. Bellarm. *De verbo Dei*, lib. II, cap. 16.



medium, quo christiana religio efflorescat? Hinc est quod jure merito plures Van Ess castigaverint ejusque retuderint audaciam (1).

## PROPOSITIO II.

*Nunquam Ecclesia aut Rom. Pontifices universim prohibuerunt fidelibus sacræ Scripturæ lectionem in lingua vernacula; sed modo improbarunt, modo probarunt, prout temporum, locorum aut personarum adjuncta ac fidelium utilitas exposcere videbantur.*

314. Hanc adstruimus propositionem tum ad vindicandam agendi rationem, quam diversis temporibus Ecclesia ac Rom. Pontifices adhibuerunt circa lectionem sacrorum Bibliorum in lingua vulgari, tum ad repellendam Protestantium, Jansenistarum illorumque neotericorum calumniam, qui Ecclesiam ac Rom. Pontifices incusant, perinde ac si universim prohibuerint lectionem Scripturæ sacræ in lingua vernacula, ut hac ratione fidelibus os Christi obstruerent, atque eis modum adimerent illam intelligendi. Præmonemus porro, hic agi de re disciplinari, quæ propterea accommodari potest, immovero et debet diversis temporum, locorum ac personarum adjunctis; cum exploratum sit, nonnulla alicubi et quadam ætate saluberrime constituta fuisse, quæ, rerum adjunctis immutatis, tanquam noxia postmodum abrogata sunt, atque etiam vetita (2).

315. Quibus præmissis, ita accedimus ad thesim nostram evincendam. Ecclesiam antiquitus Scripturæ sacræ lectione in vulgari lingua non interdixisse fideles, ex iis liquet, quæ paulo ante præmisimus de Scripturarum versionibus in omnes ferme

(1) Inter ceteros eminent Lienhard, Argentoratensis, et Kistemacher, theologus Monasteriensis, de quibus etiam loquitur Grégoire, loc. cit.

(2) Plura hujus diversæ agendi rationis, pro diversis temporum ac personarum adjunctis, conguessit tum ex

sacris Litteris tum ex historia ecclesiastica Spiritus Roterus, in sua lucubratione hoc de argumento edita anno 1548, cap. xxx, quibus plura alia adjecit Fontana, op. cit. in propos. LXXXIII, cap. IV, col. 848 et seqq. quæ illic recoli possunt.

linguas tunc temporis vigentes, quasque Ecclesia nunquam improbavit; quod et adversarii ipsi ultro fatentur, imo et contendunt. Insequentibus vero seculis, cogentibus hæreticorum fraudibus in vitiandis sacris Litteris sub versionum vernacularum obtentu, sacrorum Bibliorum lectio in lingua vulgari interdici cœpit fidelibus in Galliis a Conc. Tolosano anno 1229 (1). Huic Synodi constitutioni jam præiverat Innocentius III, qui eadem de causa lectionem Scripturarum vulgari idiomate diocesis Metensis fidelibus interdixit (2). Verum ejusmodi constitutiones locales fuerunt ac temporariæ. Res ita se habuit, donec exortis hæreticorum Lutheranorum, Zwinglianorum, Calvinistarum innumerarumque illorum propaginum factionibus, qui ad unum omnes necessitatem proclamarunt legendi ab omnibus et singulis fidelibus sacra Biblia idiomate vulgari, quique certatim suis sacros Codices versionibus corruperunt, ut malo imminente occurreret Pius IV, prodiit ejus jussu regula quarta Indicis, qua sacrorum in lingua vernacula Bibliorum promiscua lectio severe interdicitur. Ast neque ob regulam istam omnibus Christi fidelibus ejusmodi lectio universim ac indiscriminatim prohibetur, cum ea relativa seu respectiva sit; siquidem, quibus proficua esse deprehenderetur sacrae Scripturae lectio, iis judicio Episcopi aut inquisitoris de istorum consensu illa permittitur (3). Ex nimia

(1) Can. xiv : *Prohibemus etiam, ne libros Vet. Test. aut Nov. laici permittantur habere, nisi forte Psalterium vel Breviarum... Sed, ne præmissos libros habeant in vulgari translato, omnino prohibemus.* Apud Colletum in *Collect. Veneta Concilior.* tom. XIII, col. 1239. Celebratum porro hoc Concilium est an. 1229, mense Novemb. prout etiam habetur ex Sirmondo, Dacherio, Martenio, non autem an. 1129, uti scribit Wegscheider, qui adducit auctoritatem Mansi. Ast Mansi in suo *Ad Concilia Veneto-Labbeana supplemento*, tom. II, col. 963, nec refert

quidem hujus Concilii acta, sed solum pacta inter regem Francorum et Raymondum comitem Tolosanum inita, statuitque hoc Concilium pariter an. 1229. Hæc observanda erant circa epocham, ut pateat hanc prohibitionem factam esse adversus Albigensium machinationes.

(2) Hanc refert Fontana, op. cit. col. 591 et seq. ubi etiam adnotat, Innocentium importuno Metensium desiderio aliquas Scripturae partes minus difficiles permisisse.

(3) En verba regulæ IV Indicis : *Cum experimento compertum sit, si sacra*

tamen hanc concedendi facultatem facilitate, qua haud pauci abutebantur, factum est, ut Clemens VIII eam facultatem ad sacram Indicis congregationem revocarit (1).

316. Ubi autem Scripturæ sacræ lectio in lingua vernacula utilis visa est, non modo Rom. Pontifices eam non prohibuerunt, immovero et promoverunt; cum scilicet certiores effecti sunt de versionum fidelitate, atque difficilioribus in locis eam opportunis notis explanatam compererunt. Sic Gregorius XIII auctor fuit P. Wiechio S. J., ut in linguam polonicam Biblia verteret; ejusque versio, Clemente VIII probante, Cracoviæ prodiit (2). In Germania præter antiquiores, quæ jamdiu a viris catholicis vulgatæ erant (3), nova adornata est ab Emsero (4); in Anglia in

*Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri, hac in parte* JUDICIO EPISCOPI AUT INQUISITORIS STETUR, UT CUM CONCILIO PAROCHI VEL CONFESSARII *Bibliorum, a catholicis versorum, lectionem vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint, ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei et pietatis augmentum capere posse.* De hac regula Indicis prolixè egit P. Cherubinus, op. cit. tom. iv, part. iv, pag. 489-558, adversus Arnaldum.

(1) Sunt autem hujus tenoris, quæ jussa Clementis VIII addita sunt Regulæ IV Indicis: *Animadvertendum est circa supradictam Regulam quartam Indicis fel. record. Pii Papæ IV, nullam per hanc impressionem et editionem de novo tribui facultatem Episcopis, vel inquisitoribus, aut regularium superioribus concedi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita; cum hactenus mandato et usu sanctæ Rom. et uni-*

*versalis inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi hujusmodi licentias, etc.*

(2) Cfr. Alegambe in *Biblioth. Script. Soc. Jes.* loc. cit.

(3) Etenim Olfriedus Wissemburgensis an. 870 Novum Testam. ac Psalmos metricè lingua teutonica reddiderat; Rab. Maurus et Walfridus universa Biblia in linguam germanicam vertebant; versiones biblicæ Augustana et Nüremburgensis prodierant sec. xv. Cfr. Audin, *Hist. de la vie de Luther*, edit. 2, tom. I, pag. 14. Quod tamen hic dicit Audin de versione germanica Rabbani Mauri et Walfridi *totius* Scripturæ, ab aliis in dubium revocatur. Cfr. *Apparatus biblicus* Cherubini, vol. IV, pag. 151 et seq. Imo germanica versio, quæ jam typis prodierat an. 1466, *sexdecim* vicibus edita est ante Lutheranam versionem anni plus minus 1534. Cfr. *Versions of the Scripture*, in Dublin Review, vol. I, July 1836.

(4) De hac versione Emseri agunt Cochlæus, in *Actis adv. Lutherum*,



usu est versio catholica Duacensis, quæ edita fuit anno 1609 (1); in Galliis Fenelonius versionem gallicam Nov. Test. plurimum provexit (2); in Italia, ut antiquiores versiones silentio prætereamus (3), celebris admodum est versio Cl. Martini Archiepiscopi Florentini, quæ omnium pene fidelium manibus usuque conteritur (4), quamque etiam Pius VI commendavit appposito

an. D. 1522; Serarius, in *Proleg.* pag. 130; Possevinus, in suo apparatu, tom. 1. Cfr. Cherubinus, op. et loc. citt. Emserus non vertit nisi Novum Testamentum; Eckius addidit versionem Test. Veteris, de qua præter Gretzerum, in *Vindic. Bellarmini*, agit Rich. Simon, in *Append.* pag. 532. Juxta Sixtum Senens. lib. vi *Bibl. sanctæ*, Eckius utrumque transtulit Testamentum an. 1540. Cfr. tamen Le Long, *Biblioth.* tom. 1, pag. 307-382 et seqq. edit. 1723.

(1) Vid. O' Connel, op. cit. *A full Report of the Proceeding*, etc. pag. 41 et seqq. Hæc versio quadraginta annorum labore adornata est a doctissimis viris, et omnium præstantissima habetur.

(2) Sic enim ipse scribit, in epist. 2 ad March. de Seignelai, ex *Tremblade*, 26 Febr. 1686, circa missiones *Saintogne*: *J'oubliais de vous dire qu'il nous faudrait une très-grande abondance de livres, surtout de Nouveaux-Testaments, et des traductions de la Messe avec des explications; car on ne fait rien, si on n'ôte les livres hérétiques; et c'est mettre les gens au désespoir, que de les leur ôter, si on ne donne à mesure qu'on ôte.* Et in ep. 3 ad eumd. *Il faudrait aussi répandre des Nouveaux-Testaments avec profusion... Si on leur ôte leurs livres,*

*sans leur en donner, ils diront que les ministres leur avaient bien dit, que nous ne voulions pas laisser lire la Bible, de peur qu'on vit la condamnation de nos superstitions et de nos idolâtries, et ils seront au désespoir.* Et alibi in ep. data ex Rocella: *Je ne saurois vous dire le nombre de Nouveaux-Testaments dont on auroit besoin*, etc. Cfr. *Correspondance de Fénelon*, edit. Paris 1827, tom. 1.

(3) Cujusmodi sunt Nic. Malermi, Ant. Brucioli, aliorumque, de quibus agit Le-Long, in cit. *Biblioth.* tom. 1. Sisto in versione Joan. Diodati Lucensis, qui fuit minister calvinianus Genevensis, qui que paraphrasten potius quam interpretem agit in sua versione, ac nihil non ad suæ sectæ placita pertrahit, quam versionem propterea suam fecerunt Genevenses. Porro hæc versio ea est, cujus jam plures editiones societas Biblica vulgavit, atque inter nos disseminat ad deferendum *bonum nuncium*. Egregii homines! Historiam hujus versionis fuse præbet P. Cherubinus a S. Joseph, in *Appar. bibl.* tom. iv, pag. 127 et seqq. Nihil dixi de vers. Jac de Voragine, quia critici eam in dubium revocant. Cfr. Le-Long.

(4) Mirum est, Glaire nullam hujus versionis mentionem fecisse, cujus tamen supra viginti editiones prodierunt;

Brevi dato 17 Mart. 1778, in quo inter cetera de sacris Libris hæc leguntur: *Illi enim sunt fontes uberrimi, qui cuique patere debent ad hauriendam et morum et doctrinæ sanctitatem*, etc. (1). Quod et de nationibus reliquis dici debet, adeo ut vix aliqua sit, quæ versione sua non utatur (2).

317. Sed et ante ita dictam reformationem longe lateque sacra Biblia disseminata erant. Quæ primum vulgata sunt a celebri Faust post typographicam inventionem, fuere sacra Biblia juxta versionem vulgatam, nempe annis LXX antequam lutherana factio foras erumperet. Notandum porro est, ea ætate, quotquot pene legere scirent, linguam latinam calluisse. Per idem tempus 800 plus minus editiones Bibliorum aut Nov. Test. ante reformationem prodierant; ac per universam Europam catholicam circumferebantur, antequam vel *protestantis* nomen agnosceretur. Et ex his, 200 versiones in linguis vernaculis diversarum gentium, apud quas vulgatæ erant, omnium manibus libere versabantur (3).

318. Hisce ab historia depromptis, jam constat de facti, quod asseruimus, veritate, nunquam videlicet Ecclesiam aut Rom. Pontifices universim et absolute sacræ Scripturæ lectionem in lingua vernacula fidelibus indiscriminatim omnibus interdixisse. Nunc præstat paucis jus adstruere, nempe ostendere, prudenter omnino Ecclesiam Romanosque Pontifices sese gessisse, dum pro opportunitate promiscuam illam lectionem fidelibus vetuerunt.

319. Duæ sane cumprimis rationes Concilia Romanosque Præ-

atque illud etiam notandum, quod, cap. 5, quæst. 10, § 16, § 17, loquens de versione Gothica Ulphilæ, asserat, ad nos non pervenisse istius versionis nisi Evangelia, et aliquot fragmenta epist. ad Rom. quæ edita sunt a Knittel ex *Codice rescripto*. Attamen notissimum eruditus est, ex palimpsestis Biblioth. Ambrosianæ, curis Eminentissimi doctissimique viri Angeli Mai, qui eas primum reperit, et Caroli Oc-

tav. Castillionæi vulgatas esse epistolas fere omnes Apostoli Pauli una cum textu gothico, ejusdemque gothici textus versione latina una cum Glossario ab. an. 1819 ad an. 1839 typis mediolanensibus. Refellit porro Castillionæus in non paucis Hug, cujus meminit Glaire.

(1) Cfr. in edit. Rom. 1784, tom. 1.

(2) De quibus agit Le Long, op. cit.

(3) Cfr. O' Connel, loc. cit.

sules ad avertendos fideles a vulgari Scripturarum lectione pepulerunt : periculum scilicet perversionis , et adulteratio sacri textus in versionibus hæreticorum. Hasce singillatim expendamus oportet.

320. Ac primo quidem perversionis periculo , quod fidelibus instabat , permota fuisse concilia Romanosque Pontifices ad illa decreta edenda , patet 1<sup>o</sup> ex ætate , qua Tolosanus canon XIV editus est. Eruperant tunc temporis Albigenes ac Waldenses , qui duce Petro Waldo contra clerum sese extulerant , et versione Scripturarum in gallicam linguam utebantur ad pervertendos Catholicos , quorum plures in dies decipiebantur ex perperam intellectis nonnullis Scripturarum oraculis ; quapropter debuit Concilium , prout jam præstiterat saltem ex parte Pontifex Innocentius III , contrahere facultatem laicis legendi Scripturam lingua vernacula , quo malum illud compesceretur (1). Id pariter

(1) Hic me cohibere nequeo ab afferendis verbis auctoris protestantis, nempe Hurter, qui in vita Innoc. III, edit. cit. tom. III, lib. XIV, pag. 36, agens de hæreticis illius ætatis, qui typi fuerunt hæreticorum insequentium, scilicet protestantium, hæc ad rem nostram præclare scribit : *L'expérience avait appris que les hérétiques citaient quelquefois l'Écriture sainte pour appuyer leurs opinions, non seulement l'interprétaient selon leur système, mais la traduisaient en langue vulgaire, et la communiquaient aux autres, sans s'inquiéter si la traduction en rendait fidèlement le sens. Si ceux, dont la vie était consacrée à la science, avaient été obligés de se livrer avec persévérance à beaucoup de travaux, de recherches et de méditations suivies, pour faire connaître exempté de toute erreur la vérité révélée, telle qu'elle est ren-*

*fermée dans les saintes Écritures, combien ne devait pas paraître dangereuse l'idée de placer entre les mains de tout le monde, sans avoir égard à la capacité et à la droiture de volonté de chacun, un livre qui peut conduire l'homme aussi facilement à l'erreur que dans le chemin du salut? Une foule d'hommes et de femmes imitèrent à Metz ce que Waldo avait fait à Lyon : on leur traduisit la plupart des écrits du Nouveau-Testament et plusieurs de ceux de l'Ancien-Testament, et ils en firent le sujet de conférences dans leurs réunions. Ils regardaient avec dédain ceux qui ne voulaient pas y prendre part, méprisaient les avertissements des prêtres, cherchaient à se justifier par les sentences sacrées. Si un ecclésiastique s'entretenait avec eux des choses sacrées, ils lui répondaient : Nous les connaissons mieux que vous.*



insequentibus annis renovari debuit, ex occasione Beguardorum et Beguinarum, Wicleffitarum et Hussitorum, aliarumque magno numero sectarum, multo vero magis Lutheranorum, Calvinistarum, una cum fecunda sobole ab illis progenita, qui ad unum omnes eadem arte utebantur ad errores suos in populum serendos propagandosque (1). Patet 2<sup>o</sup> ex adulteratione, quæ inducebatur, prout etiamnum inducitur, sacri Textus ab omnibus singulisque sectis in ejusmodi vulgaribus versionibus, ut eas accommodarent ad placita sua. Atque ut de antiquioribus sileamus, exploratum est, Lutherum, Bezam aliosque plures accusatos ab ipsis Protestantibus esse de ejusmodi corruptione (2). In Anglia primæ, quæ post reformationem versiones prodierint, fuere 1<sup>o</sup> Tyndallii, 2<sup>o</sup> Coverdalei, quæ sub Henrico VIII adornatæ sunt, 3<sup>o</sup> quæ *ab episcopo* nuncupatur, regnante Elisabetha edita est, ac LX annos in usu fuerunt. Attamen postea Ecclesiæ anglicanæ ministri supra mille numero, uno animo eas declara-

(1) Innumera prope documenta cfr. apud Fontana, op. cit. tom. III, in propos. LXXXI, cap. 1, col. 754; et iterum in propos. LXXXII, cap. 5, col. 800 et seqq.

(2) Cfr. *General Preface to New Testament, translated by George Campbell, James Macknight, and Philip Doddridge, Doctors of the Church of Scotland*; item ejusdem Georgii Campbell, diss. XI, p. II, pag. 123; Mosheim, *Syntagma dissert. ad sanct. discipl. pertinent.* pag. 166. Sed præ ceteris cfr. eruditus P. Cherubinus a S. Joseph, op. cit. tom. IV, qui ingenti labore versiones Lutheri ceterorumque hæreticorum lutheranorum, calvinistarum, sociniarorum, etc. expendit accurate, prolatis etiam magno numero ipsorum Protestantium judiciis, ex quibus evidenter conficitur, eos omnes ac

singulos, qui versiones novas ediderunt, non modo sæpissime lapsos esse, sed data opera Scripturas corrupisse. In sola versione Lutheri Hieronymus Emserus ostendit, 1400 errores hæreticos ac mendacia occultata ab illo hæresiarcha in ea fuisse. Sed ipsum adi Cherubinum, a pag. 154 ad pag. 205. Nempe et de nostris hæreticis protestantibus iterum ad litteram verum esse deprehenditur, quod de hæreticis sui temporis scripserat Tertullianus, in lib. *De præscript. c. XXXVIII: Illic igitur et Scripturarum et expositionum adulteratio deputanda est, ubi diversitas doctrinæ invenitur. Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coëgit aliter disponendi instrumenta doctrinæ. Alias enim non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent per quæ docerent.* Edit. Rig.

runt *erroribus gravissimis refertas, in nonnullis locis absurdas, in aliis detrahentes aliquid verbo Dei, pervertentes, obscurantes, vitiantes* (1). His propterea alia successit versio, quæ a Jacobo I *authentica* declarata est; porro gravissimi theologi protestantes seu anglicani; Lowth, Newcombe, Wescefield, Bellami, præter plures alios, hanc ipsam versionem traduxerunt veluti pluribus erroribus maculatam, ac proinde inquiebant novam optandam esse versionem. Horne, in sua recenti *Introductione ad studium criticum biblicum*, illorum confirmat iudicium (2). Cum igitur ingens fidelibus perversionis impenderet periculum ex tot, quæ magna profusione vitiatorum Bibliorum versionibus fiebant ab hæreticis, usa jure suo est Ecclesia, dum vulgares ejusmodi versiones prohibuit ad filios a venenatis hisce fontibus amovendos. Patet 3<sup>o</sup> ex malorum congerie, quæ provenerunt ab ejusmodi vulgaris Scripturæ lectione; ut enim premamus silentio, quæ anterioribus seculis orta sunt (3), protestantes Clarendon, Grey, Hey falsæ Bibliorum interpretationi tribuunt belli civilis dissidia suppliciumque Caroli I (4). Hume testatur, post reformationis initia debuisse ad tempus e populi manibus subtrahi versionem Scripturæ in lingua vernacula ob controversias et fanaticum, quem ejusmodi lectio excitarat (5). His alia plura testimonia adjecit D. Milner ex auctoribus protestantibus et anglicanis, qui ingemuerunt ob pravos effectus, ex vulgari Scripturarum versione consecutos (6).

(1) Apud O' Connel, opusc. cit., et apud Grégoire, *Hist. des sect.* tom. iv, p. 407 et seqq.

(2) Ibid.

(3) Cfr. Fontana, loc. cit.

(4) Cfr. apud Grégoire, loc. cit. pag. 415.

(5) Dav. Hume, *Hist. de la maison de Tudor*, lib. II, p. 246.

(6) Op. cit. *Excellence de la Relig. cathol.* tom. II, lettre XLVII, pag. 604 et seqq. His juverit auctoritatem hominis haud suspecti, nempe Waltoni, ap-

ponere, qui hactenus dicta confirmat: *Aristarchus inquit, olim vix septem sapientes in Græcia invenire potuit, et apud nos (ut verbis utar viri docti) vix totidem idiotas est reperire; omnes enim sunt doctores, omnes cælitus instructi. Nullus est ex vilissima fæce plebis fanaticus aut agyrta, qui non somnia sua pro verbo Dei venditet. Apertus enim videtur puteus Abyssis, ex quo ascendit fumus, qui cælum et stellas obscuravit, et exierunt locustæ cum aculeis, sectariorum et hæretico-*

Sane exinde factum est, ut sutores, lanii, pistores, bajuli, apostatæ etiam ac lenones lenæque prophetarum atque doctorum gesserint partes, seseque adversum proprios suos pastores erigere haud dubitarint (1).

321. Postquam vero furor ille (*Bibliomaniam* vocant), ab hæreticis excitatus, sensim deferbuit, ac minus periculi fidelibus instabat, cœpit Ecclesia aliquid de hujus disciplinæ severitate remittere, ipsique Rom. Pontifices commendarunt, ut vidimus, versiones vernaculas a piis prudentibusque catholicis viris adornatas atque opportunis adnotationibus auctas ad difficiliora loca enucleanda.

322. Dum igitur Protestantes adhuc sciscitari solent a plebeculâ: *Cur Ecclesia vestra interdicat vos Scripturarum lectione?* duplex semper omnibus responsio in promptu esse debet: prima quidem: *Ne seducamur a vobis, seu ne forte moriamur* (2); altera vero: *Vos calumniâmini Ecclesiam nostram; nunquam enim Ecclesia nobis absolute ejusmodi lectionem prohibuit.*

323. Juverit hactenus dicta confirmare confessione docti protestantis, qui haud dubitavit Ecclesiam catholicam apud suos purgare, eam incusantes, quod Biblia a cognitione fidelium subtraxerit: *Nos quidem putabamus, inquit Abauzit, plenam de Ecclesia Romana retulisse victoriam, dum ubique locorum Biblia dispersimus. Verum Ecclesia vicit; prohibitio siquidem ejus non absoluta est, sed relativa. Ejusmodi porro prohibitio relativa hac unice de causa lata fuit, ut versionum infidarum et arbitrariæ interpretationis, quæ omnibus erroribus viam pandit, periculum præcaveret, proscriberetque consuetudinem illam sine discretionem obijciendi juventuti inexpertæ, intemperantiæ corruptæ imaginationis, quæ quavis re abutitur, libros,*

*rum numerosa soboles, qui omnes uniguas hæreses renovarunt, et plurima opinionum portenta de novo intulerunt; ex quorum vero castris prodierunt, omnibus notum. Hi sunt qui civitates, pagos, castra, domus impleverunt, imo ecclesias et pulpita occuparunt,*

*et populum misere seductum in foveam secum præcipitant. Præf. in Polyglotta.*

(1) Cfr. Poncetius, Ord. Bened. apud Fontana, op. et loc. cit. pag. 728 et seqq.

(2) Gen. III, 3.



*ex quorum lectione, nihil utilitatis accipiunt nisi illi, qui cum maturo ingenio et corde puro eosdem legunt* (1). Hactenus ille.

324. Constat ergo ex dictis, quod ostendendum assumpsimus, nunquam videlicet Ecclesiam aut Rom. Pontifices universim prohibuisse fidelibus, etc.

DIFFICULTATES.

325. Obj. 1° Nemini licet eam adimere libertatem, quam Deus omnibus promiscue fecit, adeundi hæreditatem, quam ipsis uti filiis reliquit. 2° Quare abripere e Christianorum manibus Novum saltem Testamentum, est illis Christi os obstuere (2). 3° Interdicere Christianis lectionem sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, et facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis (3). 4° Nec refert, nonnullos abuti Scripturarum lectione; neque enim æquum est, ut propter hos, sive paucos sive multos malos, suo pii omnes bono priventur. Quemadmodum igitur non est penitus tollendus vini usus, quia multi vino abutuntur ad ebrietatem, sed severe compescendi sunt ebriosi, sic non debet interdici lectio, quia nonnulli eam detorquent ad usus perversos, sed horum sacrilegium est serio vindicandum (4). 5° Quare Scriptura laudat Eunuchum legentem Isaiam prophetam (5); Petrus adhortatur fideles, ut attendant prophetico sermoni tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco (6); Paulus utilem docet esse Scripturam ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum (7); laudat Timotheum, quod ab infantia sacras Litteras noverit (8); Psalmista beatos vocat, qui scrutantur testimonia Dei (9). 6° Post hæc supervacaneum esset Patrum agmina adducere, qui certatim satagunt fideles excitare ad Scripturarum lectionem. Satis sit verba describere S. Clementis Papæ, qui fideles omnes ita alloquitur: *Scripturas dili-*

(1) Apud Grégoire, op. et loc. cit. pag. 421.

(2) Ita Quesnellus, prop. 84.

(3) Idem, prop. 85.

(4) Ita Chamierius, calvinista furiosus, in *Controvers.* part. I, pag. 582,

apud Fontana, loc. cit. pag. 724.

(5) *Act.* viii, 28.

(6) II Petr. I, 19.

(7) II Timoth. III, 16.

(8) *Ibid.* v. 15.

(9) Ps. cxviii, 2.

*genter inspiciate, quæ sunt oracula Spiritus Sancti... Sumite epistolam B. Pauli Apostoli... Nostis, dilecti, et bene nostis sacræ Scripturas, et penitus in divina eloquia introspeexistis; illa igitur mente et memoria recolite* (1). Quod autem Clemens I commendavit, proscripsit Clemens XI. Hic jam quæritur, utri fides adjungi debeat? 7<sup>o</sup> Illusio porro est sibi persuadere, quod notitia mysteriorum religionis non debeat communicari fœminis lectione sacrorum Librorum. Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, enatæque hæreses sunt (2). Ergo.

326. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Dist.* Si hæc libertas absoluta sit ac prorsus independens, *conc.*; si Ecclesiæ auctoritati sit subjecta ac subordinata, *neg.* Jam vero, ut omittamus, Ecclesiam seu Ecclesiæ pastores et Prælatos immediatos sacri Scripturarum depositi custodes a Christo institutos esse, non autem fideles seorsum sumptos, fidelium libertas cohibita est ex Christi institutione ab auctoritate Ecclesiæ, quæ tanquam provida mater ac tutrix fidelis decernere debet, quidnam commodum aut incommodum, utilitatem aut detrimentum filiis suis sit allaturum. Filiorum porro bene moratorum est matris obtemperare præceptis. Cum autem experientia didicerit Ecclesia, sive ex temporum calamitate, sive ex prava filiorum animi dispositione, periculum fidelibus ingruere ex promiscua in vulgari lingua Bibliorum lectione, quamdiu illud imminere visum est, inconsultam illam libertatem coarctavit; sustulitque, cessante periculo, hanc ipsam coarctationem. In quo miram ejusdem piæ matris bonitatem ac prudentiam quis non suspiciat (3)?

(1) Ἐγκυπτετε εἰς τὰς γραφάς, τὰς ἀληθεῖς ῥήσεις Πνεύματος τοῦ ἁγίου... Ἀναλάβετε τὴν ἐπιστολὴν τοῦ μακαρίου Παύλου τοῦ Ἀποστόλου.... Ἐπισταθε γὰρ, καὶ καλῶς ἐπισταθε τὰς ἱερὰς γραφάς, ἀγαπητοὶ, καὶ ἐγκικύφατε εἰς τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ. εἰς ἀνάμνησιν οὖν ταῦτα λάβετε. Epist. 1 ad Cor. capp. xlv, xlvii, liii.

(2) Ita Quesn. prop. 83.

(3) Cfr. egregia dissert. Spiritus Roteri, ord. Præd. *De non vertenda Scriptura sacra in vulgarem linguam*, Tolosæ 1548, cap. xi, pag. 53 et seqq. quæ iterum cusa est in *Collectione auctorum Scripturæ sacræ vulgares translationes damnantium*, ac reperitur pag. 123.

327. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Si unica via ad Christum audiendam vulgaris esset Scripturæ lectio, *conc.*; si innumeræ prope aliæ suppetant, *neg.* Possunt igitur fideles Christiani loquendam audire Christum in ministris suis, in lectione librorum asceticorum, in interiore ejus inspiratione, in publicis concionibus, Scripturarum explanationibus, aliisque ejusmodi mediis, quibus vera Dei Ecclesia abundat; alioquin rudibus et illiteratis, idiotis ac barbaris, innumeris nempè hominibus, Christi os obstructum plane esset.

328. Ad 3<sup>m</sup>, Eadem esto responsio.

329. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Si privatorum judicio decernendum esset, quando expediat propter rei alicujus abusum tollere seu verius rei ejusdem usum coercere, *trans.*; si a legitima auctoritate, *neg.* Verum est, non semper usum esse adimendum alicujus rei in se innoxiae, imo bonæ ac optimæ, cujusmodi Scriptura sacra est, ob nonnullorum aut plurium etiam abusum; ast certum pariter est, interdum expedire ipsius usus remotionem, si quidem id rerum adjuncta postulent. Hoc enim vel ipsa regiminum civilium agendi ratio evidenter confirmat. Cum itaque Ecclesia, omnibus mature perpensis, judicaverit, ad tollendos abusus necessariam fuisse ipsius usus coërcitionem, non est quod ulterius quaeramus.

330. Ad 5<sup>m</sup>, *Dist.* Scriptura hanc lectionem commendat quoad eos, qui rite dispositi fructum et utilitatem percipere possint, *conc.*; absque debita ab Ecclesia subjectione, *neg.* Profecto Petrus eam non commendat in ordine ad eos, qui epistolas Pauli ac ceteras Scripturas depravabant ad suam ipsorum perditionem (1), qui proprie erant *indocti et instabiles*, quos pariter unice arcet Ecclesia ab earum lectione, ne illas depravantes exitium sibi consciscant. Nunquam enim doctos, seu saltem græcam latinamve linguam callentes, legere Scripturas Ecclesia prohibuit. Hinc concidunt, quæ ex Actis apostolicis, Petri ac Pauli monitis objiciuntur, quibus Ecclesia semper obsécuta est (2). Psalmista vero non de speculativa seu theoretica scientia aut scrutatione legis divinæ

(1) II Pet. III, 16.

(2) Cfr. Fontana, op. et loc. cit. in

prop. LXXX, cap. V, col. 714 et seqq.



loquitur, sed de practica illius custodia, ut patet tum ex contextu, tum ex hebraicæ vocis linguarumque affinium, syriacæ et chaldaicæ, vi, in quibus habetur: *custodiunt* (1).

331. Ad 6<sup>m</sup>, *Dist.* Juxta disciplinam illorum ætate vigentem, *conc.*; secus, *neg.* Diversa rerum adjuncta diversam disciplinam exposcunt. Si ætate hac nostra illi ipsi viverent Patres, in tanta videlicet versionum vulgarium colluvie, quæ ab hæreticis vitiatæ sunt, in tanta plurimorum hominum levitate et arrogantia, qui velut judices insurrexerunt adversus Ecclesiam, in tanta demum hæreticorum vafritie, qui adulteratis hisce versionibus insidiantur quotidie fidelibus, post tot Ecclesiæ ac Rom. Pontificum decreta ad amolienda ejusmodi pericula, profecto Patres, pro amore quo flagrabant erga catholicam fidem, alia prorsus ratione et scriberent et loquerentur (2).

332. Hac ratione optime inter se componuntur S. Clemens I et Clemens XI. Uterque studebat fidelium utilitati, sed diversa ratione, quia media, quæ idonea fuerunt primis Christianis sub Clemente I, non solum inepta, immo vero perniciosa evaserunt sub Clemente XI, non quidem in se, sed respectu fidelium, ob adjuncta paulo ante commemorata. Utrique propterea parendum erat, ut filios decet morem genere parentibus, diverso tempore diversa præcipientibus.

333. Ad 7<sup>m</sup>, *Neg.* Ad prob. *Dist.* Minus idoneæ sunt mulieres

(1) Cfr. Polyglotta Walton, in quibus hebraica vis exponitur per *Custodes*, nempe mandatorum Dei, et in versione syriaca exponitur per *conservant*, est enim נִצְרִי particip. in statu constructo. Cfr. etiam Tirinus in hunc Psalmum.

(2) Cfr. Petrus Lizetius, in opusc. *De sacris Libris in vulgare eloquium minime vertendis*; quod pariter extat in cit. *Collect. auctorum S. Scripturæ vulgares translationes damnantium*, pag. 27; necnon Aloysius Mozzi S. J.

in op. *Il falso discepolo di S. Agostino convinto di errore*, Venezia 1779, part. 1, cap. 2. Item P. Cherubinus a S. Joseph, in proluxa dissert. xv, *Circa versionum vernacularum lectionem omnibus indifferenter permissam ac debitam*, in *Apparatus biblici*, tom. iv, pag. 216 et seqq. Sex continet partes, in quibus hæreticorum, Jansenistarum, Arnaldi, præcipue in his quæ opposuit regulæ iv Indicis, aliorumque illorum factorum argumenta discutit ac solvit copiosissime, usque ad pag. 648.

ad hæreses excogitandas, *trans.*; ad eas, ubi semel imbutæ his fuerint, tenacius retinendas ac facilius disseminandas, *neg.* Quamvis enim hæreses foeminæ passim, ut quæ ingenii tenuioris sunt, non primæ excogitent, attamen illis, ubi semel imbutæ fuerint, uti frequens docuit experientia, nihil est ad hæreses promovendas magis idoneum. Prætermisissis siquidem exemplis a S. Hieronymo commemoratis, de Nicolaïtis, Marcionitis, Gnosticis, Montanistis, Arianis, qui constanter foeminis usi sunt ad suos propagandos errores (1), ætate nostra haud pauca suppetunt, quæ aperte ostendunt, quid foeminæ valeant ad errores, quæ semel imbutæ fuerint, pugnaciter animo retinendos disseminandosque. Moniales Portus Regalis nunquam dimoveri potuerunt ab erroribus janse- nianis (2). Quapropter longe difficiliorem se præbet S. Sedes in concedenda facultate contrahendi nuptias cum hæretica, quam cum hæretico viro, quia experimento didicit, frequentius contingere, ut uxor hæretica virum pervertat, quam ipsa ab illo ad fidem catholicam adducatur.

334. Et has quidem difficultates ad abundantiam solvimus, ad vindicandam Ecclesiæ et Rom. Pontificum agendi rationem, quam, hæreticis cogentibus, superioribus annis adoptarunt. Ceterum vix nunc temporis aliqua gens est, quæ Biblia non habeat in vernaculam linguam conversa, iisque non utatur, probantibus, aut saltem non obnitentibus Rom. Pontificibus et Episcopis, quum certiores facti sunt de versionum fidelitate atque congruentibus explanationibus, quæ perversionis periculum amoveatur.

(1) Cfr. in *Epist. cxxxiii, ad Ctesiphontem*, n. 4. edit. Vallars.

(2) Cfr. Francisci Simonis, *De fraudibus hæreticorum*, part. 1, fraude 6. Item lepidæ historiæ, quas refert auctor op. cui tit. *Le véritable esprit des nouveaux disciples de S. Augustin*, Bruxelles 1706, præsertim tom. 1, lettre VII, XI, XVI; tom. II, lett. XVIII, XXIII, XXVIII; tom. III, lett. XXXIV. Etiam Lu-

therus commendavit proselytismum cujusdam foeminæ Agula nuncupatæ, quæ, ut refert Seckendorf, *Comm. de Luth.* lib. 1, § 126, se exhibuit Ingolstadii ad publice ex cathedra disputandum circa Scripturam tum latine tum germanice in favorem Lutheri. Cfr. Audin, *Hist. de la vie de Luther*, tom. 1, pag. 428 et seq.

## SECTIO II.

## DE TRADITIONE.

335. *Traditionis* nomen amplissimam habet significationem; complectitur enim institutum quodvis a primævo aliquo fonte profluens, quod sive scripto, sive viva voce, aut praxi ad posteritatem pervenerit. Exinde partitio traditionis oritur in *scriptam, oralem et practicam*. Hic vero traditionis vocem usurpamus ad doctrinam significandam, quæ aut fidem aut mores aut disciplinam afficit, ac viva voce aut praxi etiam primum transmissa est. Si traditio habeat pro objecto fidem aut mores et a Christo atque ab Apostolis ceu Evangelii præconibus originem ducit, *dogmatica* et *divina* nuncupatur; si autem pro objecto habeat disciplinam, et ab Apostolis, prout fuerunt Ecclesiæ pastores, aut ab Ecclesia repeti debet, *disciplinarius* audit. Res porro disciplinarius diversa ratione proponi cum possit, vel scilicet ut perpetuo vigeat, vel ut ab tempus, tum etiam vel per modum præcepti, vel per modum consilii, tum denique vel ut vim habeat in peculiaribus locis vel ut in Ecclesia universa, exinde receptæ ac tritæ sunt apud theologos disciplinarius hujus traditionis multiplices divisiones. Nam ratione *auctorum*, vel apostolica vel ecclesiastica ab iis nuncupatur; ratione *durationis*, perpetua aut temporalis; ratione *obligationis*, præcepti aut consilii; ratione demum *loci*, localis aut universalis (1).

336. Controversia, quæ Catholicos inter ac Protestantibus fervet, circa traditiones dogmaticas seu divinas versatur. Quamvis enim

(1) Ut hæc exemplis illustremus, ad traditionem apostolicam pertinet disciplina circa ritum administrandi Baptismum per immersionem, circa observationem dominicæ diei substitutæ sabbato, jejunium quadragesimale, permixtionem aquæ cum vino in calice offerendo, quæ etiam per modum præcepti, et qui-

dem *perpetui* ac universalis constituta sunt, si primum excipias; *temporalis* habetur exemplum in præcepto de abstinencia a sanguine et suffocato; per modum *consilii*, ut professio cælibatus; ecclesiastica et localis traditio habenda est observatio ex. gr. jejunii in sabbato, quæ olim Romæ obtinebat.



fateantur Protestantes, eodem pietatis sensu, quo prosequimur Scripturas, excipiendas ac venerandas esse ejusmodi traditiones, si existerent, inficiantur tamen illarum existentiam (1). Nam pro certo assumunt, quæcumque ad fidem ac salutem necessaria sunt, sacris fuisse Litteris consignata; cetera vero, quæ scripta haud sunt, veluti adiaphora saltem spectant.

337. Priusquam ulterius progrediamur, præmittere debemus, secernendam sedulo esse *traditionem* a *mediis*, quibus traditio illa primæva dogmatica et divina ad nos usque pervenit, et quorum ope eam cognoscimus. Prout enim traditionis existentia articulum fidei constituit, ex sola Ecclesiæ auctoritate, uti de Scripturis diximus, pendet, quæ integrum fidei depositum a Christo accepit; ejusque auctoritati velut regulæ fidei proximæ innitimur, dum et hunc articulum profiteamur; ac deinceps eadem traditione utimur uti fidei regula remota ac partiali ad reliqua dogmata probanda, quæ per eam accepimus. Prout igitur theologi munus ac partes sustinemus, investigamus et in fundamenta, quibus innixa Ecclesia decernit admittendas traditiones esse, et in media, per quæ traditiones, de quibus loquimur, ad nos profluxerunt, quibusque nobis innotuerunt, ut eas adstruamus adversus Protestantes... Comperimus autem, plura hæc fuisse, imo et esse sive generalia sive particularia, quæ deinceps enumerabimus. Ex his enim mediis ceu totidem quasi canalibus aut rivulis aquam, ut ita loquamur, primævæ traditionis divinæ haurimus ac derivamus.

338. Hæc propterea methodus erit, quam hac in quæstione consecrabitur, ut prius vindicemus necessitatem et existentiam divinæ traditionis; deinde investigemus media, per quæ traditio

(1) Cfr. Bellarm. *De verbo Dei*, lib. iv, cap. 2, et Walenburgici, tract. vi, *De testimoniis seu de traditionibus*, cap. 3. Quare non abhorrent novatores a definitione Concilii Tridentini, qua anathema dicitur iis, qui traditiones Christi ipsius, ore ab Apostolis acceptas, vel ab ipsis Apostolis, Spi-

ritu S. dictante, quasi per manus traditas, scienter contemnerent, dummodo a quæstione *facti* abstraheretur. Etenim ipsi non *jus* sed *factum* inficiantur, existentiam scilicet negant traditionum de iis, quæ ad fidem moresque pertineant, quæque in Scripturis non continentur.

ad nos pervenit, sive hæc generalia sint sive peculiaria. In tria proinde capita sectionem hanc majoris perspicuitatis gratia dispartiemur.

## CAPUT I.

### DE NECESSITATE ET EXISTENTIA TRADITIONIS.

339. Ut legitimus controversiæ, quæ agitur cum Protestantibus, status dignoscatur, animadvertendum est, ipsos non plane omnes rejicere traditiones, etiam quas divinas ac dogmaticas vocamus. Siquidem ipsi in primis fatentur, ab initio sola traditione orali et practica universam Christi doctrinam in Ecclesia viguisse, cum haud ignorent, divinos libros serius esse conscriptos (1). Distinguunt prætera duplicem traditionis speciem, etiam postquam sacrorum Librorum completus est numerus, traditionem videlicet, quam *inhæсивam* vocant, ac traditionem, quam *declarativam* appellare consueverunt. Inhæсива ab ipsis dicitur, quæ dogmata ipsa eadem tradit, quæ in sacris Litteris continentur. Nam dogmata, quæ sacra Scriptura exhibet, etiam ex communi fidelium sensu innotescunt, qui propterea adhiberi in confirmationem potest veritatis, non quod ille solus sufficiat, sed quod testimonium perhibere queat dogmati in canonicis libris expresso (2). Declarativa vero est, quæ disertius explanat, quod

(1) Hoc fatetur vel ipse Shuttleworth, rector novi collegii Oxoniensis, in op. *Not tradition, but Scripture*, seu : *Non traditio, sed Scriptura*, edit. 2<sup>a</sup> Lond. 1839, pag. 20, aliique admittunt, apud Esslinger in opusc. sæpe allegato : *Apologie de la religion catholique par des auteurs protestants*, etc. § 2, ubi *De Traditione*.

(2) Hujus rei exemplum ponunt in dogmate de Christi resurrectione, quod non solum ex sacris Litteris, verum etiam ex communi constat fidelium sen-

su, adeo ut, si Scriptura periret, hoc dogma ex sola etiam traditione innotesceret. Hinc factum est, ut Ecclesia non sola Scriptura, sed communi quoque fidelium sensu dogmata adstrueret. Nescio, an Straussius, qui resurrectionem Christi ad mythos relegat, huic principio acquiesceret. Ceterum Moëhler, in *Symbolique*, tom. II, § 38, apte hanc traditionem *subjectivam* appellat. Javerit ejus verba afferre, quæ hoc argumentum mirifice illustrent : *Ce sentiment commun*, ait ipse, *cette con-*

sacræ litteræ breviter aut minus perspicue docent (1). Hæc traditio declarativa in eo ab inhæsiva discriminatur, quod ista non doceat nisi ipsissima dogmata, quæ sunt in Scripturis expressa, illa vero sit uberior eorundem expositio, quæ in illis minus perspicue continentur. Jam vero novatores utramque hanc traditionis speciem admittere non abnuunt, cum demum in auctoritatem Scripturæ resolvatur, ac subsidio tantum nobis esse possit ad dogmata in Scripturis tradita melius cognoscenda. Respuunt igitur traditionem a verbo Dei scripto *distinctam*, nullamque vim esse contendunt traditioni *per se* inspectæ, et a sacris Litteris separatæ. Immo eam spectant veluti originem præcipuam fœcundamque totius corruptelæ, quæ juxta ipsos Romanam sive catholicam Ecclesiam coinquinat (2).

340. Dum itaque necessitatem et existentiam divinæ dogmaticæ traditionis adstruimus, de illa disserimus, quæ distincta est a verbo Dei scripto, eamque propugnamus ex mente Concilii Tridentini, quod declaravit, doctrinam catholicam contineri non solum in libris scriptis, sed *et sine scripto traditionibus, quæ ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt* (3); ac deinde anathema in eum dixit, *qui traditiones prædictas sciens et prudens contempserit* (4). Sit igitur

*science de l'Eglise est la tradition dans le sens subjectif du mot. Qu'est-ce donc la tradition considérée sous ce point de vue? C'est le sens chrétien existant dans l'Eglise et transmis par l'Eglise; sens, toutefois, qu'on ne peut séparer des vérités qu'il contient, puisqu'il est formé de ces vérités, et par ces vérités: en un mot, la tradition, c'est la parole de Dieu vivant éternellement dans le cœur des fidèles. C'est à ce sens catholique qu'est confiée l'interprétation de l'Écriture sainte; l'explication donnée par lui forme le jugement de l'Eglise; et voilà pourquoi*

*celle-ci est juge en matière de foi (judez controversiarum).*

(1) Exemplo sit traditio de reali Christi præsentia in Eucharistia, qua eorum verborum: *Hoc est Corpus meum*, sensus exponitur et determinatur; traditio item de Eucharistia parvulis non necessaria, quæ verba Christi, Joan. vi, *Nisi manducaveritis*, etc. ad solos adultos coarctat, et ita porro.

(2) Inter quos eminet Shuttleworth, cujus verba postea afferemus.

(3) Sess. iv.

(4) Ibid.



## PROPOSITIO.

*Præter sacram Scripturam admitti necessario debent traditiones divinæ dogmaticæ ab illa plane distinctæ.*

341. Complexi sumus in propositionis enunciatione traditionum divinarum ac dogmaticarum *necessitatem et existentiam*, cum ab invicem sejungi nequeant, ac probationes utrumqueificent. Adjecimus autem vocem *dogmaticæ* ad præcludendum illorum Protestantium effugiam, qui, etsi fateantur, non omnia in sacris Litteris, quæ Christus et Apostoli Spiritu Sancto inspirante docuerunt, contineri, contendunt tamen, ea, quæ sacris Libris non includuntur, adiaphora esse, minimeque ad salutem necessaria (1). Subjuximus præterea, admittendas ejusmodi traditiones *a Scriptura plane distinctas*, ad excludenda relata eorundem placita circa traditiones mere *inhæсивas* ac *declarativas*. Quibus ita dispositis, sic accedimus ad assertæ propositionis veritatem vindicandam.

342. Præter Scripturas necessario admitti traditiones divinæ ac dogmaticæ debent ab illis plane distinctæ, si absque ejusmodi traditionibus nobis constare nequeat fide divina, tum de numero, tum de canonicitate divinaque sacrorum Librorum inspiratione, aut de dogmatico legitimoque eorundem sensu, tum de pluribus aliis articulis fidei, quos nobiscum Protestantes profitentur; si talis præterea constans fuit totius antiquitatis sensus; si id demum natura ipsa rei postulat, haud paucis ipsis doctioribus Protestan-

(1) Cum autem vel ipsi intelligerent, litem moveri posse de legitimo Scripturarum sensu, ut huic incommodo occurrerent Protestantes, distinxerunt alii inter dogmata *pragmatica et fundamentalia* religionis christianæ, et *secundaria* ac inferiora pragmaticis; priora dixerunt clarissime sacris in Litteris exprimi, posteriora vero affirmarunt secundum regulas interpretationis logicæ ex sacris Litteris erui *posse*. Qua in re

non multum abhorrent a traditione *declarativa*, non ut per ipsam dogma adstruamus, sed ut illa utamur tamquam subsidio ad conclusionem ex sacris Litteris eruendam. Si vero supersit in legitimo Scripturæ sensu eruendo aliqua obscuritas, sinunt quempiam abundare in sensu suo, cum autem, ad fidei unitatem sufficere eam, quam vocant, fidei concordiam in articulis fundamentalibus atque pragmaticis.

tibus assentientibus. Atqui ita se res habet. Sic porro per partes minorem propositi argumenti ostendimus.

343. Ac 1<sup>o</sup> quidem Protestantes nobiscum sacros Libros admittunt, eosque uti divinitus inspiratos et canonicos habent (1), immo vero unicum fundamentum ac regulam credendorum agendorumque adæquatam illos esse contendunt. Porro fieri omnino nequit, ut sine divinis traditionibus certo ipsis ac fide divina constet, quinam determinate sint ejusmodi libri, atque utrum fuerint nec ne divino Spiritu afflante conscripti, cum neutrum in ipsis libris contineatur; et, si alicubi utrumque affirmaretur, nodus quæstionis nondum solutus esset, cum et de hoc ipso libro quæri semper merito possit, unde certa fide constet, eum tum sacrum tum divinum esse. Huic enim defectui suppleri nequit sive ope critices, sine aliis quibusvis humanis adminiculis, ut suo ostendimus loco (2); cum humana quævis auctoritas nunquam fidem divinam pariat, quæ nulli errandi formidini subjaceat; ut patet ex fluctibus, quibus quovis tempore Protestantes etiam circa hunc articulum agitati sunt, et nunc maxime agitantur. Verumtamen hic agitur de fidei ipsius principio fundamentali et unico juxta Protestantes (3).

344. 2<sup>o</sup> Sed nec minus necessariæ sunt traditiones divinæ ad sensum sacrorum Librorum dogmaticum determinandum.

(1) Loquimur, ut patet, de Protestantibus, quos orthodoxos vocant, seu de iis, qui adhuc symbolismo adhærent; siquidem de aliis, quid sentiant, diximus.

(2) Sect. I, cap. I, propp. I et II, t. VIII.

(3) Sane Newman, in op. *Lectures on the prophetic office of the church viewed relatively to Romanism and popular protestantism*, seu *Lectiones de officio prophetico Ecclesiæ spectato in ordine ad romanismum et ad protestantismum*, Lond. 1837: *Omnes sectæ*, scribit, lect. I, pag. 32 et seqq.

*nobiscum (anglicanis) conveniunt, ac differunt a romanensibus, in spectandis Bibliis veluti vexillum appellationis in inquisitionibus doctrinalibus, quamvis unaquæque diversam viam ineat in materia fidei. Hinc controversia inter Protestantes facilior est, quoniam ad Biblia revocatur, circa quæ quilibet disputare potest; sed non est certior, quia duo non inveniuntur, qui secum collineent quoad interpretationem Bibliorum, quoniam unusquisque interpretatur ea modo suo.*

Scriptura enim, ut paulo ante ostendimus (1), obscura in quampluribus locis est, etiam in iis, ex quibus fidei veritates pendunt (2). Nisi proinde in subsidium advocetur divina traditio, nihil unquam certi constabit, controversiæ indesinenter vivent, et unusquisque post inanes conatus in sensu suo abundabit, quin possit tum sibi tum ceteris certitudinem comparare. Talis est causa, quare Sociniani, Methodistæ, rationalistæ, mythici tot inter Protestantes nacti fuerint sectatores, cum nulla ipsis reliqua via sit, divinis neglectis traditionibus, evadendi ab illorum argumentis, nec eos unquam convictos ad silentium possint adigere (3). Quod vero hic de dogmatibus Trinitatis, Incarnationis et satisfactionis affirmatur, de dogmatibus reliquis dici eodem jure debet; cum nulla certa firmaque subsistere queant, nutabitque undique fides nostra, atque reipsa erit, ut ait S. Basilius, *sine traditionibus non scriptis Evangelium purum nomen* (4).

(1) Sect. I, cap. III, prop. I.

(2) Afferamus iterum, quæ ibid. prosequitur Newman: *Biblia, inquit, ea ratione scripta non sunt, ut cogant lectorem ad eorum sensum assequendum: Quæ non reperiuntur sectæ protestantes, quæ conveniant in determinanda interpretatione, quæ acceptari debeat; atque in hoc casu quælibet suapte propriam præfert interpretationem, propriam doctrinam, propriam linguam, propriam revelationem. Quo fit ut viri acuto ingenio præditi viderint, ideam ipsam elementarem, quod Biblia sine notis aut commentariis sint solus judex auctoritativus in fidei controversiis, principium esse in se destructivum, ac practice involvere conclusionem, quod disputatio sit sinula et desperata et inutilis, imo et absurda. Exinde ostendit, quomodo ex ejusmodi principio saltem practice proveniat dubium generale, libertas illimitata cre-*

dendi quidquid libuerit, ac vix tenendi divinitatem Bibliorum, pag. 34, 35.

(3) Sane Protestantismus in Anglia et in America quotidie diffluit, ac prorecta aut prava animi dispositione plerique ex illius sectatoribus aut ad fidem catholicam se recipiant, aut ad unitarismum seu socinianismum declinant, aut, ut in Germania potissimum contingit, in rationalismum ac mythicismum ruunt.

(4) Lib. *De Spiritu Sancto*, cap. XXVII, n. 66. En ejus verba: *Εἰ γὰρ ἐπιχειρήσαιμεν τὰ ἄγραφα τῶν ἐθνῶν ὡς μὴ μεγάλην ἔχοντα τὴν δύναμιν παραιτεῖσθαι, λάθοιμεν ἂν εἰς αὐτὰ τὰ καιρία ζημιούντες τὸ εὐαγγέλιον μαλλον δὲ εἰς ὄνομα ψιλὸν περιστάωντες τὸ κήρυγμα.* Id est, *Si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tanquam haud multum habentes momenti aggrediamur rejicere, imprudentes Evangelium in ipsis rebus præcipuis lædemus, imo potius*



345. 3<sup>o</sup> Haud pauca insuper dogmata nobiscum admittunt Protestantes, de quibus silent prorsus aut vix aliquid obscure innuunt Litteræ sacræ. Ejusmodi est Baptismi valor ab hæreticis aut ab infidelibus administrati; item valor pædobaptismi, quem frustra absque traditionum divinarum subsidio adversus anabaptistas propugnare adnisi sunt Protestantes; idem dic de ejusdem Sacramenti forma (1), de cessatione legis quoad abstinentiam a sanguine et suffocato, de dominico die diei sabbati substituto, aliisque non paucis (2).

346. 4<sup>o</sup> Hunc porro semper fuisse totius sacræ antiquitatis sensum in agnoscenda necessitate ac existentia divinarum traditionum, luculenter evincitur et ex Patrum effatis et ex eorum agendi ratione per secula singula.

347. Primo enim seculo divinarum traditionum assertores habemus Ignatium, Hegesippum ac Polycarpum. S. Ignatius, Eusebio teste, adhortabatur fideles, *ut sibi a pravīs hæreticorum opinionibus caverent... hortatusque est, ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhærerent* (3). Hegesippus vero, eodem Eusebio referente, apostolicas traditiones quinque libris comprehendit (4). S. Polycarpus apud eundem verba referebat, quæ dicta a Domino ab Apostolis ipse audierat, et de virtutibus ejus et doctrina (5).

348. Secundo seculo divinas et apostolicas traditiones commendat S. Irenæus, præclarissime scribens: *Traditionem Apostolorum, in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest*

*prædicationem ad nudum nomen contrahemus.* Edit. Maur. opp. tom. III, pag. 54.

(1) Etenim Christus jussit quidem baptizare in nomine Patris, etc., verum hæc vaga nimis sunt, neque ex illa Christi jussione colligi per se potest, utrum verba adhiberi debeant in collatione Baptismi.

(2) Cfr. Card. Du Perron, *Discours sur l'autorité et la nécessité des Tra-*

*ditions apostoliques*, edit. Paris. tom. I, pag. 522 et seqq. ubi plures articulos enumerat ad fidem spectantes, quique nonnisi ex traditione ad nos pervenerunt.

(3) Ἐν πρώτοις μάλιστα προφυλάττεισθαι τὰς αἰρίσεις... Προὔτρεπέ τε ἀπρίξ ἔχουσθαι τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως... *Hist. eccles.* lib. III, cap. 36, edit. Vales.

(4) Ibid. lib. IV, cap. 22.

(5) Ibid. lib. IV, cap. 14.

*respicere omnibus, qui vera velint videre* (1). Cum vero hæretici nescio quas arcanas traditiones jactarent, traditionem eis opponit publicamque doctrinam ab universa Ecclesia receptam. Subdit siquidem : *Hæc (Ecclesia) est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt et latrones; propter quod oportet devitare quidem illos; quæ autem sunt Ecclesiæ, cum summa diligentia diligere, et apprehendere veritatis traditionem. Quid enim? Et si de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conversati sunt, et ab eis de præsentis quæstione sumere, quod certum et re liquidum est? Quid autem si neque Apostoli quidem Scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multæ gentes barbarorum, eorum qui in Christum credunt sine charta et atramento, scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem, et veterem traditionem diligenter custodientes, in unum Deum credentes fabricatorem cæli et terræ et omnium, quæ in eis sunt, per Christum Jesum Dei filium* (2). Nec minus luculenter Tertullianus sub finem ejusdem seculi traditiones commendat, cujus liber *De præscriptionibus* totus de hoc argumento est, in eo enim provocat hæreticos omnes ad doctrinam, quæ in Ecclesia ante ipsos prædicabatur (3).

349. Seculo tertio Clemens Alex. loquens de hæreticis : *Gloriæ, inquit, tenentur desiderio, qui ea, quæ conveniunt sermonibus divinitus inspiratis, tradita a beatis Apostolis et magistris, voluntarie eludunt, per alias argumentationes, humanis doctrinis resistentes divinæ traditioni, ut hæresim constituent* (4).

(1) *Cont. hæres.* lib. III, cap. 3.

(2) *Ibib.* cap. 4, n. 1 et 2.

(3) Cfr. potissimum capp. 19, 20, 21, 22. Longum nimis esset hic omnia referre, quæ invictissime hoc de argumento adversus hæreticos sui temporis scripsit Tertullianus, quæque mutatis nominibus apprime hæreticis nostri

temporis conveniunt. Cfr. etiam idem, in lib. *De corona*, cap. 3 et 4.

(4) Δίξῃς ἐπιθυμοῦσιν, ὅσοι τὰ προσφυῆ τοῖς θεοπνεύστοις λόγοις ὑπὸ τῶν μακαρίων ἀποστόλων τε καὶ διδασκάλων παραδιδόμενα, ἐκόντες εἶναι σοφίζονται, δι' ἐτέρων παρεγχειρήσεων ἀνθρωπίαις διδασκαλίαις ἐνιστάμενοι θεῖα παραδόσει

Eodem seculo Origenes Clementis discipulus, certam volens regulam assignare ad discernendam veritatem, provocat discrepantes sectas ad prædicationem : *Cum multi sint, scribit, qui se putant sentire, quæ Christi sunt, et nonnulli eorum diversa a prioribus sentiant, servetur vero ecclesiastica prædicatione per successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad præsens in Ecclesiis permanens : illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab ecclesiastica et apostolica discordat traditione* (1). Et iterum : *Ecclesia ab Apostolis traditionem suscepit etiam parvulis Baptismum dare* (2). S. Cyprianus : *Admonitos, inquit, nos scias, ut in calice offerendo Dominica traditio servetur, neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit, ut calix, qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur* (3).

350. Seculo quarto nobis sese offerunt divinarum traditionum assertores Eusebius Cæsariensis, Epiphanius, Basilius, Joan. Chrysostomus, Ambrosius et Hieronymus. Sane Eusebius cum dixisset, Christum in hominum mentibus doctrinam suam descripsisse, subdit : *Ejus vero discipuli... partim litteris, partim sine litteris quasi jure quodam non scripto servanda commendarunt* (4). Epiphanius vero : *Traditione quoque, inquit, opus est. Neque enim ex Scripturis peti possunt omnia. Idcirco*

ὑπὲρ τοῦ τῆν αἴρεσιν συστήσασθαι. *Strom.* lib. VII, cap. 16, edit. Potterii, Venet. tom. II, pag. 896. Integrum caput de hoc argumento est.

(1) Præf. in libr. I. Περὶ ἀρχῶν seu *De principiis* n. 2, edit. Maur. tom. I, pag. 47.

(2) *Comment. in epist. ad Rom.* lib. V, in cap. VI, opp. edit. Paris. 1572, pag. 352.

(3) *Epist. LXIII. ad Cæcil.* edit. Maur. p. 104.

(4) Οἱ δὲ γε αὐτοῦ μαθηταί..... τὰ μὲν διὰ γραμμάτων, τὰ δὲ δι' ἀγράφων

φων θεσμῶν φυλάττειν παρδίδδσαν. *Demonst. evang.* lib. I, cap. 8, edit. Paris. 1638, pag. 29. Ac rursus *Cont. Marcellum Ancyrat.* lib. I, cap. I, mirifice traditionem Ecclesiæ catholicæ extollit quæ a fine ad finem terrarum diffunditur, quæ per non scriptam traditionem sacrarum Scripturarum testimonia confirmat et obsignat. Τῆς ἀπὸ περάτων γῆς ἕως περάτων καθολικῆς Ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ, τὰς ἀπὸ τῶν θείων γραφῶν μαρτυρίας, ἐξ ἀγράφου παραδοσίας, ἐπισφραγιζομένης. *Ibid.* pag. 9 secundæ part. ejusdem volum.



*alia scripto, traditione alia sanctissimi Apostoli reliquerunt. Quod ipsum ita Paulus affirmat : Quemadmodum tradidi vobis (1). S. Basilius hæc præclare in rem nostram pariter scribit : Ex asservatis in Ecclesia dogmatibus alia quidem habemus e doctrina scripto prodita, alia vero nobis in mysterio tradita recepimus ex traditione apostolica ; quorum utraque vim eandem habent ad pietatem (2). S. autem Joan. Chrysostomus, explanans illud Apostoli : Tenete traditiones, etc. ait : Hinc est perspicuum, quod non omnia tradiderint (Apostoli) per epistolam, sed multa etiam sine scriptis, et ea quoque sunt fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus esse fide dignam. Est traditio ; nihil quæras amplius (3). Et hæc attulisse sufficiat. Reliqua enim testimonia, quæ ex Cyrillo Hierosolymit., ex utroque Gregorio, Nazianzeno et Nysseno, Ambrosio, Hieronymo, afferri possent, recoli poterunt apud Bellarminum (4).*

351. Ex seculo quinto unum laudamus Augustinum, ne prolixiores simus. Sic porro loquitur S. Doctor : *Illam autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe*

(1) Δεῖ δὲ καὶ παραδόσει κεχρησθαι. οὐ γὰρ πάντα ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς δύναται λαμβάνεσθαι· διὸ τὰ μὲν ἐν γραφαῖς, τὰ δὲ ἐν παραδόσει παρίδωκαν οἱ ἅγιοι ἀπόστολοι· ὡς φησὶν ὁ ἅγιος Ἀποστολος, ὡς παρίδωκα ὑμῖν. *Hæreses.* lxi, edit. Petav. cap. vi, quæ est *Apostolicorum*. Sic enim veteres hæretici se *apostolicos* dicebant, uti recentiores se *evangelicos* nuncupare gloriantur. Sed num arbitrariæ appellationes poterunt rerum immutare naturam ?

(2) Τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογματῶν καὶ κερυγματῶν, τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν ἀποστόλων παραδόσεως διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδέξαμεθα· ἅπερ ἀμφοτέρω τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχει πρὸς τὴν εὐσέβειαν. *Lib. De Spiritu*

*Sancto*, cap. 27, n. 66, edit. Maur. tom. iii, pag. 54.

(3) Ἐνεῦθεν δῆλον ὅτι οὐ πάντα δι' ἐπιτολῆς παρεδίδοσαν, ἀλλὰ πολλὰ καὶ ἄγράφως· ὁμοίως δὲ καὶ γένηται, καὶ ταῦτα ἴστιν ἀξιοπίστα· ὅστε καὶ τὴν παράδοσιν τῆς ἐκκλησίας ἀξιοπίστον ἠγάμεθα. *Παράδοσις ἴστι, μηδὲν πλέον ζήτει. Hom. iv, in II ad Thessal.* n. 2, edit. Maur. tom. xi, pag. 532.

(4) *De verbo Dei*, lib. iv, cap. 7. Cfr. item Walemburgici, tract. cit. *De testimoniis seu traditionibus*, ubi accurate singulorum Patrum testimonia expendunt, cap. 6 ; nec non Gretzerus, in op. *Defensio operum Bellarmini*, edit. Ratisbon. tom. viii, pag. 838 et seqq. *Defensio capituli vii, libri iv, De verbo Dei.*

*servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis... commendata atque statuta retineri* (1); et alibi passim (2). Quod spectat ad secula insequentia, nec adversarii diffitentur, hanc de divinis traditionibus doctrinam obtinuisse (3).

352. Verum non solum verbis, sed et factis pia antiquitas commune principium de traditione uti fidei regula patefecit. Ostenditur id apertissime ex Patrum omnium provocationibus ad receptam in Ecclesia doctrinam, ut hæreticorum doctrinas refellerent (4), atque ex regula, quam constanter Synodi œcumenicæ secutæ sunt, dum dogmaticas definitiones insurgentibus hæresibus opposuerunt. Inter quas Nicæna Synodus eminet, quæ sic Arianos refellit: *Ecce nos quidem a Patribus ad Patres per manus traditam fuisse hanc regulam demonstravimus* (5). Eandem regulam sectantur Synodus Ephesina (6), Chalcedonensis (7), aliæque omnes ad Tridentinam usque, ut silentio prætereamus Synodos particulares, sive nationales, sive provinciales.

353. 5º Naturam insuper rei, de qua agimus, traditionem veluti alteram fidei regulam postulare, patet 1º ex eo quod Christus et Apostoli doctrinam suam viva voce tradiderint. Quamvis vero Apostoli data opportunitate atque a Spiritu Sancto excitati scripta ediderint, nisi evincant adversarii totam plane doctrinam dogmaticam in illis complexos eos fuisse, nihil proficiunt. Jam vero hoc ostendere impossibile ipsis prorsus est, cum nusquam id habeatur; quin potius contrarium hæc eadem Apostolorum

(1) *Epist. LIV, ad Januar. n. 1.*

(2) Præsertim *De Bapt. cont. Donatist. lib. v, cap. 23, n. 31*, ubi scribit: *Sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, et ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur.*

(3) Uti Shuttleworth, cujus verba paulo infra referemus.

(4) Hoc argumentum egregie evolvit Moëhler, in cit. *Symbolique*, tom. II, § 29.

(5) Ἴδου ἡμεῖς μὲν ἐκ πατέρων εἰς πατέρας διαβιβηκέναι τὴν τοιαύτην διὰ νοιαν ἀποδεικνύομεν. Apud S. Athanas. in *Epist. de decretis Nicænae Synodi*, n. 27, t. 1, p. 233, et ibid. in append. *Fides in Synodo edita*. Cfr. quoque Theodoretus, *Hist. eccles. lib. 1, cap. 3*, edit. Cantabrig. pag. 30.

(6) Cfr. *Acta Conc. Harduini tom. II, col. 1354*, et seqq.

(7) *Ibid. tom. III, col. 450* et seqq.

ac discipulorum scripta supponunt, immo vero declarant. Etenim Apostolus, I Cor. XI, 2, sic ad fideles scribit: *Laudo vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et, sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Et II Thess. II, 14: *State, inquit, et tenete traditiones, quas dedicistis sive per sermonem sive per epistolam nostram.* Qui iterum ita informat Timotheum, quem præfecerat Ecclesiæ Ephesinæ: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates* ( I Timoth. VI, 20 ). *Quæ audisti a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere* ( II Timoth. II, 2 ). Eadem habet Joannes, qui his verbis epistolam suam II absolvit: *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam et atramentum; spero enim, me futurum apud vos, et os ad os loqui* ( v. 12 ). Iisdem pene verbis concludit epistolam III. Idem insinuat, imo declarat in Evangelio, quod postremum est Apostolorum scriptum, cap. XX, 30, 31, et cap. XXI, 25. Patet 2º ex eo, quod omnis bene instituta respublica, ut ait Tullius, non tam lege scripta, quam non scripta, traditione nempe et consuetudine gubernetur, eo magis quod lex, utut perspicue exposita fuerit, in varios sensus facile trahitur, nec nisi consuetudine traditioneque, tanquam viva ac loquente voce, recta ac legitima mutæ per se ac veluti mortuæ Scripturæ interpretatio in republica constat ac conservatur. Exinde enim illa oritur traditio *subjectiva* seu sensus traditionalis, quo unaquæque societas ab alia discernitur, et in casu nostro sensum patefacit non solum Scripturæ, verum etiam traditionis *objectivæ*, de qua disserimus (1).

(1) Cfr. etiam hoc de argumento circa traditionum vim apud Hebræos, De Voisin, *Observations ad præmium Pugionis fidei Ray. Martini*, §6, edit. Carpvovii, a pag. 6 ad 190. Nec non Moehler, op. cit. tom. II, §38, pag. 40, ubi sic in rem nostram inter cetera scribit: *Au surplus, quand notre divin Sauveur établit l'Église, son organe*

*permanent, il ne fit que sanctionner une loi constante de l'ordre moral. Chaque nation porte un caractère distinctif. Enraciné profondément, ce type est empreint, dans la vie publique comme dans la vie privée, dans les lois comme dans le langage, dans les sciences comme dans les arts; ce type, en un mot, sépare tout un peuple de*



354. 6<sup>o</sup> Demum idipsum agnovisse doctiores Protestantés, manifestum est; ut enim antiquiores omittamus, Pearsonium (1), Grabium (2), aliosque non paucos, qui intentatum nihil reliquerunt, ut suos adigerent ad traditiones admittendas (3), nec non Grotium, Thomam Smith, Jac. Basnagium, aliosque plures (quorum testimonia fuse refert Benedictus Bachinus (4), qui Christum ipsum et Apostolos identidem traditionibus Judæorum alluisse fatentur, quod pluribus exemplis ostendit Richardus Simonius (5), satis nobis erit unum aut alterum ex recentioribus in medium

*tout autre peuple. C'est le génie tutélaire, l'esprit régulateur qui fut légué des pères aux enfans; c'est ici le souffle vivifiant de tout le corps.*

(1) Cfr. ejus *Vindiciæ epistolar. S. Ignatii*, apud Cotelierium, *Patr. Apostol.* tom. ii, pag. 238 et seqq.

(2) Tam *In Spicilegio SS. Patrum et hæreticorum* I, II et III seculi, Oxon. 1714, tum in edit. S. Irenæi.

(3) In *Adnotatis ad consultation. Cassandri, Opp. theolog.* edit. cit. tom. III, pag. 628, et alibi passim ibid.

(4) In *Epist. Polemicis*, tom. I, epist. II, § 12.

(5) *Histoire critique du texte du Nouveau-Testam.* Rotterdam 1689. His plures alii adjici possent; cujusmodi sunt Scrivenerus, Jewel, Thorndyke, Collier, Sam. Parker, Bramhal, Dodwel, Waterland, Breveridge, Haremburg, Jarvis, etc. apud Grégoire, *Hist. des sectes*, tom. IV, pag. 432 et seqq. Klüpfel allegat alios auctores protestantes, qui adstruunt traditiones, in op. *Institut. theolog. dogmaticæ*, Viennæ 1807, tom. I, pag. 85. Johnes Hugues, in sua edit. librorum S. Joan. Chrysostomi, *De sacerdotio*, Cantabrigiæ 1712, ad traditionem confugit,

ut adstruat adversus presbyterianos præminentiam Episcoporum supra Presbyteros, illorumque necessitatem; quod etiam præstitere alii auctores anglicani. Bullas innititur traditioni, ut adstruat consubstantialitatem filii, in sua *Defensione fidei Nicenæ*, et in peculiari *Tractatu de divinitate J. C.* adversus Dan. Zuickerum, eumque inscripsit: *Primitiva et apostolica traditio dogmatis in Ecclesia catholica recepti de Jesu Christi Servatoris Nostri divinitate.* Item in alio op. *Judicium Ecclesiæ catholicæ trium primorum Ecclesiæ seculorum de necessitate credendi, quod Dominus noster Jesus Christus sit verus Deus, contra Sim. Episcopium aliosque*, Londini 1703, in qua editione accessere *Adnotata* J. E. Grabe. Item Abraham Calovius, Lutheranus prof. Wittemberg. in op. *Scripta Anti-Sociniana*, trib. volum. Ulmæ 1684, traditione impugnat *hæresim illam pestilentissimam*, quam tamen progenuit Protestantismus. Casaubonus, eo quod traditionem magno in pretio habuerit, male audiit apud suos. Cfr. *Perpétuité de la foi*, tom. I, pag. 49, et tom. II, pag. 23.

adducere. Itaque Planck : *Si reformatores, inquit, id omne prævidissent, quod includebatur in illo principio, quod Biblia sint fons unicus fidei, omnesque magni hujus principii consecutiones, supra quod Lutherus statuit systema suum, tam illi quam Lutherus maluissent ei renunciare* (1). Munscher vero scribit : *Patet ex omnibus disquisitionibus, quas hactenus fecimus, Protestantes, dum se adversus traditiones declarant, non habere pro se impartiale testimonium historiæ. Ecclesia catholica jure merito affirmat, traditionem magnam auctoritatem penes primos habuisse fideles* (2). Delbruck, professor Bonnen-sis : *Paucis, inquit, qui per solum Scripturæ textum in ultima analysi determinare fidem contendit, eam talem efficere nititur, qualis et juxta naturam suam esse non potest, et juxta Domini intentionem esse non debet, et, prout ipsamet declarat, esse non vult, et primis christianæ rei aureis temporibus profecto non fuit* (3). Theremin : *Duplex hic scopulus (rationalismi et mysticismi) declinari nequit, nisi fortiter ei inhærendo, quod tanquam veritas divina admissum est primis christianismi temporibus, id est, traditioni Ecclesiæ* (4). Sic alii passim magno numero (5); potissimum vero universitas Oxoniensis, cujus plura membra his annis opera ediderunt ad divinarum traditionum necessitatem et existentiam propugnandam, et quod consequens est, plura jam vi traditionis ipsius dogmata admittunt, quæ non ita pridem veluti pontificia figmenta rejiciebant (6).

355. Quæ cum ita se habeant, jure merito concludimus, necessario divinas traditiones dogmaticas admittendas esse a sacris

(1) In *Historia dogmatis lutherani*, vol. vi, pag. 705.

(2) *Manuale histor. dogmatis*.

(3) In op. *Philippus Melancthon, doctor fidei*, Bonnæ 1826.

(4) *De regno Dei*, Berolini 1823.

(5) Cfr. Esslinger, opusc. cit. *Apolo-gie de la religion catholique*, etc. § 2; Baro de Starck, in *Convivio Theoduli*; Moore, *Voyages d'un jeune homme*

*irlandais*, etc. Paris 1836, pag. 403 et seqq.

(6) Cfr. Wiseman, *Dissertazione sullo stato attuale del Protestantismo in Inghilterra*, Roma 1837. Verum ex eo anno ulterius adhuc anglicani oxonienses progressi sunt, uti jam in prima hujus tractationis parte non uno in loco retulimus.



Litteris plane distinctas, prout demonstrandum assumpsimus, quæ eandem ac Dei verbum scriptum auctoritatem obtinent, utpote ipsum Dei verbum, quod diversa a Scriptura ratione ad nos usque propagatum est.

356. Ne autem difficultatum, quas adhuc nonnulli Protestantes urgere solent adversus divinas, quas vindicavimus traditiones, numero orbruamur, et confusio inde ingeratur, majoris perspicuitatis gratia in classes dispertiemur, easque potissime afferemus, quæ a nuperrimis Protestantibus opponuntur. Ad reliquas enim difficultates quod attinet, præterquam quod non paucae, ut fieri solet, a recentioribus iteratæ sunt impugnationibus, facile apud antiquiores auctores expensæ et disjectæ inveniri poterunt (1).

#### DIFFICULTATES

##### *E Scriptura.*

357. Obj. 1<sup>o</sup> Scriptura sacra traditiones damnat, Matth. XV, 3 et seqq. Marc. VII, 8, ubi Christus pharisæos arguit, quod reliquerint *mandatum Dei propter traditiones hominum*. 2<sup>o</sup> Vetat, quominus aliquid addatur verbo Dei, ut patet ex Deut. IV, 2: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor*; et Apocalyp. XXII, 18: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto*; et Apostolus, Gal. I, 8: *Licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*; qui propterea, ad Coloss. II, 8, his verbis præmuniebat fideles adversus traditiones: *Videte, ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam, secun-*

(1) Præter auctores allegatos consuli possunt Card. Gotti, *La vera chiesa di Cristo dimostrata contro i due libri di Giacomo Picenini*, Bologna 1719, tom. II, par. I, art. 4; Bossuet, *Défense de la Tradition et des Saints-Pères*, opp. cit. edit. Versailles, tom. V;

Milner, *Excellence de la relig. cathol.* tom. I, lettr. X et XI; Lingard, *Strictures on Dr. Marsh's Comparative view of the Church of England and Rome, seu Censuræ in prospectum comparativum Ecclesiæ anglicanæ et romanæ a Doct. Marsh exhibitum*, Lond. 1815.



*dum traditionem hominum; 3º testaturque, omnia in sacris Libris, quæ ad salutem saltem necessaria sunt, contineri, ut liquet ex iis quæ ipse scribit Apostolus II Timoth. III, 16: Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis (nempe sufficiens) est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia; ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Profecto, qui solis Scripturis perfectus evadere potest, et ad omne opus bonum instructus, nullo alio subsidio indiget ad salutem obtinendam. Sic etiam S. Lucas I, 3, scribit: *Visum est et mihi, assecuto omnia a principio diligenter, ex ordine tibi scribere.* 4º Quare, tametsi daretur, non omnia prorsus in Scripturis contineri, quæ Christus gessit aut docuit, illa tamen, quæ in sacros codices relata sunt, ad ea, quæ scitu et creditu necessaria sunt, abunde sufficiunt, juxta illud Joan. XX, 31: *Hæc autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus filius Dei; et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Ergo.

358. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Neg.* Ad 1<sup>m</sup> prob. autem, *Dist.* Christus arguit pharisæos, eo quod admiserint traditiones humanas, seu potius consuetudines ex falsa Scripturarum interpretatione superinductas, *conc.*; traditiones divinas ac proprie dictas, quales tuetur Ecclesia catholica, *neg.* Id patet ex substrata materia, quæ est de tot lustrationibus, quas post babylonicam præsertim captivitatem una cum aliis ritibus frequentare cœperant. Dum vero plus æquo his insisterent, parvi faciebant, aut etiam extenuabant divinum mandatum de honore, quo filii parentes colere tenebantur (1). Quid vero ejusmodi consuetudines et ritus commune habent cum traditionibus dogmaticis, de quibus his agimus? Traditiones porro in vera sua significatione acceptas supponunt et commendant sacræ Litteræ, tum locis paulo ante

(1) Cfr. Maldonatus, in loc. cit. Matthæi, necnon Cornel. a Lapide. Hanc eandem interpretationem exhibet Kuinoël, *Comm. in Matth. xv, 2, 3.* Fuse etiam de hoc argumento egerunt Schoettgenius, *Horæ hebraicæ et chal-*

*daicæ*, Dresdæ 1733, in cap. xv Matth. pag. 136 et seqq. et Lightfootus, *Horæ hebraicæ et Talmudicæ*, in Evangel. S. Matthæi, opp. edit. Ultrajecti 1699, vol. II, pag. 330 et seqq.

allegatis, tum Act. VI, 14, Galat. I, 14, et alibi. Christum præterea ipsum et Apostolos alluisse aliquando traditionibus Judæorum, pluribus exemplis, uti diximus, ostendit Richardus Simonius (1). Hinc Grotius cum Scaligero affirmat: *Si quis se speret legem Mosis intellecturum sine ope traditionum, eum imposturam facere et sibi et aliis* (2).

359. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Id est, vetat, quominus sacer textus vitietur quidquam addendo aut detrahendo, *conc.*; quominus custodiantur traditiones, quas a Deo ipso fideles acceperint, *neg.* Vetat itaque Moses, ne quavis ratione divina lex, quam Hebræis dederat, ab illis unquam vitaretur; sed præcipit, ut eam, prout acceperant, fideliter custodirent intemeratam, ut patet ex verbis immediate insequentibus. Cum vero in hypothese traditiones divinæ sint ipsum Dei verbum, licet diversa ratione quam per scripta ad nos transmissum, nihil per traditiones eidem adjicitur Dei verbo, sed integrum potius custoditur (3). Nec alius est sensus objecti loci ex Apocalypsi, ut liquet ex verbis ipsis. Apostolus autem ad Galatas anathema dicit illi, qui eos doceret *contra* seu *contrarium* aliquid ab eo, quod ipse eos docuerat, prout vel ipse exponit Rosenmüller (4). In epistola vero ad Coloss. juxta eundem interpretem Paulus eos præmunivit a doctoribus judaizantibus, qui legum ritualium et consuetudinum pharisaicarum obligationem in religionem christianam inducere adnitebantur (5).

(1) Op. cit. præsertim chap. xxi et xxii.

(2) *In animadvers. Riveti, opp. Theologic.* edit. Amstelædam 1679, tom. III, pag. 648.

(3) Cfr. Calmet in hunc loc. qui hunc textum exponit de exacta legis observatione. Id ipsum sentit Grotius, qui in *Annot.* in eundem loc. scribit: *Hoc dictum neque traditionibus scriptum interpretantibus, neque præceptis humanis legem sapientibus repugnat. Diminuere est non facere quod jubetur; addere, aliter quam jussum est facere, infra 12, 32. In Criticis sacris, tom. II.*

(4) *In schol.* in hunc loc. En ejus verba. Πάρ' ἃ hoc loco non tam præter id (Evangelium) quam contra id, contrarium ei, hoc loco significat, ut Rom. XII, 3.

(5) En rursum ejus verba: *Hoc loco φιλοσοφία est profunda sapientia, exquisitior scientia, sed vana et fallax, quæ falso jactatur. Intelliguntur errores judaizantium doctorum: Κατὰ τὴν παράδοσιν-χριστῶν. Quæ continetur traditionibus humanis, et primis rudimentis religionis non christianæ, vel Christo dignæ... Doctores illi judai-*

360. Ad 3<sup>m</sup>, *Neg.* Ad 1<sup>m</sup>, prob. dato, quod perperam adversarii assumunt, perinde valere *utile ac sufficiens*, Resp. nimis eos allegatis verbis probare; sequeretur nimirum, sufficere ad virum perfectum constituendum et ad omne opus bonum instructum Scripturas Vet. Test., de quibus hic loquitur Apostolus, ut per se patet, et ex verbis præcedentibus; ait enim: *Et quia ab infantia sacras Litteras nostri, quæ te possunt instruere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Jesu.* Jam vero cum Timotheus adhuc infans erat, nullæ extabant Scripturæ Novi Test. Eatenus autem Scripturæ virum perfectum efficiunt, et omnia ad salutem necessaria continent, quatenus, aut expresse aliqua dogmata tradunt aut fontes aperiunt ex quibus ea, quæ in illis non continentur, hauriri possunt. Tales porro divinæ sunt traditiones juxta eundem Apostolum, II Thess. II.

361. Ad alteram prob. quæ ex Lucæ verbis ducitur, ea haud esse ad vivum resecanda admonet Kuinoël (1), quum exploratum sit, ex Evangelii Lucæ cum Evangelii reliquis collatione, præcipue vero cum Evangelio Joannis, plura eum prætermisise ex dictis gestique Christi Domini. Significat igitur, se omnem adhibuisse diligentiam ad accuratam sibi eorum notitiam comparandam, quæ erat scripturus; nec disjecta aliqua dicta aut facta, sed continenti serie Christi se vitam et doctrinam esse expositurum, ad illorum discrimen, ad quos alludit, v. I, qui memorabilia Christi in commentaria redegerant, quique veris falsa intermiscabant (2).

362. Ad 4<sup>m</sup>, *Neg.* vel *Dist.* Scriptura omnia scitu et creditu necessaria ad salutem continet, sensu exposito, quatenus quæ

*zantes commendabant legem ritualem judaicam, plenam traditionibus, contra quas Christus sæpe disputavit, pharisæos castigans. Ergo non fuit illa vana sapientia conveniens religioni christianæ.*

(1) Cfr. ejus *Comm. in lib. hist.* tom. II, in cap. I, v. 4, et tom. I, *Prolegom.* in Matthæum, pag. 21 et seq.

(2) Ibid. S. Ambrosius in *Exposit. in Lucam*, lib. I, n. 11, hæc præclare inter cetera scribit: *Adsecutum se non pauca dicit, sed omnia: et adsecutio omnia visum est scribere non omnia, sed ex omnibus. Non enim scripsit omnia, sed adsecutus est omnia.* Edit. Maur. tom. I, col. 1269.



ipsa expresse non exhibet, unde ea sint derivanda, patefacit, *conc.*; secus, *neg.* Non aliud quippe significat S. Joannes in allegato textu, quam se plura alia signa, quæ Christus facerat, in sua narratione prætermisisse, utpote ea, quæ retulerat, sufficienter ad id quod sibi proposuerat obtinendum, nempe ad probandum, tum Jesum esse Messiam ac Filium Dei, tum nonnisi per fidem in ipsum posse obtineri salutem (1).

363. Inst. primo 1<sup>o</sup> Atqui verissimum est *magnum Protestantismi principium*, Scripturam videlicet absque Traditione sufficientem plane esse ad fidei doctrinæque regulam constituentem. Nam 1<sup>o</sup> *universus orbis* sacrorum admittit Bibliorum inspirationem. 2<sup>o</sup> Porro, si Deus solidum supernaturale ac prodigiosum medium ad fidei conservationem homini præbuit, debet illud esse sufficiens. 3<sup>o</sup> Alioquin quænam securitas de immunitate ab errore posset haberi in sacrarum Litterarum studio, si istæ non essent nisi *prospectus partialis* sensum Dei erga homines? 4<sup>o</sup> Licet enim fateamur, Ecclesiæ existentiam tempore scriptis apostolicis anteriorem esse, atque christianismi præcones *orali traditione* doctrinam communicasse, exinde tamen inferri nequit, eosdem, cum eam scriptis consignerunt, *ex parte* tantum id effecisse, potuisseque Spiritum Sanctum iis incompletum opus dictare. 5<sup>o</sup> Sane si nos ipsos interrogemus, nonne videmur omnia in Scripturis reperire? 6<sup>o</sup> Dum vero libros inspiratos nominamus, solos significamus libros *canonicos* in sensu planiore et grammatico, nullo ad sectas aut factiones habito respectu. 7<sup>o</sup> Accedit, quod Christi religio (illa nempe Dei adoratio in spiritu et veritate) non tam in singularibus articulis, quam in principiis generalibus ac motivis sita sit. Hoc intendit Christus Dominus, dum totam legem duobus præceptis complexus est; hæc S. Paulus, dum, I Cor. II, 2, affirmat, se non aliud scire nisi Jesum Christum et hunc crucifixum. 8<sup>o</sup> Læditur proinde Deus, dum confugi-

(1) Cfr. Maldonatus, in h. loc. Hæ porro difficultates, quas antiquiores adeo magni faciebant, urgebantque plena fiducia adversus Catholicos, adeo leves esse deinceps compertæ sunt, ut eas

recentiores Protestantes omnino deseruerint. Adeo verum est Scripturas, uniuscujusque interpretationi relictas, in omnem sensum detorqueri posse!

tur ad præsumptarum traditionalium opinionum figmenta, de quorum authenticitate nullum aliud præter propriam cujusque conjecturam suppetit fundamentum (1). Ergo.

364. Resp. *Neg. min. subs.* Ad 1<sup>m</sup> prob. *Nego* universum orbem admittere sacrorum Bibliorum inspirationem. Jam vero qui illam inspirationem non admittunt, illi prorsus sunt, ad quorum principium appellat adversarius, quem impugnamus, nempe recentiores magna ex parte Protestantes, rationalistæ omnes, omnes mythici (2). Quodque magis mirum est, eo ipso eam non admittunt, quia rejiciunt divinas traditiones, ex quibus *solis* et sacrorum Librorum integer canon et inspiratio nobis constare possunt. Ridiculum plane est, ætate hac nostra provocare mundum universum ad adstruendam divinam Scripturæ sacræ inspirationem, in quo, si catholicam excipias Ecclesiam, vix est inter sectas, qui eam profiteatur, et si qui adhuc eam profitentur aut professi sunt, vi principii catholici hunc articulum retinent aut retinuerunt (3). Sublato autem hoc fundamento, jam concidunt superstructæ ab adversario difficultates.

365. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Debet esse sufficiens ad finem, quem Deus in scriptoribus afflandis atque in Scripturis sacris præbendis hominibus sibi præstituit, *conc.*; absolute, *neg.* Responsio patet ex dictis, atque etiam ex inferius dicendis.

366. Ad 3<sup>m</sup>, Resp. nullam prorsus securitatem reipsa habere

(1) Ita Shuttleworth, op. cit. pag. 19 et seqq.

(2) Recolantur, quæ scripsimus sect. 1, cap. II, prop. 1 et II, p. 8 et seqq.

(3) Cfr. Grégoire, op. et loc. cit. art. *Eglise anglicane*, pag. 434 et seqq. Lingard, op. cit. *Observationes circa prospectum comparativum*, etc. ubi ostendit adversus Episcopum anglicanum Marsh, nonnisi ex traditione ostendi posse sacrarum Litterarum inspirationem; sed præ ceteris cfr. Gretzerus, in *Tractatu de quæstione: Unde scis,*

*Scripturam tum generatim, tum speciatim hanc vel illam ejus partem, canonica auctoritate constare? Adversus Pareum, Rullum, Pappum aliosque calvinianos et lutheranos prædicantes, illustrissimi Card. Bellarmini calumniatores.* Opp. edit. cit. tom. VIII, pag. 961 et seqq. copiosissime ac plene de hoc argumento hic disserit strenuus catholicæ doctrinæ propugnator, quem vere vocaveris sui temporis hæreticorum malleum.



illos omnes, qui Scripturam tanquam unicam credendorum agendorumque regulam sequuntur, seu quotquot *magnum illud protestantismi principium* (1) proclamant. Innumeræ prope sectæ antiquiores et recentiores, ex protestantismo progenitæ, ad unam omnes profitentur, se Scripturam veluti adæquatam fidei normam assumere; poro hæ ipsæ sunt, quæ ineluctabile ac jure documentum præbent, Scripturam solam ab errore neminem servare immunem, imo ex ea solo spiritu privato intellecta occasionem homines sumere in plures eosque gravissimos ac absurdos errores prolabendi (2). Velint itaque nolint adversarii nostri, nunquam immunitatem ab errore sibi poterunt præstolari, nisi se Ecclesiæ

(1) Quam bene secum cohæreant doctores Oxonienses, ex eo patet, quod eodem tempore diversi doctores ejusdem academiæ aperte negent, quod alii asseveranter affirmant. Hujus agendi rationis hic luculentum specimen habemus. Shuttleworth proclamatur *magnum illud protestantismi principium*, quod *verissimum* appellat, nempe Scripturam absque traditione *sufficientem* plane esse ad fidei doctrinæque regulam constituendam. Contra vero Palmer, ejus collega, in cit. *Tractatu de Ecclesia*, vol. II, part. III, cap. 3, negat ac vehementer negat, principium *reformationis* fuisse, *sola Biblia religionem esse protestantium*. Nihil magis falsum est, ait ipse. Reformatio spectata in sua plenitudine agnovit et admisit appellationem ad auctoritatem traditionis catholicæ, quamvis negaverit infallibilitatem Patrum singulorum et Conciliorum, pag. 60, 61 et seq.

(2) Nullus extitit hæreticus, qui ab rei christianæ initio usque in hodiernum diem, utut gravissimos errores effutierit, imo et absurdos ac immora-

les, alicui Scripturæ textui non inniteretur ad eos cohonestandos. Plura jam dedimus exempla, quin alia illis adijcere necesse sit; atque hinc factum est, ut Scriptura vocata fuerit *liber hæreticorum*, Sane vel ipse Palmer, op. et loc. cit. pag. 50 et seqq. postquam asseruit, ostium deismo aperiri, si rejiciatur veterum auctoritas, prosequitur: *Ratio, emancipata a quovis alio repagulo, pergit ad Biblia spectanda veluti humanum fœtum, et ad rejiciendum vel adoptandum quidquid ei libuerit. Hinc, quemadmodum ratiocinandi facultas variat in diversis individuis, nonnulli obruncant, alii addunt Scripturæ canoni. Textus effertur veluti interpositionum, errorum absurditatumque plenus. Scriptores sacri accusantur ignorantis, contradictionum et fraudulentis, sequiturque legitima ac irresistibilis conclusio, quod christiana religio non sit revelatio, Christus solum fuerit philosophus, atque homo relictus sit rationi suæ suisque meritis quoad spes suas atque salutem.*



catholicæ subjiciant dogmaticæ interpretationi, quæ Scripturas juxta sensum a traditione acceptum exponit.

367. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Inferri præcise nequit ex Ecclesiæ prioritate, Apostolos non omnia, quæ viva voce tradiderunt, scriptis postea consignasse, *conc.*; ex facto et ex ipsorum testimonio scriptorum hagiographorum, ac totius antiquitatis, *neg.* Gratis porro affirmant adversarii, ex solo prioritatis capite nos inferre, non omnia scripta deinceps fuisse ab illis antea prædicata; sed id adstruimus tum negative, provocando scilicet adversarios, ut ostendant omnia prorsus reipsa scripta fuisse, quod ipsi nunquam præstabant ex sacris Litteris, quas unicam fidei regulam esse contendunt, tum positive ex Scriptura atque antiquitate universa. Nec tamen exinde colligere est, opus Dei fuisse incompletum, uti adversarii autumant, cum illud omne habeat, quod sufficit ad finem a Deo intentum (1).

368. Ad 5<sup>m</sup>, *Dist.* Si, qui se ita interrogant, sint ex aliqua Protestantium secta, *trans.*; si sint Catholici, seu qui integrum et positivum christianismum profitentur, *neg.* Transmisimus primum distinctionis membrum, quia ex dictis, tametsi Protestantes maxime connitantur sibi theoretice persuadere, omnia contineri in sacris Litteris, practice tamen ostendunt, illas plane insufficientes esse (2). Ejusmodi proinde fictitia persuasio non est nisi turpis illusio. Ceterum nil mirum, si Protestantes ita sibi persuadeant, cum ipsi profiteantur christianismum solummodo dimidiatum et negativum, in quo tantum *protestantes* sunt; nam in parte positiva conveniunt cum Catholicis, et cum illis tacite saltem traditiones admittunt (3).

(1) Atque hic etiam obiter adversus Palmer, qui hæc ipsa objicit, Scripturam scilicet *fore imperfectam*, si non omnia ad salutem necessaria, seu si universam revelationem non contineret, observo, hac ratione dicendum pariter esse *imperfectum* Vetus Testamentum, prout reipsa Shuttleworth, pag. 23 et seq. *imperfectam* fuisse asserit Veterem

legem; imperfecti fuissent libri singuli, cum exarati sunt, eo quod non omnia continerent, quæ in posterioribus libris conscripta sunt. En, in quas angustias se conjiciant, qui ita in traditiones insurgunt.

(2) Id patet ex probationibus hujus propositionis nostræ.

(3) Cfr. Moore, op. cit. p. 406 et seq.

369. Ad 6<sup>m</sup>, *Dist.* Ita tamen ut caveat adversarius a libris canonicis recensendis, *conc.*; secus, *trans.* Non enim parum experiretur difficultatis in censu librorum canonicorum instituendo juxta placita sectæ suæ. Quantum a se invicem Protestantes discrepent circa canonem sac. Librorum, superius vidimus; adeoque prudenter omnino se gessit adversarius, dum generalem illam formulam usurpavit *de sensu planiore et grammatico, nullo habito respectu ad sectas et factiones* (1).

370. Ad 7<sup>m</sup>, *Dist.* Juxta Socinianos et rationalistas, *conc.*; in se, *neg.* Illi utique profitentur, summam religionis christianæ ad amorem Dei et proximi, atque ad fidem in Christum Dei legatum revocari. Christo tamen, Apostolis et Ecclesiæ universæ non ita visum est. Siquidem Christus, dum misit Apostolos, præcepit eis, ut gentes docerent servare *omnia quæcumque* ipsis mandaverat; Apostoli autem expulerunt ab Ecclesia, quotquot vel in uno articulo a tradita ab ipsis doctrina descivissent (2). Apostolorum exemplum et institutum secuta Ecclesia primitiva, eadem ratione se gessit cum novatoribus singulis, ac deinceps eadem Ecclesia id ipsum præstitit insequentibus seculis, usque ad Lutherum et innumeros ab ipso surculos pullulantes, usque in hodiernam diem. Ex hoc principio apprime dignoscimus, quamnam fidem profiteatur adversarius; ejusmodi profecto fides sine traditionibus consistere potest.

371. Ad 8<sup>m</sup>, *Dist.* Si standum sit gratuitæ adversarii assertioni, *conc.*; si rei veritati, *neg.* Quænam porro fundamenta sint, quibus divinæ traditiones dogmaticæ innitantur, satis exposuimus et evolvimus. Hic solum miramur adversarii fiduciam, dum adeo asseveranter ceu imaginationes præsumptarum opinionum ablegat traditiones, quas universa admisit antiquitas, et sine quibus universa labefactatur christiana Religio.

372. Inst. secundo. 1<sup>o</sup> Dici saltem debet, in VI articulo Ecclesiæ anglicanæ jure merito ac sapienter constitutum esse: *Scriptura*

(1) Hic etiam, ut vidimus, prudenter se gessit Palmer, dum cavet canonem sacrorum Librorum recensere.

(2) Cfr. quæ scripsimus in tract. *De vera Relig.* p. II, prop. VI, t. I. p. 264.



*sacra omnia continet ad salutem necessaria; ita ut, quidquid ibi non legitur nec possit per eam probari, non debeat ab aliquo exigere ut credatur veluti fidei articulus, aut censeri necessarium ad salutem* (1). 2<sup>o</sup> Sane Scripturam omnia ad salutem necessaria continere, facile colligere est ex natura ac fine Scripturæ ipsius. Articulus fidei est a Tridentino sancitus, *Deum esse librorum omnium utriusque, veteris scilicet ac novi Testamenti, auctorem*; ob quem vero finem Deus dedit Scripturam? Certe ut conservaretur monumentum authenticum suæ revelationis. Ergo *tota* Dei revelatio in Scriptura contineri debet; alioquin Deus solum ex parte atque imperfecte finem obtinisset creationis suæ. Si vult legislator leges scripto consignare, ut authenticum in futuras omnes generationes memoriale permaneat, fingi nequit, ipsum partem a codice suarum legum esse omissurum. Ipse certe providebit de modo seu ratione eas interpretandi atque executioni mandandi; ast nunquam apposite omittet aliquam legum partem extra illud memoriale. 3<sup>o</sup> Præterea si traditio *aliquot*, ut contendunt pontificii, articulos sola transmittit, quare non *omnes*? Cur prætensa incommoda, quæ ex Scripturis proveniunt, declinata non sunt? Etenim aut veritates, quæ sola traditione transmissæ dicuntur, æque necessariae sunt ac illæ quæ scriptis sunt transmissæ, aut non; si primum dicatur, nulla apparet ratio, quare Deus, qui modo uniformi opera sua moliri solet, voluerit æque necessarias veritates partim per Scripturam partim per solam Traditionem transmittere; si alterum dicatur, ergo si quæ per Traditionem transmissæ sunt veritates, ad salutem necessariae non sunt (2). 4<sup>o</sup> Rursum si sola Traditio plene sufficiens fuit ad transmittendam doctrinam christianam in omnes ætates, supponi nequit exaratam ad hoc fuisse Scripturam, quia Deus sicut non deest in necessariis, ita non abundat in superfluis. E Scripturarum proinde existentia merito inferimus, Traditionem solam minime sufficientem fuisse ad conservationem christianæ doctrinæ in Ecclesia catholica per omnes ætates. 5<sup>o</sup> Scriptura nonnulla complectitur ad Religionem haud essentialia, cujusmodi sunt ex. gr. ritus

(1) Ita Palmer, op. cit. vol. II, cap. I.

(2) Ibid. pag. 8 et seqq.



aliqui, pedum lotio, osculum pacis, præceptum de non nutrienda coma, aliaque id genus multa. Improbabile porro est Deum permis-  
 sisse, ut talia in Scripturis continerentur, dum volebat nonnullos  
 fidei articulos ex eis abesse. 6<sup>o</sup> Facto ipso ostendunt romanistæ,  
 articulos fidei omnes in Scripturis contineri; nam juxta Trevern  
 aliosque theologos pædobaptismus ac Baptismus per aspersionem  
 soli innituntur traditioni, Bellarminus tamen ac Tournelyus eos ex  
 Scripturis evincunt; juxta Milner et Melchiorem Canum invocatio  
 Sanctorum et cultus imaginum ac reliquiarum ex sola traditione  
 constant, ast Milner ipse ac Wallemburgici hos articulos inveniunt  
 in Scriptura, et ita porro de ceteris dicas articulis. Ex qua agendi  
 ratione aperte illorum romanensium error deprehenditur, qui  
 contendunt, nonnullos fidei articulos in traditione reperiri, qua-  
 tenus hæc a Scriptura distincta spectatur. 7<sup>o</sup> Hunc errorem pro-  
 fecto non sancivit Tridentinum, cujus decreto longe conformior  
 est doctrina sexti articuli Ecclesiæ anglicanæ quam Romanorum  
 theologorum. Quamvis enim illius Concilii Patres optime nossent  
 agitatam tunc temporis controversiam, num ex parte solum verita-  
 tes fidei in Scripturis continerentur, non eam tamen dirimere  
 voluerunt, definientes doctrinam christianam *ex parte* contineri  
 in Scripturis, et *ex parte* in traditione; sed solum declararunt  
 generalibus verbis: *Perspiciensque* (Synodus) *hanc veritatem et*  
*disciplinam contineri in libris scriptis et sine scripto traditio-*  
*nibus*, id est, *et in libris et in traditionibus* veritates fidei con-  
 tineri, quod Ecclesia anglicana non abnuit, et jam plerorumque  
 theologorum Romanorum sententia est. (1). Ergo.

373. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Dist.* Si sextus ille articulus intelligatur eo  
 sensu, quod Scriptura omnia ad salutem necessaria contineat sive  
*immediate* sive *mediate*, *conc.*; solum *immediate*, *neg.* Cum  
 vero ex insequentibus verbis pateat, articulum hunc comprehen-  
 dere ea tantum, quæ immediate in Scripturis leguntur, aut quæ  
 per eas probari possunt, consequitur, neque jure merito, neque  
 sapienter eum constitutum esse, cum adversetur doctrinæ Ecclesiæ  
 catholicæ. Eo autem sensu dicimus omnia ad salutem necessaria

(1) Ibid.

*mediate* in Scripturis contineri, quatenus in ea dogma de traditione habetur, ex qua ea, quæ in Scripturis non leguntur, aut eis probari non possunt, derivamus. Adde, æquivocum esse, quod in eo articulo asseritur, omnia Scripturam continere *ad salutem necessaria*, cum intelligi possit et de iis, quæ scitu stricte necessaria sunt ad salutem, et de iis quæ spectant ad integritatem et plenitudinem fidei. Si primo sensu accipiatur, non solum in Scripturis, sed et in Symbolo apostolico, immovero et in duobus, quos vocamus, principalibus articulis de Dei Unitate et Trinitate, atque Incarnationis et Redemptionis necessaria ad salutem continentur; si accipiatur secundo sensu, falsa est propositio (1).

374. Ad 2, 3, 4 et 5, Resp. hic agi de *facto*; cum de ipso constiterit, omnes conjecturæ contrariæ concidunt; alioquin eisdem possemus revelationem ipsam supernaturalem eliminare, prout reipsa illis innixi increduli ac rationalistæ eam aggrediuntur, utpote superfluum ac Dei sapientia indignam (2). Itaque Deus tum per Scripturam tum per Traditionem voluit revelationem suam transmittere; si ita se gessit, rationes ita faciendi habuit dignas se; potuisset per solam Traditionem, potuit per utramque, et hanc viam tenuit. Quod nobis satis est.

375. Non sequitur igitur, 1<sup>o</sup> si *tota* revelatio *immediate* non contineatur in Scripturis, Deum solum ex parte atque imperfecte obtinuisse finem suum. Scriptura enim habet rationem medii; medium autem perfectum est, cum fini, qui intenditur, est adæquatam. Scriptura esset medium inadæquatam, si Deus reipsa

(1) Cfr. Card. Du Perron, *Replique à la réponse du Roi de la Grande-Bretagne, troisième observat.* chap. II, pag. 579, edit. cit. Ubi hanc ipsam difficultatem, jamdiu propositam sibi a Jacobo Angliæ rege pene iisdem verbis, quibus eam reproducit Palmer, plenissime solvit, ostenditque, merum esse sophisma miseræ æquivocationi innixum. Necesse siquidem est ad salutem, credere illa omnia, quæ a Deo

revelata sunt; possunt nonnulla divinitus revelata ignorari; ast nunquam fas est absque æternæ salutis dispendio aut rejicere aut in dubium revocare quemlibet articulum, quem constet esse a Deo revelatum.

(2) Hic est argumentorum achilles, quo perpetuo utuntur rationalistæ adversus supernaturalistas, ut patet ex iis, quæ attulimus in cit. tract. *De vera relig.* cap. II, prop. III, n. 95, t. I, p. 35.



sibi proposuisset omnia ad salutem necessaria, in sensu exposito, immediate ad nos per illam transmittere, et nihilominus ea non nisi ex parte contineret. Probet autem adversarius, si possit, hunc sibi finem Deum præstituisse. Certe id nunquam efficiet. Exemplum legislatoris humani non est ad rem; siquidem huic non suppetit legislationis suæ depositarius et custos indefectibilis ac infallibilis, prout suppetit Deo in Ecclesia a se constituta (1).

376. Non sequitur, 2<sup>o</sup> quod si omnes veritates, quæ sive in Scriptura sive in Traditione contineri dicuntur, æque ad salutem sunt necessariae, per alterutram tantum omnes transmitti debuerint; nam alioquin sequeretur, et ipsas traditiones inhæsivas,

(1) Cfr. Du Perron, loc. cit. cap. III, qui apposite utitur, ad hoc declarandum, exemplo legati, cui princeps suus partim in scriptis partim viva voce referenda committit illi ad quem delegat, quæque tamen eandem auctoritatem obtinent, statim ac legatus litteris credentialibus ostendit se esse legatum, pag. 581. Sed præstat Palmerio opponere auctorem protestantem. Sic igitur ad rem nostram scribit Grotius, in *Annotatis ad consultationem Cassandri*, agens de sufficientia sacræ Scripturæ et auctoritate traditionis: *Apostoli non scripto tantum, sed et ore docuere*, II *Thess.* II, 5; I *Cor.* XI, 1, *et prius ore quam scripto; sicut et religio primorum seculorum sola traditione propagata fuit, et Jesus Christus ipse nec scripsit, nec scribendi præceptum dedit, sed prædicandi. Et narrant veteres, apud Indos Asiæ Ecclesias fuisse sine libris per centum annos. Non est autem dubium, quin parem auctoritatem habere debeant, quæ Apostoli scripsere et quæ dixere. Augustinus et alii ab Apostolis aut instituta aut probata ea credunt, quæ in omnibus Ecclesiis recepta semper fuere citra Conciliorum universalium auctoritatem. At*

*in Scripturis Novi Testamenti, imo in solis libris Lucæ et Joannis ea continentur, quæ cuivis christiano cognitu, speratu, factu sunt necessaria; quia hoc sibi fuisse propositum, alter in præfatione, alter in conclusione operis profitentur. Sed præter hæc multa sunt scitu utilia, multa ad regimen Ecclesiæ etiam necessaria. Recte quoque dicitur Scripturæ paratior auctoritas, quia traditionum probatio interdum est difficilior et laboriosior. Ceterum etiam Protestantes quæ tuentur, ea non sunt omnia ἀπολιξίαι (ad verbum) in sacris litteris. Dicunt admittendas consequentias. At ipsi consequentias sæpe admittunt ex privato cujusque ingenio; unde tot et tam gravia inter ipsos dissidia et quotidiana divortia. Catholici vero eas admittunt consequentias, quas admisit vetus Ecclesia antiquo et universali consensu. Atque ita stat omne verbum in duobus testibus, in Scriptura et Traditione, quæ mutuo facem sibi allucent. Nam et scriptis libris credimus testimonio Ecclesiæ, ut vere dixit Augustinus, id est, propter traditiones, et traditiones apostolicas Scriptura commendat.... et Traditio interpretatur Scripturam. Opp. cit. edit. tom. III, pag. 628*



quas adversarius propugnat, esse respuendas; quorsum enim hæ traditiones, si omnia ad salutem necessaria in solis Scripturis immediate continentur, aut ex ipsis probari possunt?

377. Non sequitur, 3<sup>o</sup> e Scripturarum existentia inferri deberi, traditionem solam haud esse sufficientem ad revelationis conservationem ex adversarii mente; quemadmodum inferri nequit ex traditionum existentia, solam Scripturam minime fuisse sufficientem ad eundem finem, si Deo placuisset etiam per Scripturam revelationem suam ad nos transmittere. Utraque propterea sufficiens censi deberet, si utramque vel alterutram respective eligere ad finem suum Deo placuisset.

378. Non sequitur, 4<sup>o</sup> si Deus permisit nonnulla in Scripturis ad religionem haud essentialia contineri, velle ipsum haud potuisse, nonnullos fidei articulos ex eis abesse; potuit siquidem Deus utrumque velle, cum nulla in eo sit repugnantia aut ullum inconueniens, uti ex facto patet.

379. Ad 6<sup>m</sup>, *Neg.* vel *Dist.* Ostendunt Catholici, nonnullos ex controversis articulis contineri in Scripturis, seu potius *insinuari* ac *probabiliter* ex iis erui, *conc.*; apodictice, et quidem *omnes*, *neg.* Itaque in objecta difficultate latet æquivocatio, sub qua, uti assolet, adversarius se tegit. Aliud quippe est in Scripturis aliquot articulos insinuari, atque, ut ita loquar, in semine contineri, aliud est eos aut expresse legi in Scripturis, aut ex iis apodictice demonstrari. Quando propterea recensitos articulos Catholici in Scripturis reperiri ostendunt, non de plena atque apodictica propriaque demonstratione loquuntur, sed solum significant, ex illis aliquo modo erui, atque demonstrationis vim in sola Traditione collocant, ut ex illorum lectione facile quisque comperiet. Deinde, aliud est de uno alterove articulo disserere, aliud vero de *omnibus*; aliqui enim articuli sunt, de quibus in Scripturis, immediate saltem, nihil prorsus legitur, quique ex iisdem nullatenus probari possunt. Exemplo sint quoad Catholicos primatus Rom. Pontificis jure divino; quoad sectas autem ab Ecclesia catholica separatas dogmata illa, quæ cum ista adhuc illæ retinuerunt, cujusmodi sunt, quæ paulo ante recensuimus, de canonicitate et inspiratione sac. Bibliorum, de Baptismo infantium, de valore Baptismi ab

hæreticis collati (1), de valore ejusdem administrati a laicis (2), de quibus nihil in Scripturis legitur, nec ex eis probari valet (3). Si vero sermo sit de articulis, qui vix in Scripturis insinuantur, quique non nisi traditionis subsidio demonstrari ac invicte propugnari contra adversarios queunt, ii sunt fere omnes (4). Adeo firmum fidei munimen traditio est.

380. Ad 7<sup>m</sup>, Tridentinum minime sancivit errorem ab adversario confictum, *conc.*; non sancivit catholicam veritatem, quam propugnamus, *neg.* Tantum distat decretum Tridentinum ab articulo VI Ecclesiæ Anglicanæ quantum veritas ab errore. Ignoramus porro, unde didicerit adversarius, Concilii Tridentini ætate controversiam viguisse, utrum aliqui articuli fidei habeantur, de

(1) Hæc de causa Palmer negat, fidei articulum esse valorem Baptismi ab hæreticis administratum.

(2) Apud Matthæum enim atque apud Marcum solis Apostolis Christus collationem Baptismi demandavit; in Actis vero apostolicis a diaconis administratum Baptismum legimus; ast de laicis altum in Scripturis silentium. Hinc Calvinus negat, ab alio quam a delegato ministro conferri hoc Sacramentum posse, ac nullum irritumque prorsus habet Baptismum a fœmina, etiam in necessitatis casa collatum, ut suo loco diximus.

(3) Sane, ut insistamus Baptismo infantium, quem Palmerius ex Scripturis ostendi posse contendit, ne contradicere videatur articulo xxvi eccl. Anglicanæ, juverit referre anecdotum, quod legitur in documentis dominæ Hutchinson. Hæc mulier, infantis mater effecta, dubiis angebatur circa valorem pædobaptismi una cum marito suo. Ad hæc eliminanda, ad convivium accivit omnes ministros proximorum locorum,

iisque dubia sua atque anxietates patefecit. Cum nemo istorum potuerit iustificare infantium Baptismum ex solis Bibliis, nil reliquum habuerunt nisi ad Ecclesiæ traditionem ab origine sua confugere; quod cum parentibus non arrideret, ita infans Hutchinson tinctus Baptismo non est. Tunc ministri in furorem acti, duobus conjugibus insultare cœperunt, eos traducentes velati fanaticos et anabaptistas. Cfr. *Les Mémoires de Mistriss Hutchinson*, in collectione Guizot, tom. II, pag. 126. Quid acturus esset Shuttleworth, qui contendit, hunc articulum ex traditione priorum seculorum non evinci?

(4) Id manifeste constat ex iis omnibus, qui traditionem respuunt quoad articulos ab ipsis rejectos. Quamvis enim iidem in sacris Litteris reperiantur, tamen eas ita isti homines eludunt, ut nulla prorsus ratione ex illis solis convinci possint, prouti patet ex Anti-trinitariis ac Socinianis. Quid erit de articulis, qui vix in Scripturis insinuantur?

quibus nobis non constat nisi per Traditionem, Concilium vero dirimere quæstionem noluisse. Nil ejusmodi legitur sive in actis sive in historia Concilii, ita ut neque Sarpius id commemoret. Discimus potius ex illis fontibus, Concilium Tridentinum sibi proposuisse definire, tum Scripturas tum Traditiones divinas et apostolicas fundamenta constituere fidei nostræ adversus hæreticos, qui inficiabantur, tale fundamentum etiam Traditiones constituere (1); nec ignorabant Patres Tridentini, nonnullos articulos fidei catholicæ haberi, qui soli innituntur Traditioni. Nunquam igitur ea Tridentinis Patribus mens inedit, prout autumat adversarius, ut solas Traditiones *inhæssivas* aut *declarativas* statuerint; sed sanciverunt vere Traditiones uti regulam ac fundamentum partiale fidei nostræ a Scripturis plane distinctum. Neque alio proinde sensu catholici theologi Traditiones divinas adstruunt. Si qui vero affirmare videntur, omnes fidei nostræ articulos in Scripturis contineri, eo id sensu affirmant, quem paulo ante declaravimus, in Scripturis videlicet omnia, quæ ad fidem pertinent, reperiri sive immediate sive mediate, prout et nos ipsi sentimus ac profitemur (2).

(1) Satis est legere historiam Concilii Trident. Card. Pallavicini, ut luculenter pateat, quid senserint Patres de Traditionibus. Huc pauca verba describam, ex lib. VI, cap. 14, n. 2, ubi, cum retulisset nonnullas difficultates propositas adversus decretum sancendum, scribit: *Queste obiezioni però non vinsero i più de' voti. Contro alla prima venne considerato, che le tradizioni in quel decreto congiungevansi alle Scritture per esser l'une come l'altre fondamenti della fede e per conseguente rivelazioni di Dio.* Eadem repetit n. 3; et cap. 18; refellens Suavium seu Pau-

lum Sarpium, n. 7, iterum scribit: *Due cose intese di far il Concilio con quel decreto. L'una, dichiarare, che i fondamenti della fede cattolica non pur erano le Scritture, come i nuovi eretici perfidiavano; ma non meno le Tradizioni, dalle quali al fin dipende quanto abbiamo di certo sopra la legittimità delle Scritture medesime.* Habes ad calcem voluminis versionem latinam horum locorum. Nunc surgat Palmer, et nos doceat, quid intenderit Tridentinum in suo decreto.

(2) Cfr. Card. Du Perron, op. cit. *Rèplique*, etc. pag. 576 et seqq.



## DIFFICULTATES.

*Ex sanctis Patribus et Doctoribus.*

381. Obj. Patres non aliam agnovere traditionem præter *inhæ-sivam*; de ea propterea loquuntur, quoties traditionem commemorant. Id luculenter patet 1<sup>o</sup> ex S. Irenæo, cujus palmaria verba hæc sunt: *Dominus omnium dedit Apostolis suis potestatem Evangelii, per quos et veritatem, hoc est, Dei Filii doctrinam cognovimus. Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quam per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos, quod quidem tunc præconaverunt, postea vero per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt fundamentum et columnam fidei nostræ futuram... Ita Mattheus in Hebræis ipsorum lingua Scripturam edidit Evangelii Marcus, etc.* (1). Tale est testimonium, quo Irenæus nos certiores facit, opera *Scripta* a prisca illis christianismi magistris, quatenus summarium sunt christianæ doctrinæ, sufficientia esse atque completa. Adeo abest primitivus hic auctor ab assertione, quod aliquam Apostoli suæ doctrinæ partem incerto commiserint puræ Traditionis vehiculo, ut potius ejus verba vix cum ejusmodi supposito componi possint. Pergit porro Irenæus: *Cum enim ex Scripturis arguuntur (hæretici), in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non recte habeant, et quia varie sunt dictæ, et quia non possit ex his inveniri veritas ab his, qui nesciant Traditionem* (2). Ex his aperte discimus, primos hæreticos (Gnosticos et Valentinianos) illos fuisse, qui appellarunt ad Traditionem, perinde ac si in illa containerentur fidei articuli, qui non inveniuntur in Scriptura. 2<sup>o</sup> Dolendum sane, post illos hæreticos alios viros *sanctiores ac meliores vexillum incertum atque aleæ plenum* Traditionis, veluti auctoritatis *concurrentis* cum Scriptura et *æque obligatoriæ*, crexisse, dum Irenæus, *bonus pater nuncupatus, singularis ingenii* vir, pro certo haberet, ad omnia Novi Testamenti Scripturas sufficere; qui propterea aiebat, ideo

(1) Lib. III, Præf. et cap. I.

(2) Ibid. cap. 2.

quatuor esse Evangelia, quia quatuor mundi sunt partes (1). 3<sup>o</sup> Nec aliter sensit de Traditione S. Clemens Rom. qui in duabus epistolis suis nullam traditionis mentionem iniecit, solis Scripturis contentus. Ita pariter se gessit Polycarpus, qui potius scribit: *Qui (Paulus) et absens vobis scripsit epistolas, in quas si intueamini, ædificari poteritis in fide, quæ data est vobis... Si quis enim intra hæc fuerit, mandatum justitiæ implevit* (2). Sic etiam S. Ignatius in epistolis suis hortatur fideles, ut revertantur *ad id, quod invenitur scriptum*; quoniam *hæretici*, ut ipse loquitur, *et implicatis inquinant Jesum Christum* (3); ex quibus patet, propositum Ignatii esse, nullam admittere Traditionem *non inspiratarum mentium*. Neque syllaba in actis SS. Polycarpi et Ignatii occurrit, quæ vel innuat *duplex fidei vexillum*. Frustra quæres in S. Justini scriptis indicium alicujus dogmatis obligatorii, quod *non memoretur*, aut *identificatum* non sit cum Scripturis; censet enim S. Martyr, nos in Scriptura sola totam invenire substantiam ac fundamentum fidei nostræ. 4<sup>o</sup> Igitur longo centum quinquaginta annorum tractu ignota plane fuit a Scriptura distincta Traditio. Quare, etsi III et IV seculo cœperit *in praxi* Traditionis usus insinuari, nullius valoris est, eo ipso quod ab Apostolis non descenderit (4). Ergo.

382. Resp. *Neg. ant.* Ad 1<sup>m</sup> prob. *Dist.* Diversam seu contrariam in Scripturis non tradiderunt Apostoli ab ea, quam ore tenus prædicaverant, *conc.*; omnem doctrinam viva voce prædicatam scriptis suis complexi sunt, *neg.* Quæ, ut probe intelligantur, mens est expendenda ac scopus S. Irenæi. Gnostici et Valentiniiani, ut suas novitates cohonestarent, confugiebant ad nescio quam occultam secretamque doctrinam auribus nonnullorum ab Apostolis commissam, eamque esse affirmabant, quam ipsi tue-

(1) Ibid. cap. 11, n. 8.

(2) (Παύλος) καὶ ἀπὸν ὑμῖν ἔγραψεν ἐπιστολάς, εἰς αὐτὰς ἰὰν ἐγκρύπτητε, δινηθήσεσθε οἰκοδομεῖσθαι εἰς τὴν δοθεῖσαν ὑμῖν πίστιν... Ἐὰν γὰρ τις τούτων ἐντὸς ᾧ, πεπλήρωκεν ἐντολὴν δικαιοσύνης.

*Epist. ad Philipp.* cap. 11, apud Coteler. tom. 11, pag. 185.

(3) *Epist. ad Trallian.* cap. 6. Ibid. pag. 23.

(4) Ita Shuttleworth, op. cit. pag. 3 et seqq.



bantur. Ad hoc propterea effugium ipsis eripiendum, reponerat S. Irenæus, non diversam aut contrariam Apostolos doctrinam prædicasse ab ea, quam postea Scripturis consignarunt, sed unam plane eandemque illorum esse doctrinam. Quod deinde probat ex Traditione, quæ in omnibus Ecclesiis ab Apostolis fundatis servabatur, apud quas nihil reperiebatur eorum, quæ illi hæretici jactitabant. Quapropter eos provocat tum ad Scripturas tum ad Traditionem, siquidem ejusdem omnino auctoritatis. En integra S. Irenæi verba, quorum partem detruncavit adversarius, dum ejus nobis objecit auctoritatem: *Cum ex Scripturis arguantur (hæretici), in accusationem convertuntur Scripturarum... CUM AUTEM AD EAM ITERUM TRADITIONEM, QUÆ EST AB APOSTOLIS, QUÆ PER SUCCESSIONES PRESBYTERORUM IN ECCLESIIS CUSTODITUR, provocamus eos, adversantur Traditioni, dicentes, se, non solum Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram invenisse veritatem... Evenit itaque, NEQUE SCRIPTURIS jam, NEQUE TRADITIONI CONSENTIRE EOS (1).*

383. Ex his porro discimus, 1<sup>o</sup> tam Catholicos quam hæreticos in admittendis Scripturis et Traditionibus consensisse; 2<sup>o</sup> non in eo errasse hæreticos, quod ad Traditionem confugerent, sed quod secretas seu clancularias traditiones obtenderent, diversas ab illis, quas Ecclesiæ admittebant universæ; 3<sup>o</sup> S. Irenæum propugnasse existentiam Traditionis *distinctæ* a Scriptura sacra, quippe hæreticos et ad Scripturas et ad traditionem provocat; imo et parem in utrisque auctoritatem agnovisse, cum ex utroque capite illos confutet, ostendatque, eos novis suis doctrinis tum Scripturis tum Traditioni Ecclesiæ adversari. Hoc magis patet ex ratione, qua adversus illos disputat S. Pater; cum enim fusius disseruisset cap. III et seqq. de Traditione apostolica, ad Scripturam unde cœperat reversurus, sic caput V orditur: *Traditione igitur, quæ est ab Apostolis, sic se habente in Ecclesia, et permanente apud nos, revertamur ad eam, quæ est ex Scripturis ostensionem, eorum qui Evangelium conscripserunt Apostolorum (2).* Discimus, 4<sup>o</sup> eos, qui ita scriptis Patrum abutuntur ad impugnandam

(1) Lib. III, cap. 2, n. 1 et 2.

(2) n. 1.



Traditionum existentiam et auctoritatem, animi candorem haud præ se ferre, quo tamen maxime opus est ad veritatis inquisitionem. Quæ cum ita se habeant, ulterius hic insistendum nobis non est ad convellendas adversarii consecutiones, quæ, subruto fundamento, ex se concidunt (1).

384. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Si *sanctiores et meliores* viri illi fuissent post hæreticos, sed si hæreticos secuti essent in adstuendis traditionibus, vere dolendum esset, *conc.*; si secuti sunt *bonum Patrem* ipsum aliosque ejus prædecessores, *neg.* Responsio patet ex hactenus dictis. Etenim adversarius Irenæum vere sugillat, dum affirmat, eum pro certo habere ad omnia Scripturas Novi Test. solas sufficere; quod est aperte falsum, cum nusquam id affirmet, immo vero contrarium plane doceat (2). Quod si S. Martyr plures rationes congruentiæ, seu quas vocant mysticas profert, ad ostendendum divina providentia factum esse, ut quatuor tantum fuerint scripta Evangelia, ideo eas affert, ut Gnosticos perstringat, qui hunc numerum modo coarctabant, modo amplificabant (3). Ceterum ex traditione didicisse Irenæum, quatuor tantum exarata litteris fuisse Evangelia, abunde liquet ex verbis ipsis ab adversario allegatis, in quibus ille ordinem persequitur et adjuncta, quibus unusquisque Evangelista scripsit.

385. Ad 3<sup>m</sup>, *Neg.* Nam et Polycarpus et Ignatius et Justinus toties ad Traditionem a Scripturis distinctam provocant, quoties admonent fideles, ut in doctrina, quæ vigeat in Ecclesia Dei, firme permaneant. Sane S. Polycarpus inter cetera scribit: *Quocirca, derelicta plerorumque (hæreticorum) vanitate falsisque doctrinis, ad traditum nobis ab initio sermonem revertamur* (4).

(1) Cfr. quæ hoc de argumento præclare scripsit Massuetus, in diss. 3, quæ est *De Irenæi doctrina*, art. 3, pag. 113 et seqq. ubi copiose hoc argumentum evolvit, ac simul malam Gallasii fidem castigat, qui cum et ipse nimis Irenæi verbis perstringeretur, in summulis suis Irenæi sensum pervertit. Cfr. præterea Walemburgici, *Controv.*

tom. 1, in tract. *De Tradition* pag. 811 et seq. ubi jam refellerant, quidquid hic nobis iterum opponit Shuttleworth.

(2) Cfr. Massuetus, diss. cit. art. 2, n. 11-13, ubi confutat Grabium, pervertentem et ipsum mentem Irenæi.

(3) Cfr. Ibid. art. 1, n. 6, pag. 109.

(4) Διὸ ἀπολιπόντες τὴν ματαιότητα τῶν πολλῶν, καὶ τὰς ψευδοδιδασκαλίας,

S. Ignatius vero, præterquam quod nusquam habet, quod ei adversarius affingit, de reversione ad *id quod invenitur scriptum* (1), perpetuo et ipse inculcat adhæSIONEM doctrinæ, quæ in Ecclesia obtinebat, ut ab hæreticorum novitatibus immunes fideles servarentur: *Studete igitur, inquit, ut confirmemini in dogmatibus Domini et Apostolorum... cum dignissimo Episcopo vestro et digne contexta spirituali corona Presbyterii vestri* (2); et iterum: *A talibus (hæreticis) vos custodite. Quod fiet, si inflati non fueritis, et indivulsi manseritis a Deo J. C. et Episcopo* ET PRÆCEPTIS APOSTOLORUM (3); et alibi passim (4). Miramur porro, nobis Justinum objici tanquam Traditionem respicientem, cum ei crimini vertatur nimia in ea admittenda facilitas, dum ex illa regnum Christi millenarium propugnat, uti paulo post videbimus. Certe cum S. Martyr, in *Apolog. I*, ritum retulisset Baptismi, subdit: *Hanc autem hujus rei rationem* AB APOSTOLIS ACCEPIMUS (5), ut alia silentio prætereamus (6). Absonum autem est velle in actis martyrii SS. Ignatii et Polycarpi mentionem traditionis injici, cum in illis non de doctrina, sed de martyrum gestis sermo sit. Verum et in his vestigia haud dubia extant de recepta in Ecclesia catholica Traditione (7) tum circa SS. Trinitatem tum circa Sanctorum eorumque reliquiarum cultum (8), quæ Protestantes profecto utpote Traditionum hostes aversantur.

ἐπὶ τὸν ἐξ ἀρχῆς ἡμῖν παραδοθέντα λόγον ἐπιστρέψαμεν. Cap. 7, apud Coteler. pag. 187.

(1) Exinde dolus manifestus apparet adversarii, quem impugnamus.

(2) *Epist. ad Magnes.* cap. 13: Σπουδάζετε οὖν βεβαιωθῆναι ἐν τοῖς δόγμασιν τοῦ Κυρίου καὶ τῶν ἀποστόλων... μετὰ τοῦ ἀξιοπρεπεστάτου ἐπισκόπου ὑμῶν, καὶ ἀξιοπλάκου πνευματικοῦ στεφάνου τοῦ πρεσβυτερίου ὑμῶν. Ibid. pag. 21.

(3) *Epist. ad Trall.* cap. 7: Φυλάττεσθε τοῖς τοιοῦτοις. Τοῦτο δὲ ἔσται ἡμῖν μὴ φησιουμένοις, καὶ οὐσιν ἀχωρί-

στοις Θεοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τοῦ ἐπισκόπου, καὶ τῶν διαταγμάτων τῶν ἀποστόλων. Ibid. pag. 24.

(4) Ut in *Epist. ad Philadelph.* cap. 8 et 9, cum not. Vossii. Ibid.

(5) Καὶ λόγον δὲ εἰς τοῦτο παρὰ τῶν ἀποστόλων ἐμάθομεν τοῦτον. n. 61, p. 80.

(6) Cfr. docta præfatio Maran. part. II, cap. 13, § 4, n. 1 et seqq. pag. 61.

(7) Cfr. *Acta S. Ignatii* apud Ruinart, n. 5 et 6, edit. Veron. 1731, pag. 18 et seqq. ubi sermo est de veneratione reliquiarum S. Martyris.

(8) Cfr. ibid. *Acta S. Polycarpi*, n. 14, pag. 36 et seqq. ubi apertissime

386. Quod si Clemens Rom. ad Traditionem expresse non appellat, siquidem scopus ac propositum suum id non ferebat (1), *facto* tamen eam apertissime commendat; nam ipse jugiter provocat Corinthios ad libros deutero-canonicos tanquam ad Spiritus Sancti oracula, uti suo vidimus loco; unde vero istorum librorum divinitatem agnovit nisi ex Traditione?

387. Ad 4<sup>m</sup>, *Neg.* hanc adversarii conclusionem, utpote quæ falso innitatur principio falsoque supposito, uti ex allatis documentis luculenter patet. Viguit igitur divina Traditio, a Scripturis distincta, ab Apostolis usque ad Christi annum centesimum quinquagesimum, et deinceps, fatente adversario, tertio et quarto seculo, theoretica et practica, eundemque proinde valorem habet, ac ipsa habet Scriptura.

388. Inst. Atqui utriusque, orientalis videlicet et occidentalis, Ecclesiæ Patres et doctores unanimes sunt in rejiciendis Traditionibus a Scriptura distinctis. Etenim 1<sup>o</sup> doctrina erat Ecclesiæ, Scripturam omnes fidei articulos continere. Origenes: *In hoc biduo*, scribit, *puto duo testamenta posse intelligi, in quibus liceat omne verbum, quod ad Deum pertinet (hoc enim est sacrificium), requiri et discuti, atque ex ipsis omnem rerum scientiam capi. Si quid autem SUPERFUERIT, quod non divina Scriptura decernat, nullam aliam tertiam Scripturam debere ad auctoritatem scientiæ suscipi... sed igni tradamus, quod superest, id est, Deo reservemus* (2). Athanasius scribit: *Sanctæ ac divinæ Scripturæ ipsæ per se satis sunt ad veritatem indicandam* (3). Theophilus Alexandrin.: *Ignorans (Origenes), quod dæmoniacci spiritus esset instinctus, sophismata humanarum mentium sequi, et aliquid extra Scripturarum auctoritatem putare DIVINUM* (4). Cyrillus Alex.: *Quod sacra Scriptura non*

doxologia SS. Trinitatis exhibetur, ad confundendos Socinianos, et n. 17 et seq. ubi pariter de Sanctorum cultu sermo est.

(1) Propositum siquidem ei fuit Corinthiorum dissidia compescere, illosque ad debitam erga pastores suos sub-

jectionem necnon ad mutuam charitatem revocare.

(2) *Hom. v, in Levit.* tom. II, pag. 212, edit. Bened.

(3) *Advers. gent.* tom. I, op. part. I.

(4) *Epist. Paschal.* II, *Biblioth. Patrum* 1618, tom. IV, pag. 716.



*testatur, quam ratione admittemus, atque pro veris habebimus (1)? 2º Eadem erat fides Ecclesiarum orientalium. Basilus enim: Crede, inquit, quæ scripta sunt; quæ non sunt scripta, ne investiga (2); et alibi: Manifestus a fide lapsus est ac superbiæ crimen, si quis aut quidquam eorum, quæ scripta sunt, reprobet, aut aliquid ex iis, quæ scriptis mandata non sunt, introducat (3). Nyssenus vero: Cum id nullo Scripturæ testimonio fultum sit, ut falsum improbabimus (4). Cyrillus Hierosolym.: Oportet, inquit, circa divina et sancta fidei mysteria ne minimum quidem absque divina Scriptura tradi (5). Chrysostomus denique de Scripturis ait: Tanquam tutum ostium hæreticos ab ingressu arcent, nosque in securitate qua volumus constituunt, nec sinunt errare... Qui enim Scriptura non utitur, sed aliunde ascendit, id est, qui sibi aliam et non statutam viam aperit, hic fur est (6). 3º Eadem erat Ecclesiarum occidentalium doctrina; omisso enim Irenæo (7), Tertullianus: Adoro, inquit, Scripturæ plenitudinem, quæ mihi et factorem manifestat et facta. In Evangelio vero amplius et ministrum atque arbitrum rectoris invenio sermonem. An autem de aliqua subjacenti materia facta sint omnia, nusquam adhuc legi. Scriptum esse, doceat Hermogenis officina. Si non est scriptum, timeat væ illud, adjicientibus aut detrahentibus destinatum (8); et alibi: Non recipio, quod extra Scripturam de tuo profers (9). Ambrosius: Lego, quia primus est; lego, quia non est secundus. Illi, qui secundum aiunt, doceant lectione (10). Hieronymus: Ut hæc quæ scripta sunt non negamus, ita et ea, quæ non sunt scripta, renuimus. Natum Deum esse de Virgine, credimus, quia legi-*

(1) *Glaphyr. in Genes. lib. II, pag. 29, tom. I, op. 1638.*

(2) *Hom. adv. calumn. SS. Trinit. op. tom. II, pag. 611, edit. Bened.*

(3) *Deside, cap. I, tom. II, pag. 224.*

(4) *Lib. De cognit. Dei, apud Eutym. in Panoplia, part. I, tit. VIII, n. 4.*

(5) *Cat. IV, § 56, edit. Milles.*

(6) *Hom. LIX, al. LVIII, in Joan.*

*tom. VIII, pag. 546, edit. Bened.*

(7) Omisimus enim difficultates, quas Palmer communes habet cum Shuttleworth, quasque modo excussimus ac dissolvimus.

(8) *Advers. Hermog. cap. 22.*

(9) *De carne Christi cap. 8.*

(10) *De instit. Virgin. cap. 2, tom. II, pag. 265.*

*mus. Mariam nupsisse post partum, non credimus, quia non legimus* (1). Augustinus : *Quidquid inde audieritis; hoc vobis bene sapiat; quidquid extra est respuite* (2). Supervacaneum foret allegare Clementem Alex., Hippolytum, Cyprianum, Optatum, Hilarium, Vincentium Lirinensem, Anastasium, Prosperum, Theodoretum, Damascenum, Theophylactum, etc. quos collegerunt scriptores nostri (3). 4<sup>o</sup> Nec solum hæc erat Ecclesiæ primitivæ doctrina, sed eminentiorum etiam theologorum mediæ ævi doctrina fuit. Doctus Gersonius scribit : *Attendendum in examinatione doctrinarum primo et principaliter, si doctrina sit conformis sacræ Scripturæ... quoniam Scriptura nobis tradita est TANQUAM REGULA SUFFICIENS ET INFALLIBILIS pro regimine totius ecclesiastici corporis et membrorum usque in finem seculi. Est igitur talis ars, talis regula vel exemplar, cui se non conformans alia doctrina vel abjicienda est ut hæreticalis, aut suspecta, aut impertinens ad religionem prorsus est habenda* (4). Gregorius Arimin. : *Constat, quia quidlibet tale ut expressum secundum se continetur in S. Scriptura, vel ex contentis in ea deducitur; alioquin non ipsa sufficeret ad nostram salutem et nostræ defensionem fidei, quod est contra Augustinum* (5). Scotus : *Patet, quod S. Scriptura sufficienter continet doctrinam necessariam viatori* (6). Idem docent Rupertus Tuitiensis, Occamus, Cameracensis, Waldensis, Odo, Lyranus, etc. (7). Ergo.

389. Resp. *Neg. ant. seu min. subs.* Ad allegatas probationes, *Dist.* Patres adducti rejecerunt 1<sup>o</sup> aut traditiones ab hæreticis confictas ac fidei Ecclesiæ catholicæ adversantes, 2<sup>o</sup> aut interdum etiam *ad hominem* argumentum instituentes, 3<sup>o</sup> aut in particu-

(1) *Advers. Helvid.* opp. tom. iv, part. ii, pag. 141, edit. Bened.

(2) *Sermo de Past.* cap. 11, tom. v, pag. 238.

(3) Scilicet Usserius, in *Respons. ad Jesuitam*, cap. 2; Beveridge, *De xxxix artic.*; Tillotson, in *Regulis fidei*; Newman, *De Romanismo*, lect. viii.; Cary, *Testimonia Patrum.* ad xxxix

artic. *Art. vi.*

(4) *De exam. doct.* part. ii, cons. i.

(5) *In Sent.* dist. 1, q. 1, art. 2.

(6) *Proleg. i. Sent.* q. ii. opp. tom. v, pag. 1.

(7) Ita Palmer, cit. *Tract. de Eccles.* p. iii, cap. 1, vol. ii, cujus testimoniis nonnulla alia adjecimus.



laribus nonnullis controversiis, in quibus illis non indigebant traditionibus, *conc.*; absolute et in seusu, quo nos eas adstruimus, *neg.* Si tres ejusmodi regulæ præ oculis habeantur, difficile haud erit Patrum, quæ nobis objiciuntur, effata tanquam traditionibus adversantia disjicere. Quod ut clarius pateat, satis est eas singillatim applicare ad illa, quæ nobis opponuntur.

390. Ac 1<sup>o</sup> Origenes in objecto textu disserit de eo, quod Deus nobis non revelavit, at reservavit sibi, adeoque *tertiam Scripturam* nos requirere non debere ad curiositatem nostram pascendam de iis, quæ Deus scire nos noluit (1). Quid hoc commune habet cum traditionibus, quas ipse ubique adstruit adversus hæreticos (2)?

391. 2<sup>o</sup> Athanasius scribit, Scripturas satis esse ad veritatem indicandam, de qua agit, ad falsitatem scilicet ac stupiditatem idololatriæ evincendam, ad quod certe traditione opus non est (3). Igitur nec iste ad rem profertur (4).

392. 3<sup>o</sup> Theophilus insurgit adversus Origenem, eo quod juxta ipsum, Scriptura dimissa, imo contra Scripturæ auctoritatem, commentum suum effutierit de cessatione regni Christi aliquando futura (5). In quo nihil contra Traditionem.

(1) Sic enim prosequitur Origenes post allegata verba. *Neque enim in præsentī vita Deus scire nos omnia voluit, maxime cum et Apostolus dicat: Quia ex parte scimus, etc.*

(2) Sint exemplo, quæ scribit in lib. *De princip.* Præf. n. 2: *Servetur ecclesiastica prædicatio per successionis ordinem ab Apostolis tradita, et usque ad præsens in Ecclesiis permanens, etc.* edit. Maur. tom. 1, pag. 47.

(3) Insuper et ipse Athanasius in ipso loco nobis objecto subdit: *Extant quoque plurimi ea de re a beatis nostris magistris conscripti libri, quos si quis legerit, Scripturarum interpretationem quodammodo intelliget, etc.*

(4) Ac propterea applicatur secunda ex traditis regulis. Ceterum S. Athanasius in vita S. Antonii refert et approbat monitum S. Abbatis: *Καθαροὺς οὖν ἑαυτοὺς μᾶλλον ἀπὸ τούτων φυλάττειτε, καὶ τηρεῖτε τῆν τε τῶν πατέρων παράδοσιν. Vos itaque puros ab illis (hæreticis) custodite, servateque Patrum traditionem, edit. cit. tom. 1, part. II, pag. 862, n. 89.* Arianos in Nicæno Concilio traditione damnatos S. Athanasium retulisse, paulo ante vidimus.

(5) En Theophili verba, quæ immediate præcedant: *Equidem scire non possum, qua temeritate, Origenes tanta confingens, et non Scripturarum auctoritatem, sed suum errorem se-*



393. 4<sup>o</sup> Cyrillus Alex. loquitur de fabuloso angelorum cum fœminis congressu, de quo certe Scriptura non loquitur, neque ad hoc commentum refellendum traditione opus est (1).

394. 5<sup>o</sup> Basilius scribit, iis credendum esse, quæ scripta sunt, nempe quod *Deus erat Verbum*, quibus exploduntur, quæ calumniatores *de suo*, quodque scriptum non reperitur, obtrudebant: *Non erat, et non Deus*; in quibus Scripturæ directe adversabantur (2). Rursum sciscitamus, quid hoc cum traditione? In altero vero loco agendi rationem hæreticorum arguit Basilius, qui pro lubitu Scripturæ aut detrahebant aut adjiciebant ad falsas suas sententias adstruendas, prout et hæretici hodierni facere consueverunt (3).

395. 6<sup>o</sup> Nyssenus eos improbat, qui verba, Genes IX: *Venite, descendamus, et confundamus linguas eorum*, ad Angelos a Deo dicta autumabant; quod cum Scriptura non dicat, merito a Nysseno rejicitur (4).

396. 7<sup>o</sup> Cyrillus Hierosolym. illa habet per oppositionem, ut

*quens, ausus sit cunctis in medium nocitura proferre*, etc. Deinde eundem Origenem arguit, quod *Scripturarum auctoritate* nisus sit confirmare stoicorum dogma.

(1) Sic enim ibid. scribit S. Cyrillus: *Εἰκαιμοθοῦσι δὲ τινες, καὶ κατασοφίζονται τὸ χρῆμα, πιθανοῖς, ἅς οἴονται, λογιμοῖς τὸ ἀδύνατον ὑποκλίπτοντες· γεγονότα γὰρ ἐν ἀνδράσι τὰ πονηρὰ φασὶ δαιμόνια, δι' αὐτὰν εἰργάζετο τὰς τῶν σπερματῶν καταβολάς.* Id est, *Nugantur autem nonnulli, et vanis commentis rem involvunt, verisimilibus, ut arbitrantur, rationibus (non traditione), id quod impossibile est, palliantes. Illapsos enim dæmones in malos aiunt, ac per ipsos semina immissa, etc.*

(2) Addendum, hanc homiliam a

Maurinis editoribus rejectam esse in *appendicem*, seu inter opera, quæ *falso* S. Basilio adscripta sunt. Quod profecto Palmer ignorare non poterat; attamen velut genuinum S. Patris fœtum nobis obtrudit.

(3) Quinimo profitetur sibi hic proposuisse S. Basilius solis Scripturarum verbis exponere fidem, de qua agit; n. 5, inculcat, in fidei negotio recedendum haud esse a *Sanctorum traditione et institutis*.

(4) Ita enim legitur loc. cit.: *Quod si Angelos ministros allocutum responderis, sive omnes, quod absurdum est, sive paucos dixeris, cum id nullo Scripturæ, etc.* Prostat porro hoc opus Euthymii etiam in *Biblioth. Patr.* edit. Lugd. 1677, tom. XIX, pag. 49.

ibidem subdit, ad *disputationem commentitiam*, non autem ad traditionem, quam acriter propugnat (1).

397. 8° Joannes Chrysost. de illis loquitur, qui aut Scripturam respuebant, aut illa abutebantur, uti antichristi et hæretici (2). Scripturæ errare nos minime sinunt sub Ecclesiæ magisterio.

398. 9° Tertullianus adorat *Scripturæ plenitudinem*, in quæstione adversus Hermogenem de rerum creatione ex nihilo. In altero autem loco rejicit, quod *de suo* seu ex proprio penu Marcion adjiciebat. Ceterum nemo forsán validius Tertulliano traditiones adversus hæreticos protuetur (3).

399. 10° Ambrosius legit in Scripturis, Christum esse altitudinem divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei; non legit autem secundum, inhiandum nempe esse hujus seculi divitiis cum salutis propriæ dispendio (4). Adversarius autem noster hoc *secundum* intelligit de Traditione. Judicet lector de bona illius fide.

400. 11° Hieronymus jure merito respuit Helvidii blasphemiam de Mariæ nuptiis post partum, cum hoc neque Scripturæ neque Traditionis auctoritati innixus, nebulo ille, sed cerebro suo gratis effutierit.

401. 12° Augustinus jubet respuere, quidquid extra Scripturam est, id est, quidquid Scripturæ refragatur, nec provenit

(1) Satis est legere contextum, ut germana S. Cyrilli mens appareat. Ceterum cum hæreticus calvinianus Rivetus hæc ipsa objecerit ex S. Cyrillo, quæ objicit iterum hic Palmer ad adstruendam *Scripturæ sufficientiam*, cfr. quæ copiose et erudite ad Rivetum refellendum habet Toutteus, in dissert. III, *De doctrina S. Cyrilli*, cap. 13, n. 101 et seqq. *De jungenda Scripturæ traditionis et Ecclesiæ auctoritate*. Hac fortasse de causa Palmer prudenter non allegat editionem Benedictinam.

(2) Paulo ante in eodem num. S. Joan. Chrysostomus significat, quinam sint, qui non utantur Scripturis, seu non

ingredientur per ostium, sed fures sint ac latrones, scribens: *Hic porro et qui fuerunt, et qui futuri erant, indicat (Christus) Antichristum, falsos Christos, Judam et Theudam, et alios hujusmodi*. Quid senserit Chrysostomus de traditionibus, paulo ante diximus.

(3) Cfr. P. La Cerda, in objecta Tertulliani loca.

(4) Etenim S. Ambrosius, n. 70, cum attulisset ex *Eccles. IV*: *Cujus oculus non satiatur divitiis*, hæc applicavit Christo, in quo est altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, etc. et affirmavit, Christo adhærendum esse, non seculi divitiis inhærendum.

*ex illis fontibus, ex quibus, ut ipse loquitur, manaverunt rivi prædicationis evangelicæ, cum in omnem terram exivit sonus eorum* (1).

402. Certe post hæc supervacaneum est alios adducere veluti traditionibus dogmaticis adversantes, quoniam ad canones superius constitutos si redigantur illarum dicta, eadem ratione dissolventur, prout jamdiu a Catholicis præstitum est adversus illos, qui traditiones impugnarunt, quique laudantur ab adversario nostro (2).

403. Ad 4<sup>m</sup>, *Neg.* Etenim Gersonius nihil aliud sibi vult in objecto loco, quam doctrinas aut revelationes privatas ad Scripturas exigendas esse, ut ex illarum conformitate aut difformitate cum Scripturis seu veræ admittantur, aut uti suspectæ, falsæ aut erroneæ respuantur, cum Scriptura sufficiens ac infallibilis regula sit, quatenus aut mediate aut immediate veritates continet omnes. Hanc esse ejus mentem, tum ex orationis serie patet, tum ex apertis ejus verbis, quibus Traditionem divinam ac dogmaticam a Scripturis distinctam ipsis commendat (3).

(1) Opponit præterea S. Doctores bonos, id est, qui non solum bene docent, sed faciunt præterea, quæ docent, malis pastoribus, qui dicunt et non faciunt, seu male operantur; adhortatur propterea oves, ne sinant se a malis istis pastoribus decipi, imitantes mala ipsorum opera, sed attendant ad ipsorum dicta, imo et ad Scripturarum doctrinam, in qua inveniunt nihil venenosum, nihil alienum ad uberissima pasqua. Itaque in objectis verbis non opponit Scripturam traditioni, sed malis pastoris operibus. En novum specimen sinceræ fidei adversarii nostri.

(2) Cfr. propterea adversus illos, quos Palmer recenset, si Newman excipias, qui nihil novi in hoc argumento protulit, Walemburgici, in cit. Tractatu, *De testimoniis seu de traditionibus,*

ubi singula ab hæreticis allata Patrum testimonia accurate expendunt; nec non Toutteus, in edit. opp. S. Cyrilli; Maran, in præf. opp. S. Justini; Gretzerus, tum in tract. *De questione, unde scis, hunc vel illum esse sincerum et legitimum Scripturæ sensum?* cap. 5, tum in *Examine tertiæ disputationis Pappicæ de sac. Scripturæ sufficientia*, tum denique in opusc. *Trophæum Pappicum constat Quinquaginta axiomatis, quorum pleraque sunt mendacia; quibus post verba D. Augustini subjunguntur alia mendacia, ut principium respondeat fini.* Opp. cit. edit. tom. VIII. In his porro auctoribus comperiet Palmer, omnia fuisse præoccupata ac soluta, quæ a suis auctoribus adversus Traditionem prolata sunt.

(3) Sane in *Declaratione veritatum,*



404. Gregorius porro Ariminensis eatenus contendit in Scriptura aut formaliter sive expresse veritates ad salutem necessarias contineri, aut ex ea mediate deduci, quatenus humanas excludit ratiocinationes, quæ non innituntur revelationi, sed solius rationis principiis, atque has veritates solius rationis ope deductas non theologice, sed philosophice tantum probari affirmat, nimirum ad philosophiam, non autem ad theologiam spectare (1).

405. Scotus pariter affirmat, quod et nos dicimus, veritates omnes ad salutem viatori necessarias in Scripturis contineri vel mediate vel immediate, quia illæ veritates, quæ expresse in Scripturis non habentur, continentur in Traditione, ad quam Scripturæ nos remittunt. Sane Scotus alibi scribit, plures fidei veritates haberi, quæ per solam traditionem ad nos pervenerunt (2).

quæ in edit. Du Pinii invenitur immediate post tract. *De examine doctrinar.*, in gradu secundo, pag. 22, hæc scribit Gersonius: *Secundus gradus est veritatum ab Ecclesia determinatarum, quæ ab indubitata relatione Apostolorum per successionem continuam deventerunt. Est autem hæc Ecclesiæ auctoritas tanta, ut diceret Augustinus: Evangelio non crederem, etc. Quamquam vicissim dici possit, Ecclesiæ non crederem, si non auctoritas Scripturæ impelleret. Et ita diversis respectibus auctoritas utraque mutuo se confirmat.* Cfr. præterea in *Propositionibus de sensu litterali sac. Scripturæ*, ibid. pag. 2, ubi scribit: *Quod Evangelium Marci sit Evangelium Christi plus quam Evangelium S. Thomæ vel Nicodemi credimus ex traditione Ecclesiæ.* Et alibi passim eadem inculcat.

(1) Hic est scopus totius articuli secundi, quem sic resolvit: *Respondeo,*

*quod discursus proprie theologicus est, qui constat ex dictis sive propositionibus in sacra Scriptura contentis, vel ex his quæ deducuntur ex eis, vel saltem ex altera hujus.* Itaque, ut patet, Gregorius Arim. non opponit Scripturam Traditioni, sed humanæ rationi; alioquin, ut ibidem docet, Theologia non esset scientia divina, sed humana. Et sane nemo fortasse ex veteribus scholasticis magis urget S. Augustini auctoritatem quam Gregorius.

(2) Etenim, lib. 1, dist. 11, q. 1, edit. Antverp. 1620, tom. 1, pag. 210, hæc scribit, quæ si vidisset Palmer nunquam auctoritatem Scoti nobis objecisset: *Dico, quod Christum descendisse ad inferna, non docetur in Evangelio; et tamen tenendum est sicut articulus fidei, quia ponitur in symbolo Apostolorum; ita multa alia de Sacramentis Ecclesiæ non sunt expressa in Evangelio, et tamen Ecclesia tenet, illa esse tradita certitudina-*

406. Eodem sensu Rupertus Tuitiensis, Occamus, Camera-censis, Waldensis, Lyranus aliique locuti sunt, quorum testimonia cum adversarius singillatim non allegaverit, ideo ab iis expendendis supersedemus. Ex analogia enim in eandem plane conclusionem deducimur.

407. Ex his specimen datur sollicitudinis adversariorum Ecclesiæ catholicæ in corrogandis nonnullis Patrum effatis a contextu divulsis, ut sibi blandiantur atque aliis illudant, cum persuadere nituntur, Patres divinarum Traditionum auctoritatem non admisisse; dum eas in suis operibus ubique apertissime adstruunt, pugnantes adversus hæreticos, quos etiam perpetuo provocant ad doctrinam in Ecclesia universa receptam, quæ cum Traditione, ut inferius dicemus, identificatur. Animadvertimus præterea, Patres, ex quibus hæc objecta sunt, *eos ipsos esse*, quos Shuttleworth *in praxi saltem traditionem admisisse*, fatetur, quasi nempe apud illos praxis a fide discrepasset.

#### DIFFICULTATES.

##### *Ex natura et incommodis traditionis.*

408. Obj. prima. Dato etiam, non omnia, quæ Apostoli prædicarunt scriptis esse consignata, non aliud sequitur, quam revelationem divinæ voluntatis ad nos minime pervenisse. Stultum quippe est sibi persuadere, intemeratam ad nos usque ejusmodi

*liter ab Apostolis; et periculosum esset errare circa illa, quæ non tantum ab Apostolis descendunt per scripta, sed etiam quæ per consuetudinem universalis Ecclesiæ tenenda sunt... Multa igitur docuit eos Spiritus S., quæ non sunt scripta in Evangelio, et illa multa quædam per Scripturam, quædam per consuetudinem tradiderunt. Hæc pauca verba totum labefactant Palmerii sys-*

tema. Oh! quam melius scriptor iste ingenium et cognitiones, quibus pollet, consecrasset fovendæ unioni inter ecclesiam *anglo-catholicam*, ut ipse vocat, et Ecclesiam vere et unice catholicam, nempe Romanam! Meliorem profecto exitam habuissent ejus labores; contra vero, ut ceteris acatholicis omnibus jam contigit, oleum et operam perdidit in hac Ecclesia oppugnanda.



revelationem traditione orali pervenisse tot inter hæreses, quæ decem et octo seculorum tractu exortæ sunt. Sane medio ævo, atque ætate præsertim Innocentii III et Alexandri VI, quis sibi persuadeat, puras Ecclesiæ Traditiones viguisse (1)? Ubinam igitur in tanta corruptionum et obscuritatum fœditate, in qua Europa jacebat universa, verus servabatur christianismus? Profecto *in Scripturis, et in Scripturis tantum* (2). Igitur restat, ut alterutrum fateamur, aut ab initio revelationem Scripturæ quidem et Traditioni consignatam fuisse, atque hac Traditione medio ævo deperdita revelationem nonnisi in Scriptura sola superfuisse, aut Novum Testamentum *integram esse, plenam ac sufficientem Dei voluntatis manifestationem fideique summarium*. Posterius vero hoc longe verisimilius videtur; nam, ut *meræ orales communicationes* verbo Dei scripto æquari possint, necesse est validioribus, quo fieri potest, externis testibus eas adstrui; quod tamen incredibile est, attenda doctrinalium traditionum natura, quæ de ore in os progredientes iis modificationibus subjiciuntur, quas ex hominum ideis ac locutionibus subeant oportet. Ecquis unquam has appellaverit revelationem (3)? Quidquid pro traditionibus affertur, in quæstionem

(1) Ita Shuttleworth, op. cit. pag. 34 et seqq. quibus jam præmiserat et ipse, ut factum vidimus a Palmerio, quod, si Scriptura non omnia ad salutem necessaria contineret, foret ipsa *incompleta* et indigeret *supplemento*; quasi nempe Evangelium Matthæi fuerit *incompletum*, eo quod non omnia scripserit, quæ postea scripserunt Marcus et Lucas; aut istorum pariter Evangelia essent *incompleta*, eo quod litteris non consignaverint, quæ postea consignavit Joannes, et ita porro. Deinde recurrit et ipse ad loca communia, nempe ad abusum indulgentiarum, ad credulitatem universæ Europæ medio ævo, etc. etc.

(2) Ibid. pag. 36. Ex quo infert, vivificationem christianismi acceptam referri debere *Reformationi*, Protestantiumque adhæsiōni iis, quæ scripta invenerunt, ac profectum modernum scientiæ theologicæ. Infelix homo! Interroget Dammum, Semlerum, Tellerum, Eichornium, Baverum, Woltmannum, Paulusium, Straußium aliosque pene innumeros reformationis sectatores, quid demum factum sit de Scripturis et revelatione in reformatione. Verum de hoc argumento ex professo agemus in parte II, ubi etiam expendemus, quod hic asseritur, de profectu moderno scientiæ theologicæ.

(3) Ibid. pag. 37. Et hic amare que-



venit. Non aliunde suam hæc originem traxit persuasio, quam ab inanibus timoribus conceptis ex desiderio favorem divinum obtinendi, cujus intentiones postea ab antiquitate consecratae sunt. Ceterum nihil aliud traditiones sunt præter quam *practicæ aberrationes* a puritate et integritate doctrinarum christianarum, quæ labente tempore incrementum accipientes constituerunt *papismum in deteriori tenebrosiorique forma* (1). Ergo.

409. Resp. *Neg.* illud consequi, quod adversarius autumat. Posito enim, quod Christus revelationem suam ad homines transmittere decreverit partim scriptis partim viva voce, ipsius jam erat eam incorruptam servare, tum scilicet eam partem, quam scriptis committi voluit, tum eam, quam voluit ore tenus propagari. Deo enim alterum altero difficilius non est. Fatetur sane adversarius, Dei prodigio factum esse, ut Scripturæ sacræ integræ conservarentur; cur igitur efficere Deus nequiverit, ut integræ pariter servarentur Traditiones (2)?

ritur, quod hanc assertionem audiverit in ambitu ipso Ecclesiæ suæ (*anglo-catholicæ!*)

(1) Ibid. pag. 39, 40.

(2) Pag. 39. Sed præstat refellere Shuttleworth verbis ipsis auctoris non suspecti, ejusque collegæ, nempe Palmerii, qui in tractatu cit. *De Ecclesia*, vol. II, part. III, cap. I, pag. 20 et seqq. cum sibi proposuisset argumentum ex *insufficientia traditionis*, scribit: *Alias oppositum fuit, traditionem non scriptam obnoxiam esse corruptioni, ac improbabile omnino esse, quod Deus voluerit committere revelationem suam modo adeo incerto transmissionis.* Respondet autem: *Equidem, si traditio christiana esset omnino non scripta, id est, si scripta non inspirata non superessent, quæ sufficienter testentur universalem chri-*

*stianorum fidem ab ætate apostolica, haud ægre admitti posset, traditionem solam fore probationem incertam doctrinæ christianæ. Ast non videtur ulla inveniri impossibilitas a natura traditionis, quod aliquæ veritates revelatæ potuerint illius ope transmitti, divinæ gratiæ subsidio. Sane, si nos insistimus incertitudini traditionis in genere, potest id consecutiones parere valde graves, quoniam authenticitas et genuinitas sac. Scripturæ librorum innituntur (tandem aliquando fatetur), in gradu haud parum notabili, testimonio traditionis primitivæ. Id asseritur ab Hookero, Witakero, Lardnero, Paleyo, etc. etc.; et pag. 48. Si testimonium primitivorum doctorum christianorum in hac facti quæstione rejicitur, externæ probationes christianæ religionis destruuntur.*

410. Verum cum tota difficultas ex præpostera oriatur traditionis notione, hac depurgata, difficultas evanescit. Existimat porro adversarius, Traditionis nomine nos quasdam significare, ut ita loquar, verborum formulas, quæ alicui individuo primum commissæ, ab eo ad aliud aut alia individua fuerint pariter transmissæ, et ita deinceps. Ast in hoc vehementer errat. Traditionis siquidem divinæ ac dogmaticæ nomine Catholici complexum significant illarum veritatum seu doctrinæ illius, quæ viva voce ab Apostolis Christi nomine prædicata est, nec ab auctoribus hagiographis fuit litteris consignata, conservata tamen est vivo Ecclesiæ magisterio, cui commissa est. Quapropter non individuis seorsum sumptis, sed Ecclesiæ pastoribus ab Apostolis institutis doctrina ejusmodi consignata fuit, seu totius Ecclesiæ corpori, quod, ut suo loco ostendimus, a Christo infallibilitatis atque indefectibilitatis dotem seu prærogativam accepit. Ecclesia autem multiplici ratione, ut paulo post ostendemus, eam conservavit transmitteque ad nos usque, et inde conservabit atque transmittet usque ad seculi consummationem, prout ipsa circa canonicos Libros præstitit. Hoc solum Scripturam inter et Traditionem intercedit discrimen, quod Scripturæ, in quibus veritates revelatæ continentur, sint divinitus inspiratæ, saltem quoad res et sententias; Traditio, seu verius media per quæ veritates pariter revelatæ ad nos transmissæ sunt, non item (1). Ex his patet, identificari dogmaticas divinas traditiones cum viginti semper Ecclesiæ universæ doctrina (2). Propterea eadem ratione,

(1) Etiam Palmer eodem modo huic objectioni respondet. Etenim, pag. 57, scribit: *Nos respondemus omnibus eorum argumentis, nos haud appellare ad Patres veluti ad Scriptores inspiratos, sed tanquam ad idoneos testes fidei, quam profitebantur christiani illorum ætate.* Exinde corruunt ea omnia, quæ fusiori stylo Shuttleworth scribit, de Patrum erroribus, de differentia inter auctores biblicos et Patres, etc. etc.

quæ sunt totidem næniæ.

(2) Jam opposuimus Shuttleworthio verba Palmer; nunc circa notionem traditionis in sensu catholicorum opponimus eidem verba Newman, qui in op. cit. *Lectiones de Romanismo et Protestantismo*, lect. 1, pag. 6, hæc in rem nostram scribit: *Ipsi (Romanistæ) haud Scripturam rejiciunt, imo forte magis ei addicti sunt, quam quilibet protestans; ast tenent, ipsam minime solum*

qua infallibilitas Ecclesiæ requiritur, ut certi efficiamur certitudine fidei de canone atque inspiratione sacrorum Bibliorum, ita supponi pariter hæc infallibilitas debet in conservatione dogmaticæ divinæ Traditionis, cum totius verbi Dei custos et depositaria a Christo fuerit Ecclesia constituta. Hinc nulla urgeri potest difficultas adversus integritatem divinæ ejusmodi Traditionis, quæ intorqueri adversus sacrorum Librorum integritatem non possit; nec ulla potest assignari ratio, quare Ecclesia infallibilis fuerit ac sit in conservando verbo Dei scripto, fallibilis vero haberi debeat in conservando secernendoque verbo Dei tradito. Quacumque se adversarii vertant, nunquam se poterunt ab hoc argumento expedire. Ad utrumque quidem munus divino subsidio Ecclesiæ opus est; at illud pollicitus est ei Christus, cum dixit discipulis suis: *Euntes, docete .. Ecce, ego vobiscum sum* (docentibus) *usque ad consummationem seculi.*

411. His positis, jam sponte sua concidunt, quæ ab adversario congesta sunt, quin ea singillatim persequamur. Sane, hoc ipso quod hæreses omnes, quæ octodecim seculorum tractu extortæ sunt, fuerint omnes ab Ecclesia catholica damnatæ ex hoc solo principio, quod doctrinæ suæ divinitus acceptæ adversarentur, liquet, quomodo intemeratæ dogmaticæ traditiones fuerint conservatæ.

412. Quærimus deinde ab adversario, num medio ævo perierit Ecclesia; si id ipse affirmet, quomodo ostendet, intemeratas sine Ecclesia conservatas fuisse divinas Scripturas? Ridiculum autem esset adserere conservatum fuisse christianismum sine Ecclesia; quid enim est christianismus nisi Ecclesia a Christo instituta? num christianismus in charta et in papyro consistit?

*esse verbum Dei. Contendunt systema doctrinæ suæ descendere perinde ac Scripturam ab Apostolis, quoniam si istæ amitterentur, non idcirco periret revelatio. Jam vero ad refellendos Romanistas opus est eos probe intelligere. Traditionis nomine ipsi significant universum fidei systema ac regulas, quas receperunt a generatione præcedente, hæc vero*

*ab altera et ita porro. Ejusmodi traditiones in rerum temporalium negotio existunt profecto; hoc sensu traditio est mos seu consuetudo uniformis. Hinc cum Romanenses asserunt, se traditioni adherere, significant, se credere et operari, prout christiani semper crediderunt et operati sunt (pag. 27, 39).*



413. Itaque neutra periit, neque Scriptura sacra, neque dogmatica Traditio; et ideo utraque conservata est, quia nunquam Ecclesia juxta æternas Christi promissiones defecit. Quibus autem ineluctabilibus argumentis ostenditur, mere *orales communicationes* puras permansisse, iisdem plane demonstratur puras permansisse Scripturas sacras, juxta sensum quem modo exposuimus, non autem juxta adversarii figmentum de natura doctrinarum traditionalium humanarum. Quod si eæ ab ideis locutionibusque hominum patiuntur modificationes, hæ non attingunt veritates ipsas traditionales, sed modum eas exprimendi, seu formas, ut vocant, pro veritatum ipsarum evolutione (1). Falsum porro est, in quæstionem venire, quidquid pro traditionibus affertur, dummodo rite traditiones, quas adstruimus, intelligantur.

414. Quod demum adjicitur ab adversario, de traditionum origine earumque effectu, de penu suo depromptum est hario-lando potius quam demonstrando. Piget vero hac ætate viros doctos et graves audire adhuc ingerentes accusationes de *papismo*, quem vocant, *cum sua deteriori forma*. Quid enim *papismi* nomine significant, nisi *Ecclesiam catholicam*, cui Christus in Petro ejusque legitimis successoribus caput præfecit, a quo regetur, quodque, ut suo loco ostendimus, universa agnovit antiquitas? Merito proinde τοῦ ἀλογισμοῦ arguitur nova Oxoniensis schola, quæ, cum propugnet divinas traditiones, aliaque plura dogmata a Protestantibus rejecta denuo admittat (2), pergit tamen inficiari divinum Rom. Pontificis primatum, de quo non minus luculenter præter Scripturam antiqua Traditio universa testatur (3). Licet tamen sperare, quod et votis omnibus optamus, non defuturos, qui et hunc fidei articulum una cum ceteris adstruant. Ostium apertum est, cetera, Deo opitulante, exinde procedent.

(1) Cfr. Moehler, *Symbolique*, tom. II, § 40.

(2) Atque hinc factum est, ut *Puseysmus* delinitus apte fuerit *Papismus sine Papa*. Ephem. *Union catholique*, 14 Décembre 1841.

(3) Recolantur, quæ scripsimus in parte hujus tractatus prima, sect. II, cap. I, prop. I, II et III, p. 297, 337 et seq. et iterum cap. II, prop. I, II et III, p. 363 et seq.

415. Obj. secunda. 1<sup>o</sup> Patres, utpote errori obnoxii, nequiverunt puram ad nos Traditionem transmittere. 2<sup>o</sup> Eo magis quod Patres criticismo plane destituti fuerint, ut ex illorum patet scriptorum apocryphorum allegationibus. 3<sup>o</sup> Haud paucæ innovationes a Patrum ætate introduci cœperunt, quæ rapido deinceps cursu creverunt; exinde enim institutum monasticum, sacrificium, adoratio reliquiarum, exorcismi aliaque ejusmodi originem habuerunt. 4<sup>o</sup> Nec obstat, illud solum uti infallibile tenendum, *quod semper ubique ab omnibus* receptum est juxta Vincentii Lirinensis canonem; ecquid enim est, quod ita receptum censi debeat? 5<sup>o</sup> Cum vero nimis extollere Traditionem perinde sit atque Scripturam deprimere, prout contigit in Ecclesia Romana, satis erit profiteri quemdam erga antiquitatem reverentiæ et grati animi sensum (1).

416. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Dist.* Ita tamen ut testimonium Patrum sit unum ex mediis, per quæ nobis Traditio innotescit, *conc.*; unicum, *neg.* Laborat itaque adversarii difficultas vitio haud exiguo, quod Catholici videlicet Patrum testimonium unicum esse doceant Traditionis transmittendæ medium, atque eam cognoscendi, quod tamen falsum est. Nos plura alia præterea assignabimus. Licet igitur Patres singillatim sumpti errori obnoxii fuerint, inferri non potest, idoneos illos testes non esse fidei doctrinæ, quæ illorum ætate in Ecclesia vigeat, præsertim si unanimi id consensione testentur. Hæc porro doctrina ea est, quam nos Traditionem dogmaticam vocamus, quæque et ex Patrum testimonio et ex aliis mediis ad nos pervenit nobisque innotescit.

417. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Cui criticismi defectui, si quis fuit, aliis suppleri mediis potest, *conc.*; suppleri nequit, *neg.* Etsi enim daremus adversario, nonnullos Patres hoc defectu laborasse, perperam inde concludit, haud potuisse ipsos puram ad nos Traditionem transmittere; ad hoc quippe efficiendum magna criticismi dote opus non est. Satis nobis est, ut ii patefaciant doctrinam, quæ circa peculiarem aliquem articulum sua ætate in Ecclesia obtinebat. Verum, etiamsi in hoc decipi seorsum sumpti potuissent,

(1) Ita rursus Shuttleworth, a pag. 49 ad 71.



abunde illorum deceptioni aliis mediis suppletur. Quando Patres aliqui interdum allegant nonnulla apocrypha scripta, propriam opinionem manifestant, non autem sensum Ecclesiæ. Imo ex hoc perspicuum fit, Ecclesiæ doctrinam minime a privati cujusque individui pendere sententia.

418. Ad 3<sup>m</sup>, *Dist.* Innovationes *ex mente adversarii* Patrum ætate introduci cœperunt, *conc.*; in se, *neg.* Quas adversarius innovationes vocat, quæque IV potissimum et V seculo incrementum acceperunt, totidem fidei dogmata sunt, aut Ecclesiæ doctrina, cujus longe anteriora his seculis documenta prostant. Ut enim monasticum omittamus institutum, quod ad disciplinam tantum spectat, Sacrificii aperta mentio occurrit apud apostolicos Patres et apud Irenæum, qui testatur, in Ecclesia illud obtinuisse per universum terrarum orbem, ipso fatente Grabio, ut suo loco ostendimus (1). Sic *adorationis*, idest, *venerationis* reliquiarum mentio habetur in actis SS. Ignatii et Polycarpi (2); exorcismorum usum ab *antiquissima* ætate repetit S. Augustinus (3). Parum igitur *criticum* se prodit adversarius, dum obtrudit uti innovationes IV aut V seculi doctrinæ articulos, qui ab ætate ipsa apostolica obtinebant. Ex hoc vero colligimus, catholicam Ecclesiam his seculis integrum christianismum seu plenam christianam doctrinam tenuisse, prout et eam adhuc retinet, retinebitque in seculi finem; protestantismum autem cum sua negativa natura vix christianismi larvam et umbram retinere.

419. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Si Vincentianus canon *positive* intelligatur, *trans.*; si *negative*, *neg.* Suo enim loco ostendimus, hunc et non alium sensum esse objecti canonis, nempe illud quidem esse catholicum, *quod semper, quod ubique, quod ab omnibus* retentum est; ast non e converso, ita ut nihil admitti debeat uti fidei dogma Ecclesiæ catholicæ, quod nec semper nec ubique neque ab

(1) In tract. *De Euchar.* part. II, cap. 1, prop. II, n. 270 t. VI, p. 283.

(2) Recolantur, quæ scripsimus in tract. *De cultu Sanctor.* cap. IV, n. 86 et seqq. t. IV, p. 381 et seqq.

(3) *De nupt. et concupisc.* lib. II, cap. 29, n. 51; *Cont. Julian. Pelag.* lib. VI, cap. 5, n. 11; *Op. imperf. cont. Julian.* lib. I, cap. 4, et alibi passim.



omnibus fuerit admissum. Hoc illustravimus exemplo petito ex libris deutero-canonicis, quibus certe hic canon applicari non potest; attamen uti canonici ac divini nunc ab Ecclesia catholica habentur (1).

(1) Cfr. quæ scripsimus de hoc Vincentiano effato, in tract. *De vera Relig.* part. II, prop. III, n. 56, p. 228, cum nota apposita. Quoniam vero adversarius nobis objecit auctoritatem Vincentii Lirinensis, ut solam Scripturam veluti credendorum adæquatam regulam constituat, liceat nobis etiam proferre Vincentii verba, quibus adversarius obruitur. Sic igitur in cit. *Commonitorio*, cap. xxv, scribit: *Hic fortasse aliquis interroget, an et hæretici divinæ Scripturæ testimoniis utantur? Utuntur plane, et vehementer quidem. Nam videas eos volare per singula quæque sanctæ legis volumina, per Moysis, per Regum libros, per Psalmos, per Apostolos, per Evangelia, per Prophetas. Sive enim apud suos, sive alienos, sive privatim, sive publice, sive in sermonibus, sive in libris, sive in conviviis, sive in plateis, nihil unquam pene de suo proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur... Cum cæperint divinas illas voces non jam proferre tantum, sed etiam interpretari, tunc amaritudo illa, tunc acerbitas, tunc rabies intelligitur, tunc novitium virus exhalabitur; tunc primum scindi sepem videas, tunc transferri Patrum terminos; tunc catholicam fidem cædi, tunc ecclesiasticum dogma lacerari... Nam sicut tunc caput (Diabolus) capiti (Christo), ita nunc quoque membra membris loquuntur, membra scilicet diaboli mem-*

*bris Christi, perfidi fidelibus, sacrilegi religiosis, hæretici postremo catholicis. Sed quid tandem dicunt? Si, inquit, filius Dei es, mitte te deorsum, hoc est, si filius esse vis Dei, et hæreditatem regni cælestis accipere, mitte te deorsum, id est, ex istius te sublimis Ecclesiæ, quæ etiam templum Dei putatur, doctrina et traditione dimitte. Ac si quis interroget quempiam hæreticorum sibi talia persuadentem: Unde probas, unde doces, quod Ecclesiæ catholicæ universalem et antiquam fidem dimittere debeam, statim ille: Scriptum est enim. Et continuo mille testimonia, mille exempla, mille auctoritates parat de Lege, de Psalmis, de Apostolis, de Prophetis, quibus novo et malo modo interpretatis, ex arce catholica in hæreseos barathrum infelix anima præcipitur. Totum describi deberet, si omnia, quæ pulcherrime habet Vincentius de necessitate adhærendi catholicæ Ecclesiæ Traditioni et doctrinæ, afferre quis vellet. Hic vero omittere non possumus, recens opus a Newman editum sub titulo *The Church of the Fathers*, seu *Ecclesia Patrum*, Londin. 1840, in quo cum plurima de Traditionis auctoritate habet, tum præsertim integrum caput X de Vincentio Lirinensi, ejusque circa Traditionem doctrina, pag. 165-196. Proclamat porro Newman eo loci, catholicam Traditionem fuisse re vera fundamentum, super quo antiquis tem-*

420. Ad 5<sup>m</sup>, Resp. postremam hanc difficultatem ad receptas Protestantium strophas atque calumnias esse referendam. Ecclesia enim Romana seu catholica adeo non deprimit Scripturas, ut iis in omnibus utatur, easque perpetuo commendet, eas sola integras servaverit, illarum editionem, quoad ejus fieri poterat, absolutissimam ediderit, damnaveritque Protestantes eas mutilare volentes. Verum non est, cur putida hæc prolixius persequamur (1). Illud dumtaxat animadvertimus, adversarium inconstantiam suam patefacere, dum agnoscit, erga antiquitatem profitendum esse reverentiæ et grati animi sensum, cum tamen juxta ipsum antiquitas in causa extiterit errorum omnium *tenebricosi papismi*. Quomodo hæc inter se componantur, ipse viderit.

421. Dices : Saltem in dubio de vero Scripturarum sensu, satis erit confugere ad *analogiam fidei*, quin necesse sit ad Traditionem recurrere.

422. Resp. *Dist.* Quando fides certo sancita est a legitima Ecclesiæ auctoritate, *trans.* vel *conc.*; quamdiu ista incerta est ac fluctuat, *neg.* Catholici non abnuunt confugere ad analogiam fidei, cum de obscuro aliquo agitur Scripturæ textu, ad eum nempe exponendum juxta certam normam illam, quam ab Ecclesiæ habent auctoritate. Verum Protestantes ad illam se recipere

*poribus servatum fuit strictum orthodoxiæ depositum*, pag. 174. Id que exemplis Ambrosii, Gregorii Naziaz., Athanasii, Hilarii, cæterorum Patrum confirmat, sed præsertim testimonio Lirinensis, cujus per plures paginas verba luculentissima profert, ac summis laudibus extollit. Sed hæc nimis jam sunt ad inanes Shuttleworthii ictus retundendos.

(1) Discrimen ingens inter venerationem, quam quovis tempore Catholici erga Scripturam sacram professi sunt, et sentiendi rationem seu potius contemptum, quem pariter quovis tempore circa eandem hæretici tenuerunt,

fuse persequitur doctus P. Cherubinus a S. Joseph, in *Dissertat. proœmiali sui Apparatus biblici, Digressio secunda, in qua agitur de ignorantia Scripturæ, quam catholicis objicere solent hæretici nostri*, sect. 1 et seqq. et art. 12, *Hæreticorum contemptus circa sac. Scripturam*; incipit porro a Simone mago omnium hæreticorum parente, et prolatis semper documentis, rem continenter ducit ad Lutherum, Calvinum atque utriusque asseclas usque ad ætatem suam. Capax porro esset hoc argumentum magni supplementi. Cfr. P. Cherubinus, tom. 1, pag. 125 et seqq. et pag. 229 et seqq.



non possunt, tum quia 1<sup>o</sup> nunquam inter eos convenit de communi aliqua fidei professione, neque ex eorum principio convenire unquam poterunt; tum quia 2<sup>o</sup> secta quælibet ad fidem illam peculiarem confugeret, quam sectatur, adeoque Anabaptistæ ex. gr. Sociniani, Methodistæ, Quackeri, etc. ex hoc principio Scripturas exponerent cohærenter ad suos errores; tum denique 3<sup>o</sup> quia nec individua singula Protestantium semper consistunt in eadem fidei professione, cum hodie abjiciant, quod hesternæ die fide tenuerunt. Ita enim necessario fert indoles negativa protestantismi (1).

## CAPUT II.

DE MEDIIS GENERALIBUS, QUIBUS TRANSMISSA EST PRIMITIVA DOGMATICA TRADITIO, QUIBUSQUE TUTO COGNOSCI POTEST.

423. Jam ab ipso hujus sectionis initio animadvertimus, haud esse permiscendam Traditionem dogmaticam, de qua agimus, seu potius hujusmodi Traditionis objectum, cum mediis, per quæ istud ad nos pervenit, aut quibus pervenisse nobis innotescit. Fieri enim potest, ut Traditio quidem viva voce transmissa fuerit, nec tamen integra ad nos usque promanaverit, pluribus saltem erroribus commaculata, uti reipsa Traditionis osiores affirmant, quod paulo ante vidimus. Operæ pretium exigit, ut postremum hoc effugium adversariis eripiamus.

424. Jam vero inter hæc media alia sunt generalia, alia vero particularia, seu quæ peculiaribus documentis ostendunt, quid

(1) In quo Protestantes plane cum antiquis illis hæreticis conveniunt, de quibus sic scribit S. Irenæus, *Cont. hæres.* lib. v, cap. 20: *Et Ecclesiæ quidem prædicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur... Qui relinquunt præconium Ecclesiæ, imperitiam sanctorum Presbyterorum ar-*

*guunt... Tales sunt autem omnes hæretici, qui se plus aliquid præter veritatem invenire putant; sequentes ea, quæ prædicta sunt, varie, et multiformiter, et imbecille facientes iter, de iisdem non semper easdem sententias habentes, velut cæci a cæcis circumducuntur. Ita bonus Pater.*



Ecclesia quovis tempore crediderit. De prioribus in hoc capite, de posterioribus in sequenti agemus.

425. Inter media, quæ generalia nuncupavimus, publicum ac perenne Ecclesiæ magisterium recensemus, acta Conciliorum præsertim œcumenicorum, acta item Martyrum, sacram Liturgiam, Ecclesiæ praxim in Sacramentorum administratione atque in cultu religioso, nec non scripta Patrum, deinde vero scholasticorum antiquiorum, recentiorumque theologorum doctrinam, insuper ipsorum hæreticorum, historiam denique ecclesiasticam. Unumquodque ex enumeratis mediis, seorsim etiam spectatum, magnam profecto vim habet, ac ineluctabile prorsus theologo suppeditat argumentum ad novatores profligandos; simul vero sumpta ad instar fluminis exundantis invadunt ac dejiciunt vel invitum et reluctantem animum.

426. Quoniam vero fieri nequit, ut in tractationis scholasticæ angustiis pro rei gravitate de singulis late disseramus, satis nobis erit primoribus saltem, ut ita dicam, labiis ea delibare, quanti scilicet opus est theologiæ candidatis, ut agnoscant, in quibus postea se exerceant, si optatam velint metam attingere, fidei catholicæ hostes impugnando. Distinctis igitur paragraphis liberiorique methodo singula recensita media breviter percurremus, apposita interserentes monita, quæ præ oculis in eorundem usu habenda sunt.

### § I.

#### *De Ecclesiæ magisterio.*

427. Christus Dominus, ut sæpe adnotavimus, integrum fidei depositum contulit Ecclesiæ in Apostolis eorumque legitimis successoribus sub Petri ejusque successorum primatu; ipsisque mandavit, ut omnes sive convertendas sive ad fidem conversas gentes docerent; pollicitusque est, se iis seu unicæ Ecclesiæ suæ in hoc ministerio usque in seculi finem affuturum. Ex illo sane tempore nunquam Ecclesia destitit ab hoc ministerio obeundo, sive quoad gentes nondum ad fidem conversas, sive quoad eas, quas jam in

sinum suum ipsa cooptaverat. Licet porro aliqua, aut si magis lubet, magna etiam doctrinæ pars, quæ primum viva solummodo voce annunciata fuerat, successu temporis data occasione atque Spiritu S. inspirante, ab Apostolis nonnullisque eorum discipulis scripto consignata sit; præterquam quod, ut suo loco ostendimus, hæc quoque ipsa scripta *quoad nos* Ecclesiæ suffragio indigebant, ut tanquam canonica et inspirata vim obtinerent, non tamen cessavit Ecclesiæ prædicatio et magisterium ideo, quod nullum ex iis scriptis capere detrimentum potuit. Imo scriptum hoc verbum vitam, ut ita loquar, a jugi Ecclesiæ magisterio ac viva voce obtinuit et obtinet; ab hoc ejus sensus determinatur, et ab hoc completur quoad ea, quæ litteris mandata non sunt.

428. Quo fit, ut 1<sup>o</sup> hæc instrumenta solum vim habeant in Ecclesia a Christo instituta, seu in sola Ecclesia catholica, quæ scilicet in legitima illorum possessione est, a qua hæretici penitus exciderunt. Hæretici, sectarii omnes, seu acatholici non habent nisi litteram, quæ occidit, non autem spiritum, qui vivificat. Quo argumento jam ætate sua Tertullianus vehementer hæreticos exagibat omnes, et est prorsus invictum (1).

(1) En Tertulliani verba, quibus ap-  
 prime quæ constituimus confirmantur :  
*Ergo non ad Scripturas provocandum  
 est; nec in his constituendum certamen,  
 in quibus aut nulla, aut incerta victo-  
 ria est, aut par incertæ... Ordo rerum  
 desiderabat illud prius proponi, quod  
 nunc solum disputandum est. Quibus  
 competat fides ipsa; Cujus sunt Scriptu-  
 ræ; A quo et per quos, et quando, et qui-  
 bus sit tradita disciplina, qua fiunt  
 christiani; ubi enim apparuerit esse ve-  
 ritatem, et disciplinæ et fidei christia-  
 næ, illic erit veritas Scripturarum et  
 expositionum et omnium traditionum  
 christianarum. Christus Jesus Dominus  
 noster, permittat dicere interim, quis-  
 quis est, cujuscumque Dei filius, cujus-  
 cumque materiæ homo et Deus, cujus-  
 cumque fidei præceptor, cujuscumque*

*mercedis repromissor, quid esset, quid  
 fuisset, quam voluntatem Patris admi-  
 nistraret, quod homini agendum deter-  
 minaret, quamdiu in terris agebat, ipse  
 pronuntiabat, sive populo palam, sive  
 discentibus seorsum; ex quibus, duode-  
 cim præcipuos lateri suo adlegerat des-  
 tinatos nationibus magistros... Statim  
 igitur Apostoli (quos hæc appellatio  
 missos interpretatur) assumpto per sor-  
 tem duodecimo Matthia in locum Judæ,  
 ex auctoritate prophetiæ... consecuti pro-  
 missam vim Spiritus Sancti ad virtutes  
 et eloquium, primo per Judæam contes-  
 tata fide in Jesum Christum, et Ecclesiis  
 institutis, dehinc in orbem profecti, eam-  
 dem doctrinam ejusdem fidei nationibus  
 promulgaverunt, et proinde Ecclesias  
 apud unam eandemque civitatem condi-  
 derunt, a quibus traducem fidei et se-*



429. 2º Inde præterea fit , ut Traditio dogmatica identificetur cum ipsa Ecclesiæ doctrina , a qua separari nequit ; quapropter , etsi documenta deficerent omnia , solum hoc vivum ac jure magisterium satis esset ad cognoscendam doctrinam divinitus traditam , habito præsertim respectu ad solemnes Christi promissiones.

430. 3º Exinde insuper patet , non vocem mortuam mancriptorum codicum , sed vivam ac publicam Ecclesiæ vocem semper primam ac proximam fidei regulam esse , sive quoad infideles convertendos , sive quoad fideles conversos.

431. 4º Quodque propterea consequens est , ex hoc principio Ecclesia constanter damnavit hæreticos omnes , eo quod innovare quidpiam voluerint contra eam fidem , quam actu ipsa prædicabat , ut ex omni retro antiquitate compertum est ; neque unquam ipsa disputavit cum hæreticis temerariis , qui eam insigni ausu erroris arguere in sua prædicatione veriti non sunt ; sed unam eis opposuit auctoritatem suam , eademque una illos protrivit (1). Quod si solet etiam adjicere vel Scripturæ oracula vel Traditionis documenta , ita se gerit ad pusillorum instructionem , non autem quod aliqua ad id necessitate adigatur.

432. 5º Demum colligitur , novatoribus omnibus jure merito posse theologum vigentem Ecclesiæ doctrinam opponere , cum perabsurdum plane sit , atque a bono sensu , ut aiunt , alienum affirmare , uti hæretici solent , Ecclesiæ auctoritatem valere quidem quoad priora tantum secula , non autem quoad posteriora. Nam

*mina doctrinæ , ceteræ exinde Ecclesiæ mutuatae sunt , et quotidie mutantur ut Ecclesiæ fiant ; ac per hoc et ipsæ apostolicæ deputantur ut soboles apostolicarum Ecclesiarum . Omne genus ad originem suam censeatur necesse est . De Præscript. cap. 18 , 19 , 20 , et alibi passim in toto hoc libro .*

(1) Quapropter Comes de Maistre , in op. *Du Pape* , liv. 1 , chap. 1 , sapienter scribebat : *L'Eglise catholique n'est point argumentatrice de sa nature ;*

*elle croit sans disputer... Mais si l'on vient à contester quelque dogme , elle sort de son état naturel ; étrangère à toute idée contentieuse , elle cherche les fondemens du dogme mis en problème ; elle interroge l'antiquité ; elle crée des mots surtout , dont sa bonne foi n'avait nul besoin , mais qui sont devenus nécessaires pour caractériser le dogme , et mettre entre les novateurs et nous une barrière éternelle .*



vel nunquam valorem habuit, aut si habuit aliquando, etiam nunc habet, atque adeo usque ad mundi finem habebit. Cum vero plerique concedant, eam contra anteriores hæreticos valuisse, hoc ipso contra se sententiam dicunt (1).

## § II.

### *De Conciliorum præsertim œcumenicorum actis.*

433. Cum ex dictis in prima hujusce tractatus parte Concilia œcumenica universam repræsentent Ecclesiam, pronum est inferre, illorum acta, sanctiones imprimis dogmaticas, totidem esse solemnna et publica illius fidei testimonia, quam Ecclesia profitebatur, quando unumquodque eorum celebratum est. Eo vel magis, quod, ut vidimus, Concilia potissimum urgerent adversus hæreticos Traditionem, seu vigentem Ecclesiæ doctrinam, et huic insisterent potius quam Scripturis, quæ a novatoribus pervertebantur, et trahebantur ad proprium ipsorum privatum sensum.

434. Cavere tamen debet studiosus, ne quæ a singulis aut pluribus etiam interdum Concilii Patribus prolata sunt, cum iis permisceat, quæ communi suffragio in Concilio statuta fuerunt (2).

(1) Ridiculos profecto se produnt novatores recentiores, dum scribes de novatoribus anterioribus, aut etiam ejusdem ætatis, sed a placitis, quæ isti propugnant, dissentientibus, solent vocare *hæreticos*, quin cogitent, se in eadem categoria inveniri. Quo enim jure, ut unico exemplo insistam, lutheranus Calovius suam habuit orationem inauguralem, qua contendit demonstrare *hæresin neo-photinianam vel socinianam ceu novorum paradoxorum et horrendorum portentorum matrem et impietatum damnatarum filiam, rationis adversus Dei Verbum insanientis fœtum ac Diaboli S. Litteras impie con-*

*spurcantis excrementum, ut novissimum, ita fetidissimum fugiendum, detestandum et execrandum?* Cfr. ejus op. cit. *Scripta Anti-sociniana*, tom. 1, pag. 1 et seqq. Si talis est Photinianismus et Socinianismus condemnatus ab Ecclesia catholica, quid erit Lutheranismus et Protestantismus, eodem jure eademque auctoritate ab Ecclesia pariter damnatus? Si doctrina lutherana et protestans non est hæresis, neque talis erit Photinianismi et Socinianismi doctrina; si Sociniani et Photiniani sunt *hæretici*, quare *hæretici* non erunt protestantes?

(2) Cum discutiatur doctrina san-

435. Cavere præterea debet, prout omnes theologi admonent, ne confundat *objectum*, ut aiunt, definitionis cum *motivo*; in illo enim Concilii Patres testes sunt Ecclesiæ fidei et Traditionis, ac iudices etiam controversiarum, non in isto, in quo obnoxii errori esse possunt. Idem dic de quæstionibus incidentibus aliisque ejusmodi (1).

436. Quod vero diximus de dogmaticis Conciliorum œcumenicorum definitionibus, æquo jure de Rom. Pontificum dogmaticis decretis dici debet; ipsi enim organum præcipuum semper fuerunt Traditionis divinæ ejusque testes publici, summaque pollentes auctoritate in proponenda tum Ecclesiæ Romanæ tum Ecclesiæ universalis Traditione. Quapropter tuto poterit theologus ejusmodi pontificia decreta spectare uti genuina media propagationis dogmaticarum Traditionum, illiusque fidei, quam Ecclesia quovis tempore professæ est (2).

437. Adjecimus porro Conciliorum *præsertim* œcumenicorum, ne excludere videremur Concilia particularia, quæcumque demum fuerint sive nationalia, sive provincialia. Exploratum siquidem est, magnam esse istorum in Ecclesia auctoritatem, plures hæreses istorum opera fuisse damnatas et extinctas, quæ in aliqua peculiari provincia erant exortæ, ac propterea istorum acta totidem esse fidei ac Traditionis, in peculiaribus illis regionibus vigentis, documenta. Quod si fuerint hæc Concilia ab Ecclesia universa recepta, probataque a Rom. Pontificibus, ob hanc ipsam

cienda in Conciliis, antequam veniatur ad definitionem edendam, fieri potest, ut a Patribus ea proferantur, quæ minime probanda sunt. Præterea cum Patres ante definitionem aliquid proferant, id ut privati faciunt; decreta autem nomine totius Concilii, ac proinde Ecclesiæ eduntur.

(1) Cfr. Melch. Canus, *De locis* lib. v, cap. 5, ubi plura, quæ ad hoc argumentum referuntur, adnotat doctissimus hic auctor.

(2) Etiam Constitutionibus dogmaticis Rom. Pontificum applicari debent, quæ de distinctione inter *objectum* definitionis ejusque motiva disseruimus. Ideo vero, quæ spectant ad Concilia œcumenica et ad Romanos Pontifices, complexi simul sumus, quia tam illa, cum probata fuerint a Rom. Pontificibus, quam isti suprema gaudent auctoritate, et organa sunt divinæ traditionis, de qua loquimur.

susceptionem et approbationem habenda erunt tanquam testimonia Traditionis Ecclesiæ universalis plane ineluctabilia (1).

### § III.

#### *De Martyrum actis.*

438. Nemo inficias ibit, antiqua ac genuina sanctorum Martyrum acta nobis exhibere Traditionis dogmaticæ certissima documenta, ex quibus, quid circa plures fidei articulos, qui nunc in controversiam vocantur, senserit Ecclesia, dignoscimus. Etenim præter quam quod, ut scite animadvertit Ruinartius, cum ex divinis litteris habeamus, eorum dicta, cum coram præsidibus sisterentur, superno instinctu pronuntiata fuisse, fit, ut eorum responsa, quæ in his actis ad præsidum quæstiones continentur, pro sacris oraculis merito habenda sint (2); ea illi in suis responsis protulerunt, quæ ab Ecclesiæ pastoribus didicerant, ac merito proinde uti Traditionis et Ecclesiæ fidei, quæ uniuscujusque ætate vigeat, testes locupletissimi habentur.

439. Immo vero et illud adjicimus, peculiare istorum actis inesse pondus, quatenus ex illis discimus, quænam in domesticis ac publicis Ecclesiæ conventibus doctrina traderetur, absque ulla privatæ ac subjectivæ, ut ita loquar, explicationis admixtione, quæ quandoque difficultatem facessit in genuina Patrum mente assequenda (3). Eo vel magis quod plures ex ipsis aut fœminæ

(1) Luculentum hujus rei exemplum habemus in Conc. Arausicano II, cujus decreta, adversus Pelagianos ac Semipelagianos lata, uti dogmatica ab omnibus censentur.

(2) In *Præf. general. in Acta Martyr. sincera*, § I, n. 1.

(3) Etenim Patres, uti alias animadvertimus, veritates revelatas seu christiænæ fidei dogmata, quoad modum ea exponendi, subjiciebant, ut ita dicam,

subjectivis suis conceptibus juxta philosophiam, quam profitebantur. Hinc receptæ quædam ab ipsis loquendi formæ, cum de mysteriis dissererent, quæ obscuritatem ingerunt, ac difficultatem facessunt minus in illorum philosophandi ratione peritis, quod et experimur in scholasticis, postquam isti aristotelicam philosophiam adoptarunt, et quodam veluti connubio cum theologia conjunxerunt. Huc spectat, quod Pe-



aut vulgares rudesque homines essent ex laicorum cœtu, qui candide et absque fuce, quid crederent, exponebant ac profitebantur (1).

440. Huc accedit, quod horum actorum lectio fidelibus minime permetteretur, nisi prius ab Episcopo illa recognita fuissent ac probata (2); quod legerentur in publica ecclesia Præsulibus inspectantibus, quorum suffragium minime latura fuissent, si quid a recepta Ecclesiæ fide absonum præ se tulissent (3). Hinc nihil validius, nihil magis idoneum ad confundendos Socinianos et Unitarios circa Ecclesiæ fidem, quæ tribus prioribus Ecclesiæ seculis de Trinitate, Verbi Incarnatione, divinitate Christi aliisque mysteriis obtinuerit, his actis proferri potest. Idem adversus hagiomachos protestantes quoad Sanctorum cultum et invocationem, reliquiarum venerationem, nihil potest aptius urgeri, quam quæ in Martyrum actis passim leguntur, quæ nobis Ecclesiæ catholicæ fidem exhibent, per id temporis de illis articulis invalescentem.

441. Quare non solum auctores catholici exinde argumenta sumunt ad Traditionem dogmaticam Ecclesiæ adversus fidei hostes evincendam, verum etiam sectarii ad pugnandum contra Socinianos (4); qua tamen cohærentia cum principiis suis id efficiant, quoque tandem exitu, ipsi viderint.

tavius, in tribus prioribus capitibus libri primi de Trinitate, scripsit circa loquendi modum, quo Patres antenicæni usi sunt, agentes de Verbi divinitate ejusque æterna generatione.

(1) Ejusmodi sunt responsiones sapientia plenæ, quæ judicibus paganis datæ leguntur in actis S. Symphorosæ, SS. Felicitatis ac Perpetuæ, aliarum sive fœminarum sive rudium virorum, de quibusegimus in tract. *De Trinitate et Incarnat.*

(2) Cfr. Ruinar, loc. cit. n. 3, 4, 5.

(3) Ibid.

(4) Sane quoad auctores catholicos satis est ocnlos conjicere in celebre opus D. Maran, *Divinitas D. N. J. C.* præsertim lib. II, cap. 4, quod inscribitur: *Idem* (Ecclesiæ fides de Christi divinitate) *demonstratur ex testimoniis SS. Martyrum.* Quoad sectarios vero id patet ex Calovio, op. cit. tom. II, pag. 484 et seqq. ubi hic adstruit fidem de SS. Trinitate ex Actis Martyrum, qui decem primis persecutionibus mortem pro Christo sustinuerunt.

## § IV.

*De sacra Liturgia.*

442. Maximi faciendam esse auctoritatem sacræ Liturgiæ, eamque habendam uti testem omni exceptione majorem Traditionis et Ecclesiæ fidei, is solus inficias iverit, qui non adverterit, in illa ecclesiarum omnium exhiberi vocem ac testimonium, Episcoporum, Presbyterorum, et plebis ipsius suffragia, leges, ritus, effata, dogmata (1).

443. Si quid propterea occurrerit omnium Liturgiarum consensu firmatum, velut Ecclesiæ ipsius testimonium spectari debet. Ex Liturgiis vero seorsum sumptis ea præferenda est, quæ nobiliori in ecclesia usu recepta est. Inter occidentales ecclesias primum locum obtinet liturgia Romana (2), deinde vero Gallicana (3), Hispanica vulgo Mozarabica nuncupata (4). Inter orientales prin-

(1) Cfr. Zaccaria, *Dissert. de liturgiarum in rebus theologis usu*, cap. 4, § 2. Profecto S. Augustinus in disputationibus, quas habuit contra Pelagianos ac Semipelagianos, perpetuo urget argumentum ex Ecclesiæ liturgia desumptum tanquam validissimum ad ipsorum infringendos conatus. Unum vel alterum testimonium S. Doctoris, speciminis gratia afferamus. Sic enim loquitur, *Epist. cccvii, al. cvii, ad Vitalem*, n. 2: *Exsere contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas, et quando audis Sacerdotem Dei ad altare exhortantem populum Dei, orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem, et pro catechumenis, ut eis desiderium regenerationis inspiret, et pro fidelibus, ut in eo, quod esse cæperunt, ejus munere perseverent, subsanna pias voces, etc.* Et in lib. *De dono perseverantio*, cap. 23, n. 63: *Utinam,*

*inquit, tardi corde et infirmi, qui non possunt vel nondum possunt Scripturas vel earum expositiones intelligere, sic audirent vel non audirent in hac questione disputationes nostras, ut magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit et habebit Ecclesia ab exordiis suis, donec finiatur hoc seculum.* Et alibi passim. Sic etiam exinde depromit argumenta S. Hieronymus, Auctor libri *De vocatione gentium* aliique. Cfr. Card. Bona, *Rerum liturgic. lib. 1, cap. 7, § 3*, cum eruditiss. adnotation. Rob. Sala, tom. 1, pag. 106 et seqq.

(2) Cf. Muratorius, *Liturgia Romana vetus*. Diss. *De rebus liturgicis*, cap. 2, *De Rom. Ecclesiæ liturgia.*

(3) Cfr. Mabillon, *De liturgia Gallicana*, Lutet. Paris. 1685, lib. 1, cap. 4.

(4) Cfr. Card. Bona, op. cit. lib. 1, cap. 11, § 1.



cipem locum sibi vindicat liturgia Jacobi omnium antiquissima, quæque in usu fuit apud plerasque orientales Ecclesias, et adhuc in pluribus viget (1); deinde veniunt Liturgiæ græcæ, quæ a SS. Cyrillo, Basilio, Chrysostomo nomen habent (2), ac liturgia Armena (3).

444. Vix aliquod fidei dogma est ex iis, quæ catholica profitetur Ecclesia, quod illæ non attestantur. Talia sunt dogmata Trinitatis (4), divinitatis Verbi et Spiritus Sancti (5), divinitatis Christi, veritatis Incarnationis, Deiparæ non solum virginitatis, sed et *integritatis in partu* (6), primatus S. Petri Romanique Pontifi-

(1) Cfr. Renaudotius, *Liturgiarum orientalium collectio*, Paris. 1716, tom. 1; diss. 1, *De liturgiarum orientalium origine et antiquitate*, cap. 4. Item Joan. Aloysius Assemanus, *Codex liturgicus Ecclesiæ universæ*, Romæ 1749, tom. IV, part. II, præf. pag. 25, adnotat: *Hierosolymitanam liturgiam amplexæ sunt nedum omnes subjectæ ecclesiæ, verum et alienæ quamplures, quin fere omnes orientales ad illam suas liturgias expresse- runt, et accommodarunt. Syri ergo fere omnes illam probarunt, eaque etiam modo utuntur, quamvis in nonnullis pro diversitate locorum, et libertate Episcoporum non omnes sibi consentiant.* Eadem fere repetit, ibid. sect. 6, pag. 55.

(2) Cf. Renaud. Asseman. op. et loc. cit. nec non Le Brun, *Explication littérale, historique et dogmatique des prières et des cérémonies de la Messe*, Paris 1741, tom. II et III.

(3) Cfr. Le Brun, op. cit. tom. III, diss. X. Liturgiam Armenam in linguam italicam conversam edidit cl. P. Gabr. Avedichian, Mechitarista, Venet. 1832.

(4) Etenim in Missali gothico Thomasio, edit. Vezzosi Romæ 1751, tom. VI, pag. 243, legitur: *Qui unum Te Deum dominantem, distinctum nec divisum, Trinum nec triplicem solum nec solitarium, consona laudamus voce.* Et in Missali gallicano veteri, ibid.: *In Trinitate divina non est, quod majus minusve credendum sit; si quid (siquidem, ex Mabillonio) ubi unus major dicitur, deesse minori aliquid indicatur. In hac ergo ipsa divinitate, si aliud majus quis aliud minus adserat; et ipse majestati contumeliam facit, quam majorem putat, etc.*

(5) Cfr. *Sacramentarium Leoni M. tributum*, apud Murator. op. et edit. cit. pag. 476; item *Sacramentar. Gelasian.* edit. a B. Card. Thomasio, p. 4, ac pag. 46, et in *Missali gothico*, pag. 231; Libellus insuper orationum gothico hispanus, editus a Blanchinio, pag. 35.

(6) Quoniam nonnulli neoterici in Germania his annis haud erubuerunt docere, B. Virginis uterum in partu reseratum esse, placet hic ex libello gothico-hispano nonnullus textus pro-



cis (1), infallibilitatis Ecclesiæ, supereminentiæ Episcoporum supra Presbyteros (2), necessitatis gratiæ, propagationis peccati originalis, Sacrificii incruenti, realis Christi in Eucharistia præsentia, transsubstantiationis (3), Purgatorii demum, et cultus invocationisque Sanctorum (4).

445. Cavendum tamen est ab illis particularibus liturgiis, quæ aut singularia, aut paradoxa, interdum etiam falsa aliqua continent, quæ, hoc ipso quod a reliquis discrepent, minus idoneæ ad auctoritatem faciendam sunt, præsertim quæ apud antiquos hæreticos reperiuntur (5), aut quæ sequioribus ævis fuerunt interpolatæ, aut mendis scatent. Oculo enim critico in his opus est, ac probati illi auctores adeundi, qui docte ac erudite operam in illis illustrandis posuerunt (6).

ferre ad eorum confusionem. Sic igitur legitur, pag. 35 : *Salvator omnium Jesu Christe, qui novæ operationis efficacia Virginem per Angelum visitas; Verbo fecundas habituram sine corruptionis injuria prolem, et permansuram cum integritate virginea matrem, etc.* pag. 27 : *Intra ejusdem urbis Bethlemiticæ septa Genitricem Mariam et materno honore sublimas, et virginittatis honore glorificas; cujus uterum nec ingrediens reseras, nec egrediens violas.* Similia leguntur, pag. 28, 29; item in Missali gothico, pag. 235, 256; nec non in *Sacramentario Gelasiano*, pag. 9, et in *Leoniano*, col. 473.

(1) In *Sacram. Leoniano*, col. 333; et in *Missali gothico*, pag. 315.

(2) In cit. *Sacram. Leoniano*, col. 330 ac 334.

(3) Singulorum horum articularum ex liturgiis veritatem ostendit, addu-

ctis auctoritatibus, Zaccaria, diss. cit. *Corollar.* 10 et seqq. Cfr. etiam Muratorius et Josephus Aloys. Assemanus, in cit. dissert.

(4) Cfr. Zaccaria, op. et loc. cit. *Coroll.* 17 et 18.

(5) Exploratum enim est, veteres hæreticos Nestorianos, Eutychanos aliosque sectarios in articulis, in quibus ab Ecclesia catholica dissentiebant, liturgiam corrupisse ac interpolasse, eam accomodantes erroribus suis; quo factum est, ut in reprehensionem ob ejusmodi nefarium ausum apud veteres incurrerint. Cfr. Le Brun, diss. cit. Hac de causa eruditus Zaccaria canones subjicit, ad bene auctoritate liturgia- rum utendum in rebus theologis.

(6) Præter cit. auct. cfr. Grancolas, *Les anciennes liturgies*, trib. volum. Paris 1699; Benedictus XIV, *De sacrificio Missæ*; De Azevedo, S. J. *Exercitationes liturgicæ*, Romæ 1750.

## § V.

*De Praxi Ecclesiæ in publica et solemnî Sacramentorum  
administratione, et cultu religioso.*

446. Quanquam duo hæc veluti partes integrales sacræ Liturgiæ spectari possint, nihilo tamen secius principem sibi locum vindicant et auctoritatem in re, de qua agimus, singularem. Nam Liturgia proprie ad ritum spectat, quo publicus Deo exhibetur cultus, Sacrificii præcipue oblatione; administratio autem Sacramentorum publica ac solemnîs ritus illos complectitur, quibus divina hæc gratiæ instrumenta ab Ecclesia in praxim deducta sunt; cultus vero religiosus sic generatim sumptus pro objecto præterea habet festos dies, vigiliis, aliaque ejusmodi, quæ servari consueverunt.

447. Porro ut primum insistamus in Sacramentorum administratione, cum in ea agatur de re in usu quotidiano posita, nemo sanus in dubium revocaverit, ex illa testimonium publicum, perenne, universale et constans Traditionis dogmaticæ erui, circa eorundem Sacramentorum numerum, efficaciam, peculiare effectus, ac dispositionem ad ea rite suscipienda. Cum igitur ex omnibus deprehendamus Græcorum, Orientaliumque Ecclesiarum euchologiis, atque ex Occidentalium seu Latinorum ritualibus ac sacramentariis, septem ubique, quovis tempore fuisse Sacramenta administrata, nonne audaciæ, ne dicam amentię Protestantes arguuntur, qui ea ad quatuor terve, postremo ad duo redegerunt? Idem dic de gratia, quæ per ea conferri omnia illa pariter documenta testantur (1), de effectibus, qui iis tribuuntur circa characterem, de infantium Baptismate, de exorcismorum usu, quo Pelagianos jam ætate sua S. Augustinus premebat (2), de conscientię puritate ad sacram afferenda Synaxim, de Confessionis auricularis usu, aliisque similibus (3).

(1) Cfr. Edmund. Martenius, *De antiquis Ecclesiæ ritibus*, in iis quæ circa Sacramenta singula præmittit; Renaudotius, *La perpétuité de la foi*

*de l'Eglise catholique sur les Sacraments*, tom. v.

(2) Recol. superius dicta.

(3) Cfr. quæ scripsimus in tract. *De*

448. Quod vero ad religiosum cultum spectat, quænam fuerit primitivæ Ecclesiæ doctrina, exinde deprehenditur circa Sanctorum venerationem, cum videamus institutos festos dies, celebrata jejunia ad sanctorum Martyrum memorias recolendas vel ab ipsius ecclesiæ incunabulis (1), circa venerationem reliquiarum et imaginum (2), circa aquam lustralem (3), quam adeo Protestantes despiciunt, aliaque permulta, quæ sin minus dogmata attingunt, plurimum tamen valent ad liberandam Ecclesiam Romanam a toties in eam impacta calumnia de turpi superstitione, in quam dilapsa sit, postquam medio præsertim ævo *papismus*, uti loquuntur, deteriorem ac tenebricosionem formam induxit. Ita strenue interdum Protestantès nugantur!

449. Quum porro de religioso disseritur cultu, de eo disseritur, qui in Ecclesia universa receptus est, non autem de peculiaribus, qui singulis in Ecclesiis recepti sunt ritibus quique spectari possunt ceu singulares cultus modificationes, quique valorem partialem habere possunt pro eorumdem antiquitate et ecclesiarum nobilitate, in quibus observari consueverunt (4).

## § VI.

### *De sanctis Patribus.*

450. Gravissimo sanctissimoque *Patris* nomine eos donavit Ecclesia, inquit Natalis Argonensis (5), qui antiquitate, sanc-

*Euchar. et De Pœnit.*, t. vi. Cfr. præterea Gabr. Albaspinæi, *De Ecclesiæ ritibus, observationum libri duo*, Lutet. Paris. 1623; Joan. Bapt. Casalii, *De veteribus sacris Christianorum ritibus*, Romæ 1647; Jos. Vicecomitis, *Observationes ecclesiasticæ*, Paris. 1618.

(1) Cfr. *Constitut. apostol.* lib. v, c. 8 et 13, apud Cotelerium, tom. 1.

(2) Vid. quæ scripsimus in tract. *De cultu Sanct.* t. iv.

(3) Cfr. *Const. apostol.* lib. viii, cap. 29; cfr. etiam Casalius, op. cit.

part. iii, cap. 37.

(4) Ejusmodi ex. gr. sunt ritus, qui in usu sunt in Ecclesia Mediolanensi, quæ adhuc servat ritum Ambrosianum. De his ritibus, qui in peculiaribus Ecclesiis recepti erant, fuse scribit S. Augustinus, in duabus epistolis ad Januarium datis, quæque in edit. Maur. sunt n. LIV et LV.

(5) In op. *De optima legendorum Ecclesiæ Patrum methodo*, Augustæ Taurin. 1742, part. 1, cap. 1.



timonia, doctrinaque in asserendis vindicandisque Ecclesiæ dogmatibus famam et celebre nomen adepti sunt (1). In tres solent veluti ætates distribui, quarum prima tria priora complectitur secula; secunda tria secula insequentia; tertia demum a seculi VII initio usque ad sec. XII protenditur, usque nempe ad S. Bernardum, qui *novissimus Patrum* vocari consuevit (2). Hac enim ætate nova *scholastica* disputandi methodus sin minus invecta, longe saltem lateque diffundi cœpit. Quare nec Patres ad scholasticorum ordinem referendi sunt, neque scholastici Patribus accensendi.

451. Duo in Patribus apprime secerni debent, quæ passim permisceri consueverunt, qualitas nempe, ut ita dicam, *testis* et qualitas *doctoris*. Interdum enim Patres suis in scriptis se testes exhibent traditionis ac doctrinæ Ecclesiæ, quæ, ætate qua quisque floruit, obtinebat; interdum vero disputatoris ac theologi partes sustinent, qui fidei articulos enarrant, tuentur, ac multiplici ratione vindicant, doctrinam etiam Ecclesiæ illustrent, consecutiones deducunt, comparant, modum denique, quo eadem doctrina ab ipsis subjective concipiatur, tradunt, uti a doctoribus nostris theologiæ explanatoribus fieri solet (3).

452. Porro diversa omnino ratione spectari Patrum auctoritas debet, quando se Traditionis ac fidei Ecclesiæ testes perhibent, ab ea qua uti doctores circa eandem fidem traditionemque dis-

(1) Quatuor igitur condiciones requiruntur, ut quis Ecclesiæ Doctor vel Pater renunciatur, doctrina scilicet emittens, insignis sanctitas, Ecclesiæ testimonium, ac demum notabilis antiquitas. Quamvis porro Tertulliano et Origeni Ecclesiæ testimonium desit, vulgo tamen in albo Patrum recensentur, ratione habita antiquitatis, atque insignis doctrinæ, quæ in utroque fulsit.

(2) Egregiam S. Bernardi vitam, duobus voluminibus in 8, novissimè edit. cl. Theod. Ratisbonne, Paris. 1841,

quæ haud parum confert sive ad pietatem excitandam, sive ad ejusdem S. Patris scriptorum intelligentiam consequendam.

(3) Cfr. quæ præclare hac de re scribit Petavius, in *Proleg.* cap. II, § 2 et seqq. ubi et ipse distinguit inter ea, quæ Patres uti Traditionis testes scripserunt, et quæ veluti doctores disseverunt. Item Bolgeni, in op. *Stato de' Bambini morti senza battesimo*, Macerata 1787, part. 1. *Prelimin.* 3, 4 et 5.

ceptant. In priori enim casu ineluctabilis prorsus est eorum auctoritas, si omnes aut plures etiam, aut pauci quandoque conveniant, quoties plures aut pauci isti Ecclesiae suffragium pro se obtinuerint (1). Sic enim illorum auctoritas identificatur cum Traditione, imo et cum ipsa Ecclesiae auctoritate (2). In posteriore autem casu, quo Patres tanquam doctores se gerunt, venerationem quidem merentur tantum, quantam uniuscujusque eorum antiquitas, doctrina ac sanctitas exposcit; talis nihilominus non est illorum auctoritas, ut, si graves praesertim rationes id postulent, piaculum sit, debita semper cum reverentia, ab eorum placitis discedere (3). Sane haud paucæ offenduntur in Patrum scriptis,

(1) Tales praecipue sunt, quos divina providentia identidem excitavit adversus peculiare haereticos, ex. gr. S. Athanasius adversus Arium, S. Cyrillus Alex. adversus Nestorium, S. Leo M. adversus Eutychen, S. Epiphanius adversus Aërium, S. Augustinus adversus Pelagium, et ita porro.

(2) Quo sensu quinta Synodus, collat. III, seu ut placet Gennadio, Synodus VI, constituit: *In omnibus sequimur et sanctos ac doctores Sanctos Dei Ecclesiae... et omnia, quæ ab ipsis scripta sunt de recta fide, et ad haereticorum condemnationem admittimus.* Apud Gennad. pag. 317. Item in Synodo VII, hoc decretum editum est: *His, qui rejiciunt sanctorum Patrum voces, quæ ad confirmationem rectorum dogmatum Ecclesiae Dei pronuntiatæ sunt, Athanasii, Cyrilli, Ambrosii... Augustini ac ceterorum; tum acta Synodorum œcumenicarum, quartæ, inquam, et sextæ non amplectuntur; anath. sit.* Ibid. pag. 317, Græc. Conc. Flor. Hinc Cyrillus Alex. in *Defens. anathematismi VIII*, affirmat, Pa-

tres *luminaria fuisse, verbum vitæ continentes*, et in *Epist. I ad Successum*, de Incarnationis dogmate ac fide *doctos nos*, ait, *a divina Scriptura, et sanctis Patribus*, et in fine ejusdem epistolæ: *Sequentes*, inquit, *ubi que orthodoxa sanctorum Patrum decreta, contra Nestorii dogmata librum conscripsimus.* Quocirca S. Martinus papa I, in Lateran. Concilio, dictum illud merito approbat Victoris Carthaginiensis, quo hortabatur: *Nihil permittere dici noviter a quopiam, quod sanctorum Patrum traditio minime definivit.* Cfr. Petav. loc. cit. Cfr. etiam Natalis Argonensis, op. cit. part. 1, capp. 4 et seqq.

(3) Hac referuntur, quæ passim S. Augustinus prudenter inculcat, ut in *Epist. cXLVIII, ad Fortunatianum*, n. 15, ubi scribit: *Neque enim quorumlibet disputationes, quamvis catholicorum et laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis*



sive privatæ opinioniones, sive exegeticæ Scripturarum expositiones, quæ non omnibus probantur, immo etiam rejiciuntur. Patres quoque non semel inter se, salva charitate, conflictantur atque ab invicem dissentiunt (1). In his propterea ponderanda sunt rationum momenta, fundamenta inquirenda auctoritatem, quas pro se adducunt, critica demum lance singula expendenda sunt (2).

453. Ad dignoscendum vero, quandonam Patres censi debeant veluti Traditionis et ecclesiasticæ doctrinæ testes, nonnullæ in promptu regulæ seu principia habenda præ oculis sunt; ac 1<sup>o</sup> si id expresse affirmant, uti sæpe ab ipsis fit; 2<sup>o</sup> si aliquod doctrinæ caput tanquam certum et exploratum et in Ecclesia receptum exhibent; 3<sup>o</sup> si vix nova exorta sententia, in illam statim exsurgant tanquam in errorem aut hæresim, receptæ in Ecclesia doctrinæ adversantem; 4<sup>o</sup> si illius auctorem exagitent veluti novatorem et hæreticum; 5<sup>o</sup> si omnes aut plerique saltem ejusdem ætatis conspirent in proponendo aliquo articulo uti Ecclesiæ ac fidei doctrina, aut in dogmatica alicujus Scripturæ textus

*improbare atque respuere, si forte noverimus, quod aliter senserint, quam veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum. Contr. Faustum Manich. lib. xi, cap. 5, cum de Scripturis sacris disseruisset, quibus fides omnimoda adhibenda est, subdit: In opusculis autem posterorum, quæ libris innumerabilibus continentur, sed nullo modo illi sacratissimæ canonicarum Scripturarum excellentiæ adæquantur, etiam in quibuscumque eorum invenitur eadem veritas, longe tamen est impar auctoritas. Itaque in eis, si qua forte propterea dissonare putantur a vero, quia non ut dicta sunt intelliguntur, tamen liberum ibi habet lector auditoris judicium, quo vel appro-*

*bet quod placuerit, vel improbet quod offenderit... si cui displicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur. Demum, ceteris omissis, in Epist. lxxxii, ad Hieronym. n. 3, commemorato eodem de Scripturis canonicis judicio, pergit: Alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt; sed quia mihi vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreant, persuadere potuerunt.*

(1) Illustre hujus rei exemplum habemus in SS. Hieronymo et Augustino, qui in nonnullis inter se disceptabant, salva charitate, ut patet ex utriusque Doctoris epistolis.

(2) Cfr. Natal. Argonens. op. cit. *De opt. legend. Patr. meth.* p. iii, cap. i i.



expositione afferenda; quod et de moribus similiter seu de doctrina morali debet intelligi (1).

454. Hic tamen sedulo animadvertendum est, in scriptis quoque Patrum distinguere nos debere *objectum* fidei, quod tanquam Traditionis testes propugnant, a *motivo* seu etiam a modo, quo illud adstruunt. In *objecto* enim fidei proponendo vere se testes produnt; in ratione autem, qua illud defendunt aut vindicant, jam uti doctores sese gerunt; interdum debiliores probationes adducunt, quibus tamen infirmari veritas nequit ipsius *objecti* (2). Animadvertenda insuper diversa ratio est, qua Patres utuntur, quando propriam sententiam adstruunt, ab ea qua fidei dogmata ex Traditione propugnant. Etenim cum propriam tuerentur sententiam, sic disserunt, ut nullam diverse sentientibus notam inurant, immo liberum ceteris relinquunt proprium sectari placitum, ut patet ex iis, qui contendebant, iterum tingi debere ab hæreticis baptizatum (3), ex iis, qui regnum millenarium adstruebant, aut inspirationem septuaginta interpretum, aliaque ejusmodi propugnabant (4); contra vero, cum de fidei ageretur doctrina, nullum patiebantur aliter sentire, ex. gr. circa futuram corporum resurrectionem, divinitatem Verbi vel Christi, inspirationem Prophetarum, etc.

(1) Cfr. Maran, *Præf. in opp. S. Justinii*, part. n, cap. 13, § 4, n. 1 et seqq. et Melch. Canus, *Dè locis*, lib. vii, cap. 2 et seq.

(2) Cfr. Melch. Can. loc. cit. cap. 2, et P. Kilber S. J. in op. *Principia theologica*, Wirtenburgi 1771, disput. iii, *De principiis adjuvantibus*, cap. 1, art. i et seq. ubi plura scitu digna adnotat circa sanctorum Patrum usum in re theologica.

(3) Cfr. quæ scripsimus in tract. *De Sac. in gen.* cap. iii, n. 121.

(4) Cfr. Maran, loc. cit. n. 2, qui animadvertit, Justinum ita regni terrestris commentum defendere, ut puræ

et integræ fidei testimonium adversariis tribuat; contra vero in *Dial. cum Tryphone*, n. 80, christianos esse negat eos, qui resurrectionem non credunt. Sic etiam quamvis idem S. Martyr septuaginta interpretum inspirationem tueatur, attamen longe diversa ratione id propugnat ab eo, quo Prophetarum asserit inspirationem. Judæos enim in hoc tantum castigat, n. 68, 71, 72, quod elaboratam apud Ptolemæum interpretationem immutare et vituperare audent; minime vero, quod divinitus inspiratam non crederent. Et ita de aliis ejusmodi dicatur.

455. Quæ si præ oculis habeantur, facile erit Patrum obrectatoribus os obstruere, dum vel eorum errores in critice, in physicis, in exegetica, in historia, in peculiaribus sententiis exaggerant (1); quamvis enim admittantur ejusmodi nævi in Patrum libris, non ideo extenuatur ipsorum auctoritas, quando juxta modo expositas regulas veluti testes Traditionis atque communis fidei se præbent (2).

(1) Inepte prorsus ad Patrum auctoritatem minuendam ejusmodi errores ab hæreticis objiciuntur, ac novissime a Shuttleworth, op. cit. pag. 46 et seqq. cum nemo Catholicorum sit, qui regulas non assignet adhibendas in recto auctoritatis Patrum usu.

(2) Ex his, quæ hactenus circa Patrum auctoritatem constituimus, refellitur, quod ab Oxoniensibus refundi in Catholicos solet, eos videlicet profiteri venerationem erga Patrum auctoritatem in abstracto sive theoretice, rejicere vero in praxi, cum sibi adversantes experiuntur. Hanc accusationem inter ceteros promovent Palmer ac Niewman; prior enim in cit. *Tract. de Ecclesia*, vol. II, part. III, cap. 3, pag. 61, in not. hujus agendi rationis accusat Michaelem Medina et Maldonatum; Newman vero incusat præterea, lect. II, pag. 62 et seqq. Petavium, perinde ac si Confessores ac Martyres ante-nicænos una cum Patribus heterodoxiæ circa Trinitatem reos fecerit, item Bellarminum, eo quod nonnullos Patres circa Purgatorium haud recte in omnibus sensisse affirmaverit. Dum talia obtrudunt Oxonienses, quid intendunt? Si contendant, Catholicos Patrum auctoritatem res-

puere, prout testes illi sunt Traditionis, vehementer errant, cum hoc aperte adversetur ipsorum doctrinæ; si autem velint, Catholicos haud cæca ratione Patrum auctoritatem sectari in iis, quæ fidem non attingunt, sed eos exigere ad quasdam normas, fatentur hoc ipso, eos delectum quemdam habere in eorum sententiis amplectendis. Ceterum, quidquid sit de Medina, quem nostrates etiam temeritatis incusant, dum aëriani erroris tot Patres insimulat absque ullo vel levi fundamento, certe Newman ostendit, se nunquam legisse præfationem in sex capita distinctam, quam libris de Trinitate præfixit Petavius. Sed hoc de argumento cfr. Zaccaria, in Petavii apologia. Præter auctores citatos, cfr. circa Patrum auctoritatem eorumque usum, Thomassinus, in tractatu 1, *De theologiæ prolegomenis*, qui prostat in *Dogmatum theologicorum*, tom. III, Paris. 1689; item *Prodromus ad theologiam dogmatico-scholasticam* P. Gautier S. J. in *Thesaurò Zachariæ*, tom. I, cap. 2, art. 6; De Moissy, *La méthode dont les Pères se sont servis en traitant des mystères*, Paris 1683. Quod postremum opus a Bossueto commendatum fuit.



## § VII.

*De Scholasticis theologis.*

456. Sanctos Ecclesiæ Patres in re, de qua agimus, Scholastici theologi exceperunt. Hi pariter dupliciter spectari debent, tum scilicet uti Traditionis testes et traduces, atque uti doctores, qui acceptam ab antiquitate doctrinam et propugnant et illustrent. Qui primum invexisse methodum scholasticam perhibentur, S. Joan. Damascenus inter Græcos, et S. Anselmus Cantuariensis inter Latinos; eam deinde excoluerunt atque ad perfectionem adduxerunt potissimum Magister sententiarum seu Petrus Lombardus, S. Thomas Aquinas ac S. Bonaventura, quos deinceps innumeri pene subsecuti sunt (1).

457. Nos sub priori adpectu hic scholasticos spectantes, eos magni faciendos existimamus, præsertim ex eo quod Ecclesiæ doctrinam ad quædam capita redegerint, ac formulis determinarint. Evidens porro est, ipsos cum ejusmodi doctrinæ capita collegerint ac formulis determinarint, secutos esse receptam in Ecclesia doctrinam et Traditionem, non autem ex arbitrio ita se gessisse. Quando propterea docuerunt, ex. gr. *septem* esse Ecclesiæ Sacramenta, *tria* ex his imprimere characterem, Christi corpus esse *realiter* ac *substantialiter* præsens in Eucharistia, quando *transsubstantiationem* vocarunt modum, quo Christus in Eucharistia præsens fit, aliaque id genus multa miro plane consensu tradiderunt, dubium esse non potest, quin ea a majoribus acceperint; cumque suffragium ipsius tulerint Ecclesiæ, patet, ineluctabilem esse hac in parte illorum auctoritatem. Quare inique prorsus se gerunt Protestantes, qui, cum has formulas hancque determinationem in Sanctis antiquioribus haud reperiant, commenta scholastica inclamant. Hi non satis inter enunciata veritatem distinguunt et enunciationis formam; hæc siquidem scholasticis tribuenda est, veritas autem antiquitati et Traditioni.

(1) Cfr. Kilber, op. cit. disput. III, *et historia.*  
cap. 2, art. 1, *De theologia notionem*



458. Quod si scholasticos consideremus, quatenus doctores sunt, debemus ipsis a fortiori aptare, quod de Patrum auctoritate disserentes diximus. Debemus videlicet in primis secernere objectum a motivo seu a rationum et argumentorum momentis, quibus illud adstruunt ac propugnant; debemus præterea dispescere, quæ proponunt ut fidei et Ecclesiæ doctrinam, a singulorum aut plurium etiam placitis et sententiis, quas sequuntur; rimari fundamenta, quibus innituntur, quo sensu vere scripsit Canus: *Plurium auctoritas obruere theologum non debet; sed, si paucos viros modo graves secum habeat, poterit sane adversus plurimos stare. Non enim numero hæc judicantur, sed pondere* (1). Sane cernimus interdum, peculiarem opinionem aut communem aut fere communem ab longum temporis tractum viguisse, quæ postea veluti improbabilis, aut etiam falsa, rejecta ac eliminata est (2). Adjiciendum insuper est, nos debere vitia plurium aut pauciorum scholasticorum propria a methodo ipsa scholastica secernere. Hæc bona est, ac plurimum inservit ad hæreticorum sophismata detegenda, ad statum quæstionis apprimè determinandum, ad claritatem consecrandam, aliosque ad usus. Vitia autem, quæ irrepserunt ex illius abusu, quæque Canus (3)

(1) Lib. viii, cap. 4, n. 1.

(2) Exemplo sit sententia de materia essentiali Sacramenti Ordinis, consistente in traditione instrumentorum, quæ nunc vix obsoleta non est, apud Scholasticos tamen communis erat. Idem non paucis aliis opinionibus contigit, quas longum esset singillatim enumerare.

(3) Lib. viii, cap. 1, ubi inter cetera scribit: *Intelligo autem, fuisse in schola quosdam theologos adscriptitios, qui universas quæstiones theologicas frivolis argumentis absolverunt, et vanis invalidisque ratiunculis magnum pondus rebus gravissimis detrahentes, ediderunt in theologiam commentaria*

*vix digna lucubratione anicularum. Et cum in his sacrorum Bibliorum testimonia rarissima sint, Conciliorum mentio nulla, nihil ex antiquis Sanctis oleant, nihil ne ex gravi philosophia quidem, sed fere e puerilibus disciplinis scholastici tument, si superis placet, theologi vocantur; nec scholastici sunt, nedum theologi, qui sophismatum phrases in scholam inferentes, et ad risum viros doctos incitant, et delicatiores ad contemptum... Intelligo etiam, in schola fuisse nonnullos, quasi ad discordiam natos, qui tum optime disseruisse se putant, cum contra doctores dixerint, ut non tam verum invenisse velle videantur, quam*

acerrime insectatur, declinari debent, neque crimini verti methodo ipsi (1).

459. Ad hæc duplex scopulus vitandus est, et eorum nempe, qui adeo scholasticam methodum extollunt, ut nisi videant agitari quæstiones, quæ ab antiquioribus scholasticis disceptabantur, vocesque adhiberi, quæ apud illos in usu fuerunt, vix non despiciant ejusmodi lucubrationes tanquam jejunas, aridas ac theologo indignas. Immo nonnulli adeo progressi sunt, ut, nisi iterum revocetur peripatetica philosophia cum formis aristotelicis, clament, vix actum non esse de Ecclesiæ fidei defensione. Hi profecto peccant excessu. Sed et eorum cavendus est scopulus, qui nimium scholasticos eorumque methodum deprimunt et extenuant (2). Scholastici passim parvipenduntur ab homini-

*adversarios convincere, concertationibusque et rixis totas chartas implere. Atque inter hos sunt in Ecclesia multi, qui tanquam milites auctorati vel tuentur vel impugnant, et tota eorum de re theologica disputatio partium studium est, contentio atque dissidium.*

(1) Cfr. *ibid.* Canus, qui ita prosequitur: *Fuere autem sine dubio in schola multi, qui, his vitiis declinatis, rem theologicam graviter sane ac modeste tractarunt... Propter paucorum vitia non est omnium corona traducenda; quod etsi plerique theologi in his vitiis essent, iniqua esset adhuc ista calumnia. Quemadmodum enim nemo justus et prudens universos adolescentes accusat, quamvis plurimum sint libidinosi, quoniam libido non est omnium adolescentum, sed non proborum; sic, quoniam ista scholastica pertinacia theologorum levium est, non omnium, inique profecto, ut modo dicebam, schola traducitur propter ea vitia, quæ non sunt scholæ, sed inertis, vanæ, contentiosæ scholæ. Quæ*

cum ita se habeant, jure merito a Pio VI, in *Constit. AUCTOREM FIDEI*, Pistoriensis synodi prop. LXXVI: *Insectatio, qua synodus Scholasticam exagitat velut eam, quæ viam aperuit inveniendis novis et inter se discordantibus systematibus quoad veritates majoris pretii, ac demum adduxit ad probabilismum et laxismum; quatenus in scholasticam rejicit privatorum vitia, qui abuti ea potuerunt aut abusi sunt; declaratur et damnatur uti falsa, temeraria, in sanctissimos viros et Doctores, qui magno catholicæ Religionis bono scholasticam excolere, injuriosa, favens in eam hæreticorum conviciis.*

(2) Inter hos non infimum tenet locum Petrus Tamburinius, jansenistarum in Italia sub finem elapsi seculi et hujus initium coryphæus, in op. *De fontibus sacræ theologiæ*, Ticini 1790, vol. III, diss. 4. Sed Cfr. contra eumdem: opus inscriptum, *La cattiva logica del giansenista D. Pietro Tamburini*, Torino 1795.



bus in politiori litteratura sane exultis, sed doctrinarum copia atque profunditate longe inferioribus. Aiebat Leibnitius, res summi pretii delitescere sub rudiori scholasticorum cortice. Sane ab istis magna ex parte opus suum, *De jure belli et pacis*, Grotius delibavit. Barbeyracus plures confutavit errores Puffendorffii doctrinis scholasticorum (1).

## § VIII.

### *De Hæreticis.*

460. Mirabitur fortasse quispiam, nos inter Traditionis dogmaticæ testes advocare hæreticos ipsos, Ecclesiæ doctrinæ ac Traditionis acerrimos hostes; verum, si is penitus rem introspeciat, nostram agendi rationem mirari desinet. Etenim hæretici vel inviti duplex semper nobis præbent luculentissimum veræ fidei ac dogmaticæ Traditionis testimonium, tum nempe in eo quod retinent, cum sese ab Ecclesia separant, tum in eo quod impugnant.

461. Ac primo quidem testes hæretici sunt Ecclesiæ fidei locupletissimi ac Traditionis, in eo quod retinent, seu in laciniis antiquæ fidei, quas secum deferunt, cum ab Ecclesia abscedunt, aut ob suam pertinaciam ab ea expelluntur. Etenim hæretici ante proprias innovationes in Ecclesia catholica instituti sunt ac

(1) Cfr. Gerdil, *Saggio d'istruzione teologica*, art. *Degli scolastici*, opp. edit. Rom. tom. x, pag. 267; nec non Muzzarelli, *Il buon uso della logica*, opusc. iv, *Teologia*, edit. Rom. tom. i; item D. Boyer, in op. *Défense de la méthode d'enseignement suivie dans les écoles catholiques*, Paris. 1836. In scholasticis distinguenda sunt, quæ pendent ab ingenii ac ratiocinationis acumine, ab iis, quæ a positivis pendent documentis; in iis, quæ ad prima spectant, nemo fortasse eos superavit; in

aliis vero passim labuntur librorum potissimum ac documentorum inopia, qua ætas, in qua illi floruerunt, laborabat. Cfr. etiam Gener, in Prodomo 1, Theologiæ scholastico-dogmaticæ, capp. 1, 2, 3 et 4, ubi copiose historiam tradit scholasticæ theologiæ una cum ejus vindiciis, quibus addidit academiarum censum, in quibus scholastica exulta fuit a seculo Eccles. xii, usque ad an. 1767, et elenchum Scholasticorum, qui singulis seculis floruerunt, eosque supra sexcentos enumerat.



enutriti; cum vero nonnisi in quibusdam peculiaribus articulis, quos aut negant aut invehunt, a veritatis semita aberrant, his demptis, reliqua profiteri pergunt cum Ecclesia catholica. Quapropter in articulis omnibus, quos communes cum Ecclesia habent, testes sunt avitæ illius fidei, quæ in Ecclesia obtinebat, quando ipsi ab ea digressi sunt, aut ab ea fuerunt expulsi. Hinc quo antiquiores hæretici sunt, eo illustrius testimonium perhibent veritatum, quas Ecclesia professa est. Quod ut exemplis illustremus, Docetæ nobis ex. gr. divinitatis Christi professæ ab Ecclesia ætate sua tribuunt certissimum argumentum, dum Deo indignum esse asseruerunt cum natura humana vere copulari; Ebionitæ ac Cerinthiani nobis pariter testes sunt, quod Ecclesia in veram crediderit Christi humanitatem, eo quod ipsi verum, imo purum hominem Christum fuisse prædicaverint; Gnostici testes sunt creditæ per peccatum originale vitiatæ naturæ; Ariani distinctionis personarum in Deo, Eutychiani unitatis personæ, Nestoriani distinctionis naturarum in Christo, et ita porro. Cum retinuerint præterea superstites antiquæ sectæ, tum ecclesiasticam hierarchiam, tum Sacrificii oblationem, tum Sacramenta omnia, ex illis merito concludimus, Ecclesiam catholicam jam a quarto et quinto seculo eosdem retinuisse articulos, quos posteriores hæretici veluti papismi innovationes recens inductas traduxerunt, sicque hæreticos per hæreticos refellimus atque confundimus (1).

462. Verum non minus luculentum antiquæ Ecclesiæ catholicæ fidei et avitæ Traditionis documentum suppeditant hæretici in ea doctrinæ parte, quam ipsi adorti sunt. Quandoquidem, nisi illa doctrina in Ecclesia uniuscujusque peculiaris sectæ ætate invalisset, eam nunquam impugnassent hæretici, neque uti nova-

(1) Hoc argumento egregie usi sunt D. Maran et Renaudotius; ille in op. sæpe cit. *Divinitas Domini Nostrî Jesu Christi*, præsertim lib. III, cap. 5, 6 et 7; iste vero in op. pariter cit. *La perpétuité de la foi*, tom. v. Profecto

si omnia, quæ hæreticæ sectæ singulatim sumptæ profitentur seu professæ sunt cum Ecclesia catholica, colligamus, plenam fidei catholicæ doctrinam habebimus. Præclarum, si quis unquam, catholicæ veritatis triumphum!

tores ab Ecclesia damnati fuissent et rejecti. Quis enim inficias ibit, Ecclesiam tres in Deo professam esse distinctas personas, quum Sabelliani unicum personam in Deo trinominem excogitarunt? aut in Verbi divinitatem credidisse, cum Ariani idem Verbum divinum creatum effutierunt? aut non professam esse hypostaticam duarum in Christo naturarum conjunctionem, ac proinde veram divini Verbi incarnationem, cum Nestoriani moralem unionem invenerunt, et ita deinceps? Quapropter nobis satis est enumerare singularum sectarum antiquiorum errores, eosque ævi nostri Unitariis, Socinianis, rationalistis opponere, ut pateat, quænam antiqua fuerit Ecclesiæ catholicæ fides et doctrina circa articulos, in quibus isti a fide nostra turpiter dissident (1).

463. Addimus insuper, ex ipsa ratione, qua antiqui hæretici impugnaverunt veritatem aliquam catholicam, et ex difficultatibus, quas sibi solvendas proposuerunt, deprehendi veram Ecclesiæ doctrinam, ac dogmaticam Scripturarum interpretationem sensumque traditionalem, qui et olim pariter uti et nunc in Ecclesia viguit et viget. Ut unico insistamus exemplo, cum Tertullianus jam montanista effectus impugnavit indulgentias, quæ ad Martyrum preces ab Episcopis dabantur, atque urgebat valorem satisfactionis unius Christi, ad excludendas satisfactiones Martyrum, nonne illustre suppeditat testimonium de sensu ac doctrina Ecclesiæ catholicæ, quæ tertio Ecclesiæ seculo circa hos articulos obtinebat (2)?

(1) Isti enim hæretici omnes, perinde atque recentiores Lutherani, Calvinistæ, ac generatim protestantes omnes, defæcare Ecclesiam contenderunt ab impura commixtione atque ab abusibus, qui Ecclesiam infecerant, atque ad pristinum nitorem ac simplicitatem revocare, non exclusis, ut diximus, Apostolis ipsis. Audaces homines, qui opus Dei reformare non formidarunt. Verum ipsis fortiter semper Ecclesia firma veritatis columna restitit, atque

T. IX.

depositum fidei ab istorum dilapidatione servavit incolume, et hæreticorum omnium conatus in nihilum redegit.

(2) Cfr. quæ scripsimus in tract. *De indulgentiis*. Sane nihil aliud Calvinus ad impugnandas indulgentias protulit, quam quod Tertullianus adversus Catholicos urgebat. Idipsum dicatur de argumentis, quæ sibi objicit idem Tertullianus, quibusque utebantur Catholici ad ostendenda remissibilia omnia peccata esse; ex his enim intelligimus,

20

464. Igitur vel obluctantes ac inviti hæretici omnes utroque modo Ecclesiæ catholicæ causæ patrocinantur, ejusque antiquæ doctrinæ ac dogmaticæ Traditionis tabulas exhibent, eo minus suspectas quod ab acerrimis ejus hostibus ac adversariis proferantur. Sunt nempe hæretici respectu Ecclesiæ catholicæ, quod sunt Judæi respectu Christianismi, quorum nempe libri nobis subsidio sunt ad ethnicos et incredulos confundendos; sic et illi nobis ad novos refellendos hæreticos mirifice inserviunt (1).

## § IX.

### *De Historia ecclesiastica.*

465. Historiam, quæ referat Ecclesiæ gesta, plurimum conferre ad cognoscendam ejusdem fidem ac traditionem, nemo, si sapiat, in dubium revocabit. Hæc potissima ratio est, cur Canus, etiamsi illam prius inter loca theologica recensuerit, quæ *adscriptitia* vocat ac veluti ex alieno emendicata (2), postea tamen vix eam inter interna ac theologorum propria non enumeret (3). Profecto theologis magno adjumento esse ecclesiasticam historiam, res ipsa per se profitetur. Ea enim est, quæ continenti gestorum serie ob oculos ponit Ecclesiæ originem atque per totum terrarum orbem propagationem, successiones Episcoporum, præsertim vero Romanorum Pontificum; ortum item et causas, incre-

quænam fuerit nonnullorum Scripturæ textuum dogmatica Ecclesiæ interpretatio seculo III. Quod et de ceteris ecclesiasticæ doctrinæ impugnatoribus dici debet.

(1) Quod de hæreticis diximus, applicari etiam potest pseudepigraphis, cujusmodi sunt *Constitutiones Clementinæ*, *Constitutiones apostolicæ*, *Canones apostolici*, *Libri Sibyllini*, aliæque ejusmodi opera, quæ, quamvis subdititia sint ac spuria, plurimum tamen valent ad fidem cognoscendam

Ecclesiæ, quæ viguit illa ætate, quæ conscripta sunt, ac disciplinam, quæ tunc temporis obtinebat, præsertim cum pleraque eorum quæ recensuimus spectent ad II, III, aut IV sec. Nunquam enim illorum auctores sperare potuissent, se fucum facturos, nisi, quæ vulgo tenebantur, his libris interseruisent. Theologus proinde iis uti ad rem suam poterit.

(2) Lib. I, cap. III.

(3) Lib. XI.



menta, decremēta, extinctionem denique plerarumque hæreseon; Sanctorum præclara facinora, auctorum scripta, qui quovis seculo floruerunt, sive ad impugnandam, sive ad propugnandam rem christianam; opinionēs et placita, quæ per secula singula viguerunt; potissime autem varias Ecclesiæ vices, fidei firmitatem, Ecclesiæ mentem et christianum sensum (1).

466. Cum vero non omnes historici sint æque graves ac veritatis sectatores; sed alii destinata malitia aut oscitantia, alii anticipatis iudiciis præpediti, aliisque de causis, quas longum nimis esset singillatim persequi velle, non ea qua par est animi ingenuitate facta referant; sed prout diversimode affecti sunt causas nectant effectibus aut improbabilibus aut falsas, et ab eventu de intentione iudicium ferant, non se ad ætates quæ præcesserunt, sed ætates illas ad se transferentes, ut deinde sententiam ex ideis, quæ nunc obtinent, pronuncient; inde fit, ut iis, qui animum ad historiæ investigationem adjiciunt, magna sagacitate et arte critica opus sit.

467. Hic nostrum non est artis criticæ præcepta dare, quæ apud probatos auctores inveniri facile poterunt (2); nonnulla

(1) Historia ecclesiastica Natalis Alexandri theologis præ ceteris utilis est; omnes enim enumeratas partes copiose exhibet. Etenim non modo historiæ synopsis per secula singula continet, quæ satis sit ad rerum ecclesiasticarum cognitionem sibi comparandam, sed præterea eruditissimis dissertationibus referta est criticis et polemicis, quæ iisdem usui esse possunt, et ex quibus rerum segetem uberrimam quisque haurire potest; dummodo tamen legatur cum animadversionibus Roncaglia et adnotationibus Mansi. Idem dicendum de Historia Fleury, quæ critica Marchetti castigata est. Omnibus semper et rerum copia et documentorum præferendi sunt Annales Ven. Cæsaris Ba-

ronii, cum critica Antonii Pagii, ejusque continuatoris Oderici Raynaldi cum adnotationibus Mansi. Siquidem fieri posset, adeundi essent auctores ipsi antiqui, et ex ipsis fontibus aquam derivandi ob non pauca emolumenta, quæ ex ejusmodi lectione proveniunt.

(2) Plurimum ad hoc conferent prolegomena editorum Maurinorum ad opera SS. Patrum, item Petavii, Vallarsii, aliorumque ejusmodi eruditorum scriptorum, necnon Bollandianorum, in primis vero docti P. Danielis Papebrochii, qui ingentem arti criticæ utilitatem attulit; item auctores Ephemeridum Trevulsiensium, Tillemontius alique complures. Optime meritis est de re critica P. Honoratus a S. Maria, in

tamen vel obiter monita subjicere non abs re erit. Critica ars genuina recte usurpata haud levia adjumenta affert; hac enim freti viri docti permulta e tenebris eruerunt, alia ad tenebras, e quibus eruperant, relegarunt; plura facta, quæ in dubium revocabantur, plene illustrata sunt ac in tuto posita; contra vero inter fabulas amandata non pauca sunt, quæ passim uti certa habebantur; discreverunt opera notha a genuinis, sincera ab interpolatis, aliaque ejusmodi præstiterunt, quibus historia pluribus vitiata commentis ad suum lumen decusque est revocata. Verum et hic cautela adhibenda est; si enim ars critica prudens ac moderata sit, atque intra justos se contineat cancellos, valde prodest; si immoderata fuerit, effrenis ac in temerariam licentiam erumpat, noxia fit ac periculi plena. Quo vitio potissimum Protestantes laborarunt (1). Imo nec pauci Catholici, seculo præsertim superiore, ejusdem vitii incusantur (2).

468. Modus itaque servari debet in ejusmodi critice, ac 1<sup>o</sup> ne in illa se ingerat, quæ ad eam non pertinent, cujusmodi sunt, quæ spectant ad fidem, aut cum ea quoquomodo sunt connexa, et ab Ecclesiæ judicio dependentia (3); 2<sup>o</sup> ut sit prudens in iis expendendis ac dijudicandis, quæ eidem subsunt, nihil temere

op. tribus voluminibus in 4<sup>o</sup> comprehenso, cui tit. *Réflexions sur les règles et sur l'usage de la critique*, Par. 1713. Quod opus in latinum conversum prodit Venet. 1788.

(1) De quibus ita scribit Fleury in *Præfat. ad hist. eccles. : Sur ce fondement ils ont donné dans l'extrémité opposée; ils ont outré la critique, jusqu'à ne laisser rien de certain, et la mauvaise émulation de paraître savant a entraîné quelques catholiques dans cet excès*. Sane Dallæus eo progressus est, ut tanquam spurias rejecerit epistolas S. Ignatii M.; Le-Clere, in sua arte critica, et ipse fines transgressus est, aliique passim.

(2) Inter quos recensetur Erasmus, qui nimia facilitate conjecturis indulset, sive ad abjudicanda non pauca opera a SS. Patribus, quæ postea maturiore examine illis restituta sunt, sive emendandis aut substituendis verbis, quæ ipsi non arridebant; item Richardus Simonius, Dupinius, Mainbourg, Baillet, præcipue vero Launojus, aliique non pauci.

(3) Huc refertur Mabillonii effatum, non esse brevioram viam ad perdendam fidem, quam ipsam fidem velle ad crisin revocare. Cfr. ejus præclarum opus, cui tit. *Tractatus de studiis monasticis*, ex gall. ling. in latinam versum a P. D. Josepho Porta, Venet. 1745.



statuat, præcipue contra communem antiquitatis sensum, et absque gravi momento, adeo ut neque levissimis conjecturis, neque puerilibus rationibus, aut ex argumento mere negativo, ex eo deprompto quod forte res aliter se habuerit aut habere potuerit, ea in dubium revocentur, aut etiam negentur, quæ aliunde fidem obtinuerunt apud viros graves et prudentes, et communi calculo probata sunt (1); 3<sup>o</sup> debet esse modesta ac sobria, ita ut non refragetur communi Patrum sensui, Ecclesiæ judicio, Conciliorum aut Romanorum Pontificum decisionibus. Non enim defuerunt, qui inanis cujusdam artis critices obtentu omnia pene Religionis fundamenta subruere adnisi sint (2).

469. Tres canones profert statuitque Canus, quibus historiæ auctoritatem complexus est, quatenus ea theologus uti in rem suam potest. Sunt autem: I<sup>us</sup>, Præter auctores sacros nullus historicus certus esse potest, id est, idoneus ad faciendam certam in theologia fidem (3). II<sup>us</sup>, Historici graves, quales nonnulli

(1) Cfr. quæ scite adversus Launojum dissertat. *De auctoritate negantis argumenti*, scribit P. Honoratus a S. Maria, in op. cit. *Animadversiones in regulas et usum critices*, tom. 1, dissert. 3, art. 2. Tota Launojani ædificii moles, quanta est, inquit perbelle Thiersius, in *Defens. adversus Launoji appendic. ad dissert. de auctoritate negantis argumenti*, in negante argumento, quo præsertim in sequentibus libris usus est Launojus, tanquam cardinibus volvitur ac revolvitur. Cfr. *Prodromus Joan. Launoji operum*, edit. Coloniae Allobrogum, 1731, tom. 1, pag. 19.

(2) Jos. Gautier, in cit. *Prodromo ad Theologiam*, diss. 3, cap. 3, et art. 2, *De adminiculis historiæ et artis criticæ in theologia*, ubi breviter inveniuntur collecta ex probatoribus auctoribus, quæ ad præsens argumen-

tum referuntur. Si quis vero uberlorem cognitionem exoptat, adeat auctores citt. præcipue vero Honoratum a S. Maria, qui copiosissime ac solide rem hanc pertractat

(3) Lib. XI, cap. 4, conclus. 1. Nonnulli tamen adnotarunt, rei alicujus vel ab unico etiam historico relatæ posse constare certitudinem, si ratio habeatur tum ad rei naturam, quæ narratur, quæ ex. gr. sit publica, referatur ab auctore cœvo, et ex qua graves pendeant effectus sive consecutiones, tum ad circumstantias, quæ tales sint, ut non potuerint confingi, et a nemine fuerint falsitatis reprehensæ, tum ad gravitatem et sinceritatem auctoris. Sane nos non semel auctoritati unius auctoris acquiescimus, quando in eam talia adjuncta concurrant, quæ omnem dubitandi suspicionem eliminant.



sine dubio et in ecclesiasticis et in secularibus fuere, probabile argumentum theologo suppeditant, cum ad ea, quæ sua sunt, corroboranda, tum ad falsas adversariorum opiniones refellendas. III<sup>us</sup>, Si omnes probati ac graves historici in eandem rem gestam concurrant, tunc ex horum auctoritate certum argumentum promitur, ut theologiæ dogmata etiam firma ratione constituentur (1). Ad discernendos autem veros a falsis historicis valde conferunt notæ, quas in unum congescit Card. Baronius, scribens: *Non parum certe interest, in veritate historica disquirenda, auctorum, qui res gestas scripserunt, quo vixerint tempore, cujusve fuerint eruditionis atque existimationis, habere rationem; potissimumque, si hujusmodi scriptores rerum perspectarum, ac eorum ætate editarum, pietatem et virtutem cum doctrina et veritate conjunxerint; ut plane digni sint, quibus fides integra adhibeatur; soli sint, quibus ceteri assentiantur; soli denique sint, quibus reliqui, quæ sciverint vel scripserint, tanquam ab iis accepta referant* (2). Demum quisque ad historiarum studium se confert, ille meminerit, utrumque deesse historiæ oculum, ut ait Huetius, si illi chronologia desit et geographia.

### CAPUT III.

DE MEDIIS SINGULARIBUS, QUIBUS ANTIQUA TRADITIO TRANSMISSA  
EST ATQUE COGNOSCITUR.

470. Hactenus media generalia expendimus, per quæ antiqua dogmatica Traditio ad nos pervenit, quibusque internoscitur; his jam adjicere lubet media singularia seu particularia, quibus magis ac magis deprehenditur catholicæ fidei veritas, quæ ope documentorum propagata est. Præcipua autem sunt epigraphia, numismatica, picturæ, sculpturæ, sepulcreta, vulgo *catacumbæ*, sacræ ædes, quæ omnia negligi nullatenus a theologo possunt. Cum enim ejusmodi documenta ad primordia ipsa christianæ

(1) Ibid. concl. II et III.

edit. Lucens. 1738, tom. I, pag. 176.

(2) Ad annum Christi 34, n. 173,

religionis assurgant, vim præ se ferunt ad persuadendum maximam, ita ut non pauci, qui aut sanctorum Patrum scriptis aut Conciliorum decretis aliisque id genus argumentis permoveri non potuerunt, victi demum antiquissimis his monumentis veritatem agnoverint, et ejuratis, quibus imbuti erant, erroribus, se ad Ecclesiæ catholicæ sinum receperint (1). Vix enim aliquod fidei catholicæ dogma est ex iis, quæ Protestantes veluti novitia inventa, et romanas præstigias fædamque *papismi* corruptionem traduxerant, quod non firmetur his monumentis antiquitatis. Nobis hic propositum haud est de singulis modo recensitis monumentorum classibus ex professo pertractare, cum præstitutus nobis finis id non ferat; satis proinde erit ad scopum nostrum nonnulla saltem delibare, quæ usui theologo et adjumento esse queant, ut hic ex Traditione hisce mediis cognita feliciter dimicare valeat adversus fidei catholicæ osos et hostes; quod ut facilius obtineat, prolatis opportunis exemplis rem totam illustrabimus, ad probatos auctores quoad reliqua remittentes auditores nostros, ut, cum opus fuerit, uberiores sibi cognitionem comparare possint.

(1) Sic enim scribit Aringhius, de opere celeberrimo Antonii Bosii ejusque continuatoris Severani, cui titulus *Roma subterranea : Riportò poi tanto l'autore primiero, quanto esso, straordinario applauso, massimamente appresso i paesi oltramontani, i quali tirati dalla curiosità, facendo a gara nel leggerla, per scoprirsì in essa i riti della chiesa nascente, il culto delle sacre immagini, e l'antica venerazione delle reliquie de' santi, alcuni eretici in leggendo convertironsi alla santa fede, ed abjurando l'eresia tornarono al grembo della chiesa*. Adesis versionem hujus loci latinam ad calcem

voluminis. Cfr. Bottarius, in præfat. op. *Sculture e pitture sacre estratte dai cimenterj di Roma*, Roma 1737, pag. 5. Mabillonius quoque refert, in suo *Itinere Ital.* pag. 134, edit. Paris., Batavum quemdam, nomine Albertum, domi suæ non ignobilem, qui Romam accesserat, ut suis ipse oculis subterraneos veterum Christianorum receptus, ibique condita monumenta lustraret, adeo sectæ, cui adhæserat, pœnituisse, ut severiorum Franciscalium se veste induerit, dumque Mabillonius scribebat, ex asperrimis illorum legibus viveret.

## § I.

*De Epigraphia.*

471. Magni faciendam esse veterum inscriptionum christianarum auctoritatem, ex eo facile colligitur, quod antiqui fideles summo cum animi candore lapidibus ad perennem memoriam consueverint fidem suam exhibere. Luculentissima proinde Traditionis ac fidei tunc temporis receptæ, cum ejusmodi inscriptiones prodierunt, testimonia sunt, et eo pretiosiora, quod pauca omnino ex primis Ecclesiæ seculis Patrum scripta ad nos usque pervenerint (1). Quare ejusmodi inscriptiones tanquam supplementum spectari debent librorum inopiæ, quos vel vulgare Patres, tot pressi ethnicorum insectationibus, non potuerunt, aut tempus edax nobis eripuit. Quod autem de inscriptionibus diximus earumque auctoritate et usu in rebus theologis, ne sæpius eadem iterare debeamus, de monumentis reliquis intelligi debet. Nam quod de priscis Romanorum monumentis aiebat Tullius, et nos usurpare possumus: *Exempla ex vetere memoria et monumentis ac litteris, plena dignitatis, plena antiquitatis. Hæc plurimum solent et auctoritatis habere ad probandum, et jucunditatis ad audiendum* (2).

472. Atque ut exemplis rem nostram illustremus, ex inscriptionibus, omissis quæ ad Dei unitatem ac Personarum Trinitatem, divinitatemque Christi confirmandam spectant (3), ut insistamus in maxime controversis articulis, in primis quoad infantium

(1) Reipsa Patrum latinorum scripta ex primo seculo nulla habemus; ex sec. II unus superest Tertullianus, qui jam attingit secul. III; ex III sec. præter Cyprianum unus alterve floruit, quem allegare possumus; paucos etiam edidit sec. medium IV. Plerique vero eorum, qui sub sec. IV finem, aut sec. V scripsere, exteri sunt; christianæ vero inscriptiones italicarum Ecclesiarum, ac Romanæ cum primis traditio-

nem exponunt. Cfr. Zaccaria, dissert. *De veterum christianarum in rebus theologis usu*, cap. 2.

(2) *In Verrem*, act. II, lib. III, cap. 90, edit. Taurin. 1826, opp. tom. V.

(3) Has magno numero collectas atque in sua propria argumenta distributas reperies apud Gener S. J. in *Theologia dogmatico-scholastica*, Romæ 1768, tom. II.



Baptismum innumeri pene suppetunt lapides, in quibus perhibentur infantes recens tincti *fideles* ac *neophyti* nuncupati. Sic apud Victorium novem mensium puella *Tecla fidelis* appellatur (1), item Victor dierum LXXX apud Boldettum *Neophytus* dicitur (2), nec non Apronianus, qui *annum agebat, menses novem, dies quinque*, cum *fidelis de seculo recessit* (3); item Achilliam *Neophytam unius anni mensium V*, exhibet Muratorius (4); ut alia silentio prætereamus (5). De Sacramento Confirmationis a Baptismo distincto inter cetera occurrit inscriptio de *Picentia legitima Neophyta* (jamdiu baptizata), *die V Kal. Sept. CONSIGNATA a Liberio P. F.* apud Gruterum (6). Nec minus illustria sunt, quæ occurrunt in veterum Christianorum inscriptionibus de reali Christi præsentia in Eucharistia, ut fidem facit græca inscriptio Augustoduni nuper reperta (7); ita pariter de invocatione Sanctorum eorumque cultu. Etenim præterquam quod

(1) *In dissert. philologica*, Romæ 1751, pag. 48.

(2) *Osservazioni sacre sopra i cimenterii*, pag. 807.

(3) *Ibid.* pag. 462.

(4) *In novo Thesaurio veterum inscriptionum*, Mediol. 1742, class. xxv. pag. 1819.

(5) Ex his aliisque monumentis, quæ ad primævam Ecclesiam spectant, colligimus, quid sentiendum sit de Shuttleworthii assertionem, probari non posse Baptisma parvulorum ex traditione, eo quod primis duobus seculis ab Ecclesia Baptismus collatus non fuerit *infantibus*. Certe ex hoc ipso ostendit hic auctor, se parum versatum esse in studio antiquitatis christianæ.

(6) Cf. Zaccaria, *dissert. cit.* cap. 12.

(7) Celebrem hanc inscriptionem, quæ reperta est an. 1839, qua evidenter realis Christi præsentia fides apud christianos in aut iv Ecclesiæ seculo ad-

struitur, omnium primus suæ integritati restituit ac illustravit Cl. collega meus Jo. Petrus Secchi, in hac Universitate Gregoriana philologiæ græcæ professor, in *Dissert.* quam legit in Academia Archæologica die 11 Jun. 1840, typisque eodem an. vulgavit. Attamen protestans Franzius, cum eam dissertationem ac illustrationem postulasset et dono accepisset a cl. auctore, in Germania deinceps post menses sex tacito nomine expilavit, ac sibi plausit tanquam primo inscriptionis illustratori, licet illam hæreseos lutheranæ signis contaminaverit, potius quam illustraverit; fatetur quidem, non aliter explicari posse quam de reali præsentia, sed *impanationem* et *invinationem* lutheranam miserabiliter obtrudit, quamvis *μετουσίωσις* ex inscriptione quoque apertissime comprobetur. De hoc litterario negotio ex ipsa Germania insignis vir, qui dissertationem primam jamdiu

eos passim in epigraphis vocant *domnos* et *dominos* (1), ubique venerationis ac reverentiæ causa, vota etiam ipsis persolvisse exhibentur Christiani. Sic *Camasius* et *Victorina* PAPRO et MAUROLEONI *sanctis Martyribus* vota solvisse dicuntur (2); votum pariter S. Petro solvisse Agathum quemdam, docet Gruteriana inscriptio (3); quemadmodum et tabula marmorea a Fabretto prolata exhibet votum oblatum Paulo (4). Sanctos etiam pie a fidelibus fuisse invocatos testatur inscriptio apud Maffejum : PETE PRO PARENTES TUOS (5), et altera apud Bonarotium : PETE ET ROGA PRO FRATRES ET SODALES TUOS (6), ubi observat cl. Guadagnius, etsi recta latinæ locutionis structura his titulis desideratur, non minus esse illarum pro nostro dogmate expressam sententiam (7). Plura jam attulimus suo loco, quæ patefaciant priscam Christia-

acceperat a cl. auctore, datis ad eum litteris 10 Febr. 1842, ita scribit : *Bibractensis tua inscriptio nunc per omnes Germaniæ doctas ephemerides discurrit, sed non tuo nomine, ita sunt φιλανθοὶ hæretici, verum Franzii et aliorum.* Quis non miretur, post ea quæ diximus, ignorari in Germania, quod tamen non ignorabatur in Anglia, jam inde a Januario anni 1841, ut patet ex *The catholic Magazine*, p. XLVIII. January 1841, London?

(1) Plura exempla profert Victorius, in dissert. cit. pag. 28 et seq.

(2) Eam protulit Zaccaria, in sua *Storia letteraria d'Italia*, vol. II, pag. 533, Venezia 1751.

(3) Apud Zaccariam, dissert. cit. cap. ult.

(4) *Inscriptionum antiquarum, quæ in ædibus paternis asservantur, explicatio et additamentum*, Romæ 1699, pag. 758, n. 639.

(5) In *Musæo Veronensi*, Veron. 1749, pag. 264, n. 13.

(6) *Osservazioni sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro ornati di figure trovati ne' cimiteri di Roma*, Firenz. 1716, pag. 168.

(7) *Opuscoli postumi italiani e latini dell' avvoc. Franc. Guadagni Romano*, Roma 1838, *Orat.* III, *De dignitate et utilitate monumentorum christian.*, pag. 100. Huc etiam spectat inscriptio, quam non ita pridem in cœmeterio viæ Nomentanæ ad S. Agnetem reperit alter collega meus Rethoric. profess. in Coll. Rom. Cl. P. Jos. Marchi, quamque reposuit in Musæo Kircheriano, ac latine ita se habet :

*Dionysius. Puer. Innocens  
Hic. Quiescit. Cum. Sanctis  
Recordamini. Autem. Etiam  
Nostrum. In. Sanctis. Vestris  
Precibus. Et. Mei. Scilicet. Qui  
Sculpsi. Et. Mei. Qui. Scripsi.*

Hanc græce, prout reperta est, vulgabit illustrabitque in opere, cui incumbit cl. auctor, circa monumenta vet. Christianorum.



norum fidem circa lustricum carcerem, ac suffragium quod animabus in illo detentis affertur ex fidelium precibus (1); nunc addere juverit inscriptionem in Callixti seu Prætextati sepulchreto repertam, in qua tituli conditor optat ac precatur defuncto, ut *illius Deus recordetur* (2). Hoc idem conficit Brixianum dypticum, his verbis inscriptum: *Memento, Domine, omnium defunctorum Pontificum*, etc. (3). Et hæc speciminis gratia delibasse sufficiat, ut pateat, quale emolumentum pro re catholica ex inscriptionibus derivare theologus possit.

473. Ut tamen utilior evadat ac fructuosior inscriptionum usus, præ oculis regulæ habendæ sunt, quas doctissimus Zaccaria subjicit: 1º Lapidum, quorum testimonium adhibetur, ætas constare debet; 2º Antequam inscriptiones antiquæ ad theologiam tractationem deducantur, legendæ quam accuratissime sunt; 3º Curandum maxime est, ut recto ac genuino sensu inscriptiones intelligas; 4º Cavendum, ne phrases quædam perperam accipiantur; 5º Ut firmum ex inscriptionibus ducas argumentum, unam cum alia conferre juvabit. 6º Cum aliis ejusdem ætatis certissimis monumentis inscriptiones conferto; 7º Demum non inscriptiones solum, sed earum quoque ornamenta perpendito, atque ex his ipsis seu illarum sensum colligito seu novum argumentum ducito (4).

## § II.

### *De veterum Christianorum monumentis reliquis.*

474. Ne longius quam par est, ad ulteriora properantes, rem protrahamus quoad reliqua enumerata monumenta, veluti totidem traditionis dogmaticæ rivulos, per quos ad nos dimanavit

(1) In tract. *De Deo creat.* part. III, cap. VI, art. II, prop. unic. n. 693.

(2) Apud Muratorium, in cit. *Novo Thesaurò inscript.* tom. IV, pag. 1836, n. 6.

(3) Ex tom. XXVIII *Veneti erudi-*

*tor. Diar.* Maffejus, in *Dicatione* cit. *Musæi Veronens.*

(4) Cfr. Zaccaria, in *dissert. cit.* quæ reperitur in ejus *Thesaurò Theolog.* tom. I, pag. 327 et seqq. ubi singularum regularum rationem reddit.



primævæ Ecclesiæ fides, quibusque certissime constat de recepta priscis illis christianæ societatis exordiis eadem catholicæ, quæ nunc obtinet, fidei doctrina, superest, ut, postquam de istorum monumentorum vi et auctoritate disseruimus agentes de inscriptionibus, jam peculiaribus exemplis; ex qualibet monumentorum classe petitis, rem nostram illustremus.

475. Ex pictura sane atque sculptura, ut ab his incipiamus, ad quas revocari possunt vitra, opera tessellata, gemmæ, lucernæ, sarcophaga, et id genus artificum et fabrorum labores, qui injuriam temporis nostrorumque hostium importunum furorem superarunt, plura erui posse veteris Christianorum Traditionis documenta, nemo est qui, si vel leviter oculos conjecerit in opera Bosii, Arringhii, Bottarii, Victorii, Lupi, Maffeji, Boldetti, ceterorumque, qui data opera monumenta illa collegerunt et expenderunt, inficiari queat. Ex his enimprehendimus, supremam Petri in Ecclesiam potestatem constitui, et everti paradoxum de bicipiti Ecclesiæ capite Petro et Paulo, perinde ac si æquali potestate ambo Apostoli societatem christianam rexissent. In musæo siquidem Florentino ænea lucerna asservatur, qua navicula exhibetur Ecclesiæ symbolum referens apud veteres Christianos usurpatum, in qua Petrus in puppi sedet, et clavum tractat, dum in prora stat Paulus eo gestu, illo ore, quo verba faciens orator sit exprimendus, quibus aperte significatur Petrus solus veluti supremus Ecclesiæ rector, qui ejus gubernacula teneat (1). Hoc ipsum confirmatur ex vitreo fragmento apud

(1) Cfr. Mamachus, *Antiquit. Christ.* tom. v, pag. 99; Lamius, *De erudit. Apostol.* cap. 4, pag. 61; Fogginius, *De Romano D. Petri itinere*, Exercit. 20. De hac ipsa lucerna Maffejus, in op. *Verona illustrata*, Verona 1732, part. III, cap. 3, pag. 107, scribebat: *Sovvienmi d'una lucerna antica di metallo, osservata da me più volte nella galleria del gran Duca, e lavorata quando l'arti erano ancora di ra-*

*gionevol grado: è in forma di barca, con S. Paolo in atto di predicar dalla prora, e S. Pietro che siede in poppa, e stà reggendo il timone. Quel monumento parla più d'un libro.* Hujus loci versio latina legi potest ad calcem voluminis. Ita quidem, subdit Guadagnius, loc. cit. nihil pro Romani Pontificis juribus afferri hoc monumento ponderosius potest.

Buonarotium, in quo uterque Apostolus sedens exhibetur in nobili pariter at non uno in scamno, et in aliis etiam alter ab altero discriminatur. Nam Paulus pingitur diductis labiis loquens pro concione; Petrus vero dexteræ manus tres digitos explicat, ritu Episcopi populo fausta precantis, quo profecto superior Petri et in Paulum et gregem dominicum universum exprimitur potestas. Infallibile porro Ecclesiæ magisterium passim exhibent anaglypta navis Ecclesiam referentis, supra cujus malum Spiritus Sanctus sub columbæ specie invisitur (1). Quomodo ex picturis Ecclesiæ Romanæ fides circa libros, quos deuterocanonicos vocamus, aperte constet, suo loco ostendimus (2). Quid etiam conferant picturæ, cælaturæ, sculpturæ, ad avitam fidem patefaciendam circa imaginum usum in Ecclesia Sanctorumque venerationem, alibi aperuimus (3); ut de aliis doctrinæ catholicæ dogmatibus sileamus, quibus illustrandis confirmandisque mirum est quanto adjuumento ejusmodi documenta sint.

476. Numismata etiam conferre ad rem Christianam constabiliendam ex eo deprehendimus, quod illorum ope librorum Machabæorum veritas sit vindicata adversus Protestantes, qui autumarunt, se ineluctabile ex chronologia ad elevandam illorum auctoritatem argumentum opposuisse (4). Idem dicatur de

(1) In op. cit. Tavol. xvi. fig. 1.

(2) Sect. I, cap. I, prop. I. Cfr. D'Agincourt, *Pitture tav.* VII, n. 3, in qua exhibet picturas spectantes ad sec. II, ex cœmeterio Priscillæ, edit. Prat.

(3) In tract. *De cultu Sanct.* cap. v, prop. II, tom. IV.

(4) Celebris est controversia, quæ adversus P. Frölichium S. J. mota est ex occasione, qua ipse ad adstruendam veritatem utriusque lib. Machabæorum contra Protestantes, præter anteriora, duo numismata protulit, alterum cusum an. 184, alterum vero an. 185, sub nomine *Antiochi*, in op. *Ad numis-*

*mata Regum Veterum anecdota et rariora*, pag. 69. His aliud adjecit Jos. Eckhel ejusd. Soc. quod cusum perhibetur  $\epsilon\Pi\P$  seu an. 186 regni Seleucidarum, in *Sylloge I nummorum veterum*, Viennæ 1786, pag. 87, et in *Doctrina nummorum veterum*, Vindobon. 1792, tom. III, pag. 236. Ex quibus solvitur difficultas deducta a Protestantibus ex auctoritate scriptorum profanorum, qui in prælio occubuisse Antiochum Evergetem perhibent an. 182 æræ Seleucidarum, cum tamen ex lib. II Machab. perhibeatur defunctus ad minus an. 186. Quare Eckel in cit. *Syl-*



pluribus aliis doctrinæ christianæ capitibus, quibus illa haud parum inserviunt (1).

477. Sepulcra porro ac sacras ædes in eundem finem col-lineare abunde ex eo liquet, quod ibidem reperiantur altaria erecta ad Sacrificii celebrationem; imagines symboli- cæ, quibus præcipua religionis nostræ mysteria adumbrabant primi Chri- stiani (2); imagines item Christi, Deiparæ, sanctorum Apostolorum ac Martyrum, quarum aliquæ cum supra altare ipsum, in quo divina peragebantur mysteria, reperiantur, argumento certissimo sunt, non ad usum solum, verum etiam ad venerationem eas fuisse adscitas (3). Id ipsum luculenter evincunt cruces, non supra altaria solum, sed etiam ad sacelli ingressum collocatæ, ut eas Christiani exoscularentur (4). Ex his ulterius edocemur, quæ fuerint vasa sacra ad cultus christiani usum (5). Ipsa etiam ædium sacrarum structura indicat distinctionem, quæ interce- debat inter Sacerdotum ministrorumque ceterorum consessum et plebem (6). Cum præterea in iisdem passim occurrant altaria,

*loge* 1, p. 88, merito subdit: *Quod si nummum, quem coram proposui, vidisset (Frölichius), qui per an. 1866, uno adhuc anno est posterior, et qui annus idem ipse est, quem fuisse Antiocho VII postremum præclare et feliciter est auguratus? Habeant igitur pii ejus manes insigne istud industriæ et eruditionis præmium, imple- tumque liberaliter hac iterum parte votum lubens gratulor, quo vir illus- tris stabilire historicam librorum Mac- cabaicorum fidem toto animo exoptavit.*

(1) Cfr. Wiseman, *Conferenze sopra la connessione delle scienze colla reli- gione rivelata*, Confer. 1x, *Sull' Ar- cheologia*.

(2) Talia sunt symbola *unius arcæ*, in qua salus esse potest; *ancoræ*, et *sipientis cervi*, *piscis*, *columbæ*, *A* et *Ω*, de quibus fuse scribunt colle-

ctores antiquitatum christianarum supe- rius commemorati, atque in primis Bol- detti, lib. 1, cap. 7, pag. 29 et seqq. Mamachius, *De moribus prior. Chri- stian.* lib. 1, cap. 1, § 1, pag. 182, 191, 196.

(3) Cfr. Boldettus, *ibid.* cap. 3; Guadagnius, *orat. cit.* pag. 97, 98. Ego ipse imaginem Deiparæ in cœme- terio S. Agnetis via Nomentana supra altare depictam consexi, in qua Sa- crificium celebrabatur, referendum ex periti pictoris judicio ad minimum ad sec. Ecclesiæ III.

(4) *Ibid.*

(5) Cfr. Voigtius, *Thysiasteriologia*, sive *Liber de altaribus veterum Chri- stianor.* per J. Albertum Fabricium in lucem editus, Hamburgi 1709, cap. 13. Item Mamachius, *op. cit.* lib. III, cap. 1.

(6) Ara enim eminebat, ut, quum



quæ ex ipsis Martyrum sepulchris constituebantur, discimus, quam antiqua sit colendi sacras Martyrum reliquias consuetudo, et qua veneratione Sanctos primi fideles prosequerentur (1). Ex eo siquidem factum est, ut altaria passim vocarentur *sepulchra Martyrum*, *memoriæ Martyrum*, *martyria* sive *confessiones* (2). Altarium demum in eadem Ecclesia multitudo luculentissime pariter adstruitur recepta apud priscos Christianos; adhuc enim cubicula invisuntur in sepulcretis, in quibus, licet angustis, duo, interdum tria aut novem etiam erecta altaria habentur (3). Idem dic de locis ad confessiones excipiendas destinatis, quæ ibidem passim occurrunt (4).

478. Quæ cum ita se habeant, æquis unquam inficias iverit, ex antiquitatis monumentis validissimum ad catholica dogmata propugnanda argumentum promi, quo cunctis os obstruatur catholicæ fidei obtrectatoribus, quum horum monumentorum pleraque ad tria priora Ecclesiæ secula spectent, ad secula nimirum illa, quæ pura, imo aurea certatim Protestantes vocare consueverunt? Ex iis enim dum perpetua Ecclesiæ traditio adstruitur

Sacrum fieret, esset Sacrificii ordo ac ritus multitudini, inferiorem e regione aream implenti, conspicuus. Alæ insuper, seu minores porticus, mediam aream utrinque stipabant; locus suus destinatus viris ac seorsum mulieribus. Cfr. Guadagnius, loc. cit. pag. 66.

(1) Cfr. Boldetti, op. cit. lib. 1, cap. 8, pag. 29, et D'Agincourt, *Storia dell' arte dimostrata coi monumenti*, Prato 1826, vol. II, part. 1, pag. 89 et seq.

(2) Ibid. pag. 36 et seq.

(3) Et hæc ipsa cubicula, in quibus plura altaria adhuc existunt, usurpavi oculis meis in commemorato cæmeterio in via Nomentana. Ex his luculentissime refelluntur janseniani, dum contendere ausi sunt, juxta venerandam

antiquitatem, nonnisi singulare in quolibet Ecclesia altare esse debere.

(4) Prout ostendet P. Marchi in sua illustratione monumentorum christianorum. Ex his patet, Romam posse adversarios suos, qui eam nempe incusant, quod desciverit a prisca Patrum fide innovationibus, quas tempore labente induxit, parietibus suis, lapidibus ac cæmeteriis, picturis ac cælaturis ad silentium reducere ac pudore suffundere. Siquidem adhuc de illa, quod cecinit Propertius, lib. III, *Eleg. XII*, verificatur :

*Omnia Romanæ cedant miracula  
terræ ;*

*Natura hic posuit quidquid in  
orbe fuit.*

circa præcipua fidei dogmata, quæ a Protestantibus in dubium revocata sunt, imo uti totidem corruptelæ recens inductæ rejecta, istorum arguitur a primævæ Ecclesiæ fide turpis defectio. Etenim per illa patefit, in nullo prorsus fidei articulo Ecclesiam innovasse, sed heterodoxos plane ab antiqua doctrina descivisse.

479. Ex hactenus constitutis de traditionis dogmaticæ cognoscendæ mediis, sive generalibus sive particularibus, infertur insuper adversus illius osores, quam ratione integra conservari traditio potuerit, et ad nos usque intemerata dimanare. Ecclesia enim, cui fidei depositum a Christo ejus conditore commissum est fideliter custodiendum, divina ope freta optime munere suo functa est in ea tutanda, non secus ac præstiterit circa Libros sacros. Præpostera, uti vidimus, traditionis notio, quam sibi Protestantes finxerunt, causa extitit, cur ipsis visum fuerit fieri nunquam potuisse, ut hæc sine heterogenea, ut ita loquar, mixtione transmitteretur atque conservaretur (1). Autumant enim, a Catholicis traditionem concipi tanquam verbum, quod alicujus auribus commissum sit, ut deinde ab isto alteri communicetur, et ita porro. Ast quam immane a veritate distent in ejusmodi sibi commento confingendo, perspicue patet ex ipsa rei, de qua agitur, natura. Etenim Christus doctrinam suam non uni vel alteri singulari commisit individuo, sed Apostolis omnibus, sive Ecclesiæ suæ, quam instituerat; Apostoli item toti pariter Ecclesiæ seu Episcopis, quos Ecclesiis præfecerant universim, illam tradiderunt; Ecclesia profiteri exinde cœpit integram Christi doctrinam, ob ortu nempe suo, eademque deinceps insequentibus seculis professa est ad nos usque, atque ad mundi usque finem eadem profitebitur. Hujus perennis ac intemeratæ professionis vadem habemus ipsum Christum, qui ei propterea suum auxilium in eum finem pollicitus est; vades insuper habemus illa omnia media, quæ indicavimus tum generalia tum particu-

(1) Si ad hæc serio attendisset Shult-leworth, nunquam ei excidisset, quod op. cit. pag. 68, scripsit, tam fieri posse, ut traditiones orales admittere

queamus uti probationem facientes, quam fieri possit, ut Jordanus purus egrediatur ex mari mortuo. Ita seculo XIX Professor Oxoniensis!

laria, ad factum quod attinet. Ex illis enim constat, præcipua dogmata institutionibus publicis alligata fuisse, usu perenni ac praxi consecrata, consignata monumentis, adeo ut fieri nequiverit quælibet innovatio aut corruptio, si præsertim simul omnia spectentur; siquidem omnia in adstruenda doctrina catholica mirifice conspirant.



## PARS TERTIA.

## DE ANALOGIA RATIONIS ET FIDEI.

1. Summi momenti quæstio est, quam hic tractandam suscepimus, eademque certe antiquissima, quippe quæ ad ipsa pene rei christianæ primordia revocari potest. Simul ac enim christiana fides prædicari ubique ac late propagari cœpit, fieri non potuit, quin humana ratio, philosophicis jampridem ethnicorum studiis exulta, inquirere aggredere, quidnam sibi ex ea fide superveniret, quid ista a se exigeret, quaque ratione principia illa, quibus e nativo lumine suo ipsa potiebatur, cum fidei dogmatibus conciliarentur. Hinc prouti hæc inquisitio instituta est, diversum omnino peperit effectum. Nam qui animi anticipatis judiciis posthabitis veritatem consecrati sunt, rectumque ipsum rationis lumen sunt secuti, fidei veritatem, maximumque inde rationi ipsi commodum promanans agnoverunt, omnemque ingenii sui aciem ac philosophicam sibi partam doctrinam in christianæ Religionis defensionem impenderunt (1). Contra vero qui, tumida superbia elati, rationi suæ veluti indecorum existimarunt, eam in obsequium Christi ejusque doctrinæ captivare, ex philosophia ipsa arma adversus fidem depromere adnisi sunt (2). Et quoniam

(1) Exemplo sunt philosophi, iidemque ad christianam fidem conversi, qui apologetæ ejusdem extitere præstantissimi, Clemens Alex., Justinus, Athenagoras, Quadratus, Arnobius, Minucius Felix, etc. qui id expresse testantur in scriptis suis pro Religione christiana editis.

(2) Exinde enim ortus est gnosticismus, qui tot impia systemata effudit: pantheismum videlicet in Apelle, Valentino, Carpocrate, Epiphanio; manichæismum in Saturnino, Basilide, Bardesane, Marcione, Manete, etc. Hinc item erupit neo-platonismus seu

syncretismus Alexandrinus, qui quidem philosophiam pythagoricam, platoniam, aristotelicam, ac etiam orientalem in unam congescit, ac simul permiscuit, quo sese fidei christianæ propagationi opponeret; unde prodire Porphyrius, Hierocles, Julianus, etc. qui hanc ex professo impugnarunt. De hisce videre est inter recentiores Tenneman, *Grundriss der Geschichte der Philosophie*, seu, *Adumbratio historię philosophię*, Lipsiæ 1825, § 200, pag. 188 et seq. nec non De Gerando, *Histoire comparée des systèmes de philosophie*, Paris. 1804, tom. 1, cap. 3.

una eademque semper extitit fidei natura, atque ea humanæ rationis varia semper indoles fuit, ut duplici illo contrarioque plane motu, centripeto, si ita loqui fas est, ac centrifugo in fidem ferretur, hinc insequentibus etiam seculis de ratione in ordine ad fidem, atque utrum inter illas aliqua dari posset concordia, identidem dimicatum est.

2. Nunquam vero magis hæc ipsa ferbuit controversia quam ex eo tempore, quo recens Protestantismi ortus rationem humanam æque ac divinam fidem tantopere agitare ac permiscere cœpit. Atque ad hanc quidem componendam quæstionem præclara ingenia non inter Catholicos duntaxat, sed etiam apud Protestantes in aciem prodierunt, ac vario successu adlaborarunt (1). Ætate vero recentiore res multo magis implexa ac salebrosa effecta est ob tantam rerum philosophicarum conversionem, ob tot tamque opposita philosophiæ systemata inde exorta, ob tam acrem demum animorum hac in re contentionem tum inter Protestantes tum inter Catholicos ipsos, ut vix, ubi tuto pedem figere possis, invenias.

3. Sunt enim qui rationis humanæ vim adeo deprimunt, ut illam enervem ac pene intermortuam velint; sunt qui tantopere eandem ipsam extollunt, ut de ipsis revelatis veritatibus iudicium arbitriumque ei deferant; sunt denique qui sic scientiam ac fidem inter se committunt, ut simul consistere haud posse

(1) Inter Catholicos præter antiquos scholasticos, qui data opera de fide scripserunt, aliosque de quibus postea loquemur, eminent Nonnote, Houtteville, Bergier, Valsecchi, Spedalieri, aliique non pauci, qui fidei patrocinium adversus incredulos felici adeo exitu susceperunt. Inter Protestantes vero id ipsum efficere aggressi sunt Leibniti, Jaquelot, Turretinus, etc. Ast difficile hoc omnino Protestantibus est, nec nisi infelici exitu pertentare ejusmodi conciliationem ipsi possunt, cum adeo male

perspectam habeant fidei naturam, totque erroribus detineantur in materia de gratia, de peccato originali, justificatione, etc. prout suo loco exposuimus, tum in tract. *De Deo creatore*, part. III, tum in tract. *De gratia* part. I et II. Quapropter Leibniti, eo ipso quod fidei catholicæ valde accesserit, in eamque propensus magnopere extiterit, ut liquet ex egregio ejus *Systemate theologico*, quod sæpius allegavimus, præ Protestantibus reliquis potuit accuratius hoc de argumento disserere.

demum concludant oporteat. Undique proinde syrtes ac latentes etiam scopuli, in quos primum valde est navim infringere. Nimis igitur interesse junioris theologi debet, pelagi hujus, quem ipsi transfretare opus est, pericula accurate dignoscere, atque aliquam habere normam, qua cursum suum caute sapienterque dirigere queat. Quo fit, ut in postrema hac tractationis nostræ parte de Locis Theologicis, quidquid ad hanc controversiam attinet, negligere omnino non debeamus. Campus, qui nobis excurrendus hac in re sese offerret, esset quidem amplissimus; sed instituti nostri minime obliti, disceptationem hanc quibusdam veluti cancellis concludemus, ac ea tantum, quæ ad rem nostram necessaria et accommodatâ sunt, sectabimur.

## SECTIO PRIOR.

### DE ANALOGIA RATIONIS AC FIDEI IN SE SPECTATA.

4. Haud vero nos latet magna hujus tractationis difficultas; eo vel magis quod fieri hac in re vix possit, ut, dum pro suscepti instituti munere veritatem in tuto ponere ac tueri aggrediaris, nonnullorum etiam optimorum Catholicorum, quorum abnormes hoc in argumento sententiæ necessario sunt perstringendæ, animos non offendas. Verum, dum nos doctrinas ac placita libere ventilabimus, nihil inde illorum personis, quæ Religionis studio ac scientia præstant, detractum iri volumus. Nec tamen ita de labore hoc nostro præsumimus, omnes ut hac de re controversias nunc temporis exardescentes dirimi inde facile posse confidamus. Illud tantum nobis proponimus, atque adeo assequi conabimur, ut juniores theologi, quos erudiendos suscepimus, habeant demum perspectum, quod sibi iter in via tam lubrica tenendum sit, ne cum fidei ipsius detrimento illos transilient fines, quos ultra citraque nequit consistere rectum.

5. Duæ porro erunt hujus postremæ tractatus nostri partis sectiones, in quarum altera de rationis ac fidei analogia in se spectata, in altera de ejusdem applicatione, sive de methodologia disceptabimus.



6. Ut omni, qua par est, perspicuitate progrediamur, quid hic per *rationis*, quid per *fidei* nomen intelligamus in antecessum aperiamus necesse est. Ac rationem quidem universim sumimus pro nativa atque essentiali animi humani facultate, seu facultatum collectione, quibus ipse verum cognoscit, deque isto iudicat, quatenus idem intra naturæ ambitum continetur (1). Dum vero fidem dicimus, significamus *liberum illum assensum, quem intellectus divina gratia præventus et adjutus præbet veritatibus supernaturaliter revelatis ob Dei ipsius revelantis auctoritatem* (2). Ex quibus generalibus notionibus per se jam elucet, quid sibi proprium ac peculiare ratio, quidque sibi vindicet fides. Ratio siquidem per se objecta sua cognoscit, intuetur ac iudicat. Fides vero objectis suis assentitur et credit. Porro cum fides naturalem rationem præsupponat, eidemque accedat, ac ratio tandem ea sit, quæ objecta seu veritates apprehendit, quas ei tanquam divinitus revelatas credendas proponit fides, hinc triplex generalis respectus seu relatio rationem inter ac fidem efflorescit. Ratio enim concipi ac spectari potest aut *ante* fidem, aut *cum* fide, aut denique *post* fidem: nimirum inquiri potest, quodnam sit rationis officium, sive antequam fidei assentiatur objectis, sive dum actu iisdem assentitur, sive demum postquam suum ipsis assensum præbuerit. Hæc igitur triplex relatio rationem inter

(1) Rationem hic spectamus generatim, prout omnem humanæ mentis cognoscendi ac iudicandi vim completitur, ac proinde etiam intellectum, non vero prout proprie facultatem dicit ratiocinandi ac veritates alias ex aliis deducendi. Hoc posteriore sensu videtur eam spectasse Leibnitiu, dum in sua dissertatione, *De conformit. fidei cum ratione*, § 1, rationem definit *catenam veritatum*; per *catenam* autem, prout exponit in nota (1) Lud. Dutens, *nihil aliud Leibnitiu intelligit quam nexum, quo quid continet rationem. sufficientem coëxistentiæ vel successionis al-*

*terius; per veritates vero veritates universales. Est definitio ab objecto cognitionis nostræ desumpta, nimirum quatenus hæc objecta ratione deducuntur.*

(2) Hoc sensu, quo fidem usurpamus, dicit ipsa actum, non habitum. In hac porro definitione distinguitur 1° subjectum, quod fidem apprehendit, nempe intellectus ex imperio voluntatis; 2° objectum materiale fidei, scilicet veritates a Deo revelatæ; ac 3° ratio formalis assensus, videlicet auctoritas Dei revelantis. De quibus suo loco disseremus.

ac fidem, seu triplex rationis in ordine ad fidem munus, viam nobis suapte natura sternit ad priorem sectionem hanc tria in capita dispertiendam.

## CAPUT I.

### DE RATIONE ANTE FIDEM SPECTATA.

7. Humanam rationem, suis licet limitibus circumscriptam, non modo natura sua in verum ferri, sed illud assequi certo posse, communis hominum sensus semper agnovit, omnesque, qui recte philosophari voluerunt, nullo non tempore professi sunt. Et quamvis omni fere ætate extiterint sceptici illi, qui de quavis re dubitarent, ac omnimodam *acatalepsiam* præ se ferrent, ii tamen nec plures numero, et secum ipsi pugnantes fuerunt; quandoquidem theoretice denegabant, quod practice admittebant omnino; ac demum non tam rationibus quam ipsa rationalis naturæ voce perpetuo sunt profligati.

8. Non aliter de humana ratione sensit ac docuit christiana catholica Religio; quippe quæ, tametsi hominem post protoparentum lapsum *secundum corpus et animam in deterius commutatum* agnoscat (1), nunquam tamen ei, quæ ad humanæ naturæ essentiam pertinent, denegavit, eumque propterea eo semper naturali lumine rationis præditum asseruit, quo verum a falso

(1) Cum ex hisce Tridentini verbis non pauci ex recentioribus occasionem sumpserint naturales hominis lapsi vires, plus quam opus sit, deprimendi, sive in vero cognoscendo, sive in bono proseguendo, ideo revocari in mentem debet, quod scripsimus in tract. *De Deo Creatore*, part. III, cap. IV, cum dissereremus *De peccato originali ejusque effectibus*. Ibi enim animadvertimus, nihil hominem omnino amisisse per peccatum originis ex iis, quæ spectant ad essentialia naturæ humanæ; ac

propterea quæ dicuntur a Conc. Tridentino de homine læso, toto nempe Adam secundum corpus et animam propter peccatum in deterius commutato, intelligenda esse non *absolute* sed in *sensu relativo*, in ordine scilicet ad dona gratuita, quæ Adam peccando et sibi et posteris suis amisit; ceterum naturam in se spectatam, non deteriorem nunc esse, ac fuisset, si Deus dona illa gratuita liberalitate homini minime adjecisset.



internoscere valeat, ac naturalis ordinis veritates vi sua detegere. Verum enimvero seculo XVI, cum nova primum Protestantium placita eruperunt, aliter de humana ratione judicari cœpit.

9. Lutherus enim, cum hominem peccato originis in ipsius naturæ essentialibus depravatum ac pessumdatum doceret, eo fere pacto quo liberum ejus arbitrium post lapsum sustulit e medio, ita etiam humanum intellectum obscuratum adeo et extinctum esse commentus est, ut nihil veri, sine fidei revelatæ lumine, eidem reliquum esset. Hinc scholasticos doctores tantopere exagitavit; hinc in omnem philosophiam vehementer est debacchatus, eamque ut fidei inimicam traduxit; hinc denique omnes philosophorum virtutes vitia, omnesque scientias speculativas errores esse proclamavit (1). Ejusdem vestigiis plures e

(1) Etiam Leibnitiſ, in *Dissert. de conform. fidei cum ratione*, opp. edit. Dutens, Genevæ 1768, tom. 1, § 12, id fassus est, scribens: *Reformatores, ac Lutherus præcipue, locuti quandoque sunt, quasi philosophiam omnino rejecerint, fideique inimicam esse judicaverint*, quamvis deinde hanc Lutheri notam emollire conetur. Verum nos postea alia documenta ad illam ipsam notam confirmandam afferemus. Ita etiam Böhle, in sua *Storia della filosofia moderna*, trad. da Vincent. Lancetti, Milano 1822, tom. v, sez. II, cap. 4, id ipsum de Luthero fatetur; repetit tamen in primis ex eo, quod ipse ira in scholasticos ac Aristotelem ab illis secutum æstuabat. Verum, quamvis et hoc detur, contemptus ille omnis philosophiæ ac humanæ rationis depressio, seu potius, ut vocant, *nihilismus*, qui Luthero ac pluribus reformatoribus solemniter fuit, ab altiore fonte repetendus est; nimirum ex doctrina ipsa lutherana de ho-

mine paradisiaco, ac peccati originalis natura atque effectibus. Itaque *nihilismus* ille rationis semper necessarium est doctrinæ illius lutheranæ consecrarium, quamvis non omnes Protestantes illam revera professi sint. Nec vero inficiamur, nonnullos paucos etiam ex Catholicis *nihilismum* illum admisisse; sed id certe ex catholicæ doctrinæ principiis non effecerunt, quibus directe prorsus adversatur. Frustra igitur Tennemann, op. cit. pag. 362, ut Catholicos carperet, scribebat: *Postquam Nicole et Bossuet cum pluribus aliis scepticismo usi sunt, ut in sinum catholicæ Ecclesiæ Protestantes revocarent, ac ut pondus auctoritatis ecclesiasticæ extollerent, rationis incertitudinem ostendendo*. Allegat porro opus Franc. Turretini, *Pyrrhonismus pontificius*, Lugd. Batav. 1622. Id certe, quod de Nicole ac Bossuetio asserit, falsum est, qui nunquam *nihilismum rationis* docuerunt. Aliud autem est ostendere, rationem humanam in rebus



Protestantibus institerunt. Daniel Hoffmannus, theologiæ professor in universitate Helmstadtensi, mortale bellum indixit rationi, philosophiam *opus carnis* appellans, quodque in philosophia prout verum defenditur, in theologia falsum esse contendens (1). Plura adversus humanam rationem congressit Bernardinus Ochinus, quum ad novatorum errores misere deflexit (2). Nec alio spectabat Calvinus, dum liberi arbitrii immunitatem a quavis necessitate veluti philosophicum dogma irridebat, quod in Theologia esset posthabendum (3). Huc pariter Kemnitius, dum non esse curandum edicebat, si fidei dogmata vindicantes in *absurditates philosophicas* incurramus (4). Huc demum, ut plura alia ejusdem generis silentio prætereamus, recidit doctrina illa,

fidei infallibili norma, nimirum Ecclesiæ auctoritate indigere, idque ex ipsa incertitudine ac varietate, cui religio divina subderetur, si ea fallacibus rationis placitis relicta esset; aliud vero rationi naturales ipsas vires ad verum in naturali ordine cognoscendum denegare. Illud verissimum est, ac Protestantium facto comprobatum; hoc falsum est, et a saniore catholica doctrina omnino improbatum.

(1) De his pertractat Jo. Franc. Budæus, *Isag. histor. Theolog.* pag. 234 et seqq. Etiam protestans Paulus Slevogtius libellum ediderat: *Pervigilium de dissidio theologi et philosophi in utriusque principiis fundato*, de quo cfr. Leibnit. diss. cit. § 13.

(2) Vid. *Prediche di Messer Bernardino Ochino Sanese*. Pred. III. Ochinus ex *nihilismo* rationis ad *ultra-mysticismum* progressus est; quippe rejecta Ecclesiæ auctoritate in rebus fidei, ac etiam neglectis S. Scripturis veluti unica ac ultima credendi norma, hanc tandem in interiore Spiritus Sancti

testimonio, immediata scilicet ac individua cujusque inspiratione collocavit. *Di poi, inquit, per testimoniare, fermarci, et stabilirci nelle verità divine rivelate et supernaturali, bisogni all' ultimo venire all' interno testimonio dello Spirito Santo, senz' il quale non si può sapere quali Scritture sieno sante e quali no.* Pred. IV. Istius loci versio latina habetur ad calcem hujus voluminis. Adeo *nihilismus* rationis cum Protestantismi principiis connexus est! Ceterum advers. Ochinum cfr. *Le mentite Ochiniane del Mutio Justinopolitano*. In Vinegia 1551.

(3) Cfr. Petavius, *De opif. sex dierum*, lib. III, qui primus est *De libero arbitrio*, cap. I et IV.

(4) *Examen Conc. Trid.* part. I, pag. 266. Hoc accepit Kemnitius a Luthero, cujus principium erat: *Quod verum est in Theologia, non semper verum est in Philosophia*. Circa quod paradoxum dissertationem edidit Crusius, *Opuscul. philosophico-theolog.* Lips. 1750.

cui tot Protestantes juris naturæ scriptores firmissime adhæserunt, nullum intrinsecum inter bonum ac malum morale dari discrimen, sed illud a libera tantum ac positiva Dei voluntate totum esse repetendum, unde consequitur ipsum ex positiva dumtaxat Dei revelatione posse innotescere (1). Ex quo illud verissimum exurgit, quod nempe dissidium ac bellum rationem inter ac fidem, quod a priorum ætatum hæreticis identidem excitatum fuerat, opera Protestantium acrius instauratum multoque vehementius promotum fuerit. Atque hic habes, quod maxime mireris; nam ii ipsi Protestantes, qui, ut fidem extollerent, naturales rationis vires destruere et ad nihilum redigere conati sunt, iidem posthac rationem hanc ipsam veluti unicum ac infalibilem in rebus ipsis fidei iudicem proclamare non sunt veriti, ac demum ad ipsius rationis apotheosin cum totius fidei jactura pervenerunt.

(1) Hæc fuit palmaris doctrina Puffendorffii, quam ipse a parente suo Luthero hausit. Eum sequuti sunt Coccejus, ac saltem ex parte Heineccius, Thomasius, aliique e Protestantibus. Ita etiam Seldenus a positiva Dei revelatione totum jus naturale repetit. Hinc omnes isti protestantes juristæ doctores scholasticos vehementer irrident ac exagitant, eo quod intrinsecum boni ac mali moralis discrimen in ipsis rerum essentiis ac natura fundatum tuentur, ac legem æternam in Deo a libera Dei voluntate independentem vindicant. Haud ergo satis mirari possumus, quomodo philosophus Scotus, magni inter recentiores nominis, Dugald Stewart, in præfatione, quam præmisit volumini primo *Supplementi Britannicæ Encyclopediæ*; hanc Melanchthoni tribuere gloriam potuerit, quod nempe primus omnium docuerit distinctionem inter

bonum ac malum morale non a revelatione, sed ab intrinseca rerum natura dimanantem, sic, ut ipse subdit, Catholici posthac ex Protestantibus doctrinam hanc sint mutuati. Num hæc ipsa doctrina non omnibus fere jam antea scholasticis communis erat, si Occamum, Nominalium parentem, excipias, qui tamen statim ac contrarium docuit, ceteros pene omnes scholasticos sibi adversos habuit, et a pluribus, quos inter a Joan. Duns Scoto invicte refutatus est? Num scholastici ob hoc ipsum tot a Protestantibus, quos commemoravimus, injurias pati non debuerunt? Num contraria sententia, quæ morales distinctiones omnino tollit, non fuit a Luthero ejusque sectatoribus prædicata? Adeo præjudicia protestantismi philosopho ceteroqui commendabili Stewarto fucum facere potuerunt!



10. Et hæc quidem protestantismus in christianæ theologiæ ambitu de humanæ rationis viribus constituebat. Sed aliud ex eadem parte in ipso philosophiæ campo rationi ipsi impendebat excidium : nimirum neo-scepticismus ille, qui ex Britannia primum prodiens, ac deinde ab Emmanuele Kantio veluti in systema redactus, tot opinionum peperit monstra, ac Germaniæ præsertim scholas late pervasit. Philosophicæ hujus cladis historia nimis jam comperta est. Nemo est qui nesciat, Humium necessitatem *a priori* ac universalitatem principii, quod vocant *causalitatis*, e medio tollentem, illudque inter principia *a posteriori* seu experientiæ recensentem, fundamentum præcipuum realitatis objectivæ humanarum cognitionum convellisse. Kantius vero, dum omnem scientiam ad mera sensibilitatis phænomena, ac subjectivas quasdam easdemque necessarias intellectus formas reducit; dum nos tantum *phænomena* scire, de rebus vero in seipsis seu *noumenis* nihil prorsus affirmare posse contendit; dum proprium ipsum *Ego* ad phænomena amandat, de cujus videlicet realitate nunquam constare queat, non modo cognitionem omnem plane *subjectivam* efficit, sed impossibilem et absurdam reddit, ac scepticismi culmen attingit. Hæc philosophiæ revolutio, seu potius humanæ rationis sub nomine *criticismi* (1) subversio, Protestantium præsertim animos alte occupavit, et cum veritas semper ac certitudo ex eorum manibus elaboretur, eos ad nova in dies absurdiora systemata summo studio adornanda propellit. Exinde enim *idealismus absolutus*, seu *egois-*

(1) Optime adnotatum fuit, ipsum *criticismi* verbum tum temeritatem tum absurditatem maximam præ se ferre. Nunquid enim in ullo homine aliqua alia ratio superior inveniatur, qua possit humanæ rationis *criticismum* instituire? Aut si ipsa ratio *criticismum* sui instituit, quem valorem iste habebit? Quandoquidem quidquid certitudinem objectivam rationis destrueret, destrueret simul necessario *criticismi*

ipsius certitudinem objectivam. In eadem absurditatem incidit quæstio transcendentalis, a qua philosophiam exordiri debere Kantius ejusque sectatores contendunt, nimirum *An sit possibilis cognitio?* Etenim ad hanc ipsam quæstionem ponendam opus est, ut jam cognitio et possibilis sit et existat. Ita *Aprioristici* isti philosophiæ creatores, seu potius eversores, humanæ rationi illudunt.



*mus metaphysicus* Fichtei; exinde philosophia *identitatis*, seu *realismus absolutus* Schellingii; exinde systemata Bouterwekii ac Bardilii, pantheistica labe adpersa; exinde demum philosophica Hegelii doctrina, qui subjectum ac objectum in idea identificari ponens, ab ideæ ipsius logica evolutione realitatem ipsam objectorum educit. Nimirum isti philosophi, Kantii principiis ac exemplo excitati, scientiam ejusque objecta *a priori*, suo unusquisque modo, construere, ac, ut proprio ipsorum vocabulo utamur, *creare* (1), in animum induxerunt. Ex quo factum est, ut ratio humana sive ad purum idealismum, sive ad putidum pantheismum, misero utrinque fato, dilapsa sit (2).

(1) *De natura philosophari, idem plane est ac naturam creare.* Ita inter ceteros Fichtius edixit, in op. *Natur-Wissenschaft*, seu *Scientia naturæ*, pag. 3. Omnia neotericæ philosophiæ Germanicæ systemata eo demum spectant, ut velut e nihilo proprium *Ego*, *mundum* ac *Deum* ipsum educant. Hinc officium philosophiæ ab ipsis proclamatum *das Objectiviren des Ichs*, id est, *pro proprium Ego* ex apparenti *objectivum* seu reale efficere. Exinde etiam illa ipsius Fichtei satis nota jactatio, qua discipulis suis pollicitus erat, se in proxima sua prælectione *Deum esse creaturum*. Alia id genus nobis occurrent.

(2) Nimis forte hæc de recentiore Germanica philosophia a nobis acerbè dicta aliquibus videri possent, cum tot illa tum in Gallia, tum præsertim in Germania ipsa, admiratores sit nacta. Atqui nos nil dicimus, de quo multo apertius nonnulli e germanicis ipsis scriptoribus jam palam professi ac conquesti non sint. Audiatur professor Baltzer, in suis *Beiträge zur Vermittlung*, etc. seu *Documenta ad conciliandum re-*

*ctum judicium de Catholicismo et Protestantismo*, fasc. II, Uratislaviæ 1840, § 50, cujus titulus est: *Spiritus Kantiano-Hegelianus recentioris ætatis in suo mortali conflictu contra omnem fidem non philosophantis christianismi tum in Ecclesia tum in civili Statu.* Ita porro loquitur: *Qui noscit, quem scopum sibi philosophia Germanica a Kantio inde usque præfixerit, et quomodo ipsa eum incessanter persecuta fuerit, eumque tandem in Hegelio attigerit, omni prorsus respectu ad communem ac rationalem humani generis veritatis sensum posthabito... tantum abest, ut mirari queat tempestates excitatas a spiritu recentioris hujus ætatis contra quidquid positivum est, ut eas potius omnino naturales et necessarias agnoscat necesse sit. Germanica philosophia in tractando veritatis negotio prorsus a se rejecit objectivum veritatis vinculum, quod Ecclesiam civilemque Statum... simul colligat, sequè in subjectiva vincula catenasque conjecit.* In fasc. autem I ejusd. op. titulus, § 6, ita se habet: *Juvenis*

11. Ex neotericae hujus philosophiæ natura quid christiana religio sibi expectare deberet, pronum erat colligere. Juxta Kantii placita revelationis positivæ ac supernaturalis possibilitas *noumenon* est, de quo nil sciri aut affirmari potest; quam vero ipse intra solius rationis limites statuit religionem, cujusmodi demum generis esse poterit, cum omni theoretico fundamento sit destituta, ac ratione tantum *practica* fulciatur? Hæc enim cæca quadam ac subjectiva necessitate sibi veritates ipsas christianas veluti *postulata* quædam creat, iisdemque, licet in se contradictoriis, fidem adjungit, ut nempe propriæ suæ libertati ac morali- bus legibus credere possit. Quinam in philosophia Schellingii divinæ revelationi esse posset locus, dum infinitum cum finito, Creatorem cum creatura confundit, atque unum idemque ex ipsis substantialiter efficit? Hegelius vero, qui etiam de christianæ religionis mysteriis in sua philosophia pertractat, non aliam ipsius originem assignat nisi *ideam* ipsam, quæ in humano intellectu residet, et a cujus progressiva evolutione, veluti logici ac naturales fœtus, eadem mysteria promanant (1). Neque vero ab eo valde differt religiosum Fichtei systema (2). De positiva igitur

*Germania est veluti planta infecta veneno rationalismi Kantiani.* In toto porro opere auctor eo spectat, ut ostendat doleatque, prolatis documentis, excidia a neoterica philosophia Germaniæ importata. Ab aliis scriptorum testimoniis allegandis hic supersedemus, cum alibi locum habere possint. Ad Gallias quod attinet, ad quas philosophia hæc penetravit, nota sunt nuperime edita documenta pastoralia Episcoporum, qui undique in eam veluti exitiosam religioni et statui insurrexerunt. Eminent inter ceteros Arch. Totosanus et Ep. Carnutensis.

(1) Vid. Hegelii *Religions-philosophie*, seu *Philosophia religionis*. De Hegelio ac Hegelismo plura alibi dicemus.

(2) Fichtius, in op. *Die Anweisung zum seeligen Leben, oder auch die Religionslehre*, seu *Directio ad vitam beatam aut etiam religionis doctrina*, Berol. 1828, Prælect. vi, pag. 110, hoc religiosi sui systematis fundamentum jecit: *In religionis doctrina positio creationis est primum criterium falsitatis; negatio hujusmodi creationis, si hæc forte ob aliquam præcedentem religionis doctrinam supposita esse deberet, est primum criterium veritatis hujusce religiosæ doctrinæ.* Unde subdit, Joannem in suo Evangelio, ut judaicam de creatione doctrinam profligaret, incipere ab iis verbis: *In principio erat Verbum*, ut ea opponeret Verbo Moysis: *In principio creavit Deus*; quia nempe nihil crea-



atque historica veritate Religionis christianæ juxta ipsos concludatum est. Quare hæc Kantii, Fichtei Hegelique philosophicæ doctrinæ, in ipso Protestantium solo enatæ, altæ atque enutritæ, in primis effecerunt, ut protestantismus latens principium suum destructionis magis in dies evolveret, ac eos rationalismi ac mythicis fructus efferret, qui tandem in Straussio suam omnem vim propemodum exhauerunt (1).

12. Porro cum hæc esset neotericæ philosophiæ conditio, cum ratio humana ejus principiis excitata ita christianæ Religioni insensam se præberet, ii qui veritatis ac Religionis tuendæ necessitatem in se experti sunt, ita id muneris susceperunt, ut tamen diverso inter se modo de ratione ipsa, deque ejus officiis in ordine ad christianam fidem philosophati sint. Alii enim contenderunt, non tam rationi ejusque veritatis detegendæ capacitati quam inferiori ac religioso cuidam sensui esse fidendum, unde *sentimentalistæ* aut etiam *mystici* audiunt (2). Alii rationem humanam

vit Deus, sed omnia in principio ex Logo suo, id est, ex se confecit, et quidem ex necessitate naturæ suæ, quia omnia ab æterno ac necessario in Deo erant. Hinc concludit: *Procul a nobis hoc phantasma creationis!* Et pag. 117, palam affirmat, philosophum independentem a Christianismo easdem veritates necessario nexu habere, easque cum totali claritate intueri. Non id quod historicum, sed quod metaphysicum est hominem beatum efficere. In sec. prælect. pag. 24, jam statuerat, non *credere*, sed purum *cogitare*, et per puram cogitationem Deum immediate intueri ac possidere, religionem constituere. Hoc autem est Fichtianum illud opus, in quo ipse provecta jam ætate christianum ac religiosum se ostendere voluit. Ex his deprehendimus, quibus ex fontibus neoterici Eclectismi secta-

tores in Galliis paradoxa sua deprompserint: *Dieu n'a point tiré l'univers du néant, mais l'a tiré de lui-même. — Il est faux que Dieu soit incompréhensible. — C'est la raison que nous apportons en naissant, qui est le Verbe fait Chair, et il n'existe point d'autre révélation.* Magni itaque isti philosophi, seu potius increduli Galli non sunt nisi exscriptores incredulorum germanicorum Protestantium.

(1) Strauss ipse fatetur, systema suum mythicum, quo *vitam Jesu* critice, seu potius impiissime adornavit, ortum ac fundamentum in Hegeliana philosophia habere, idque confirmat locis ex ipso Hegelio in medium allatis. Cfr. ejus *Scripta polemica*, fasc. 3, pag. 57.

(2) Hujus *sentimentalisticæ* scholæ fundamenta jecerat Reidius, Scotiæ phi-



per se nec veritates ipsas naturales sibi que proportionatas ( ut existentiam supremi Numinis, spiritualem animi naturam ejusque immortalitatem, justi atque injusti normam, aliaque ejusmodi) certo cognoscere posse existimarunt, sed in iis omnibus divina positiva revelatione indiguisset, quæ reapse homini primitus data est, et posthac in humanum genus universum per constantem traditionem propagata. Hinc philosophiam omnem, quæ, positiva revelatione, illius veluti fundamento, minime præjecta, naturalium veritatum genesis, naturam ac certitudinem demonstrandam aggreditur, tanquam *anti-christianam* aut *extra-christianam* declarant; quare *supernaturalistæ* appellari solent (1). Alii individua hominis rationi vim certitudinis denegantes,

losophus; sed qui eam recentius instauravit, ac ad quemdam mysticismum evexit, fuit germanus Frid. Jacobi. Ipse enim transcendentalem philosophiam exhorrescens, principia scientiæ philosophicæ collocavit in quadam naturali fide (a supernaturali fide distincta), qua in rationali instinctu veritates, quæ supra sensus sunt, uti Deus, ejus providentia, libertas animi nostri, ejusque immortalitas, lex moralis, etc. sine ulla demonstratione ac ratiocinio, sed immediate prorsus percipimus. Hinc adeo intellectus ac rationis usum ad veritatem assequendam deprimebat, ut asserere non dubitaret: *Omnino ethnicus quoad intellectum, christianus cum toto corde, ego duas inter aquas fluctuo, quæ nullimode in unum simul coire volunt.* Cfr. *Epist. ejus posthumæ*, vol. II, pag. 478. Doctrina Jacobi haud paucos in Germania sectatores habuit. De quo Tenneman, op. cit. §§ 406-408. Ætate hac nostra ad hærerere eidem visus est prof. Klee, cujus aliquot testimonia alibi afferemus.

Extat etiam in *Ephemer. Tubingæ, Theologische quartalschrift*, seu *Scripta trimestralia theologica*, an. 1839, fasc. II, articulus *Ueber Glauben and Wissen*, etc. seu *De fide ac scientiæ in relatione ad extremas seu oppositas sententias ac tendentias ætatis nostræ*; cujus cl. auctor, doct. Kuhn, Jacobi philosophicam doctrinam iterum vindicat ac sectatur. Eidem etiam debetur opus *Jacobi und die Philosophie seiner Zeit*, seu *Jacobi et philosophia ætatis suæ*.

(1) Hanc doctrinam jam doctissimus ceteroquin vir Petr. Daniel Huetius protulerat in libro, qui vulgo eidem ascribitur: *Traité de la faiblesse de l'esprit humain*, Amsterd. 1723, quique a Lud. Ant. Muratorio confutatus est. Sed recentissima ætate eam magna eloquentia vi ac religionis studio suadere conatus est Ab. L. Bautain, in op. *Philosophie du Christianisme*, Paris 1835, nec non in præf. ad alterum suum opus, *Psychologie expérimentale*, vol. I, Paris. 1839. Hinc illa Bau-

eam auctoritati totius humani generis, nimirum vel rationi universali, vel communi ac perpetuæ traditioni contulerunt, sic ut auctoritas ista in ipso religionis negotio regula ac criterium esse deberet; hos *traditionales* propterea vocant (1). Sunt alii, qui methodum *psychologicam* in philosophia veluti religioni infensam damnant, ac ab *ontologica* ordiendum esse contendunt, nimirum ab *immediata et concreta* Dei ipsius intuitione; unde *ontologistæ* vocari queunt (2). Denique sunt etiam, qui Kantii ac Fichtei principia non tam refellere quam expurgare ac perpallere ita aggressi sunt, ut talem inde tum naturalium veritatum tum christianæ fidei demonstrationem conficerent, qua Kantiani ipsi ac Fichtiani ad eam fidem amplectendam omnino cogerentur (3).

*tainismi* nomen accepit, ac non modo in Gallia, sed in Germania præsertim haud paucos religiosi animi viros in sui amorem allexit. Ceterum quas hæc doctrina subierit vices, et quanta animi docilitate auctor ejus, quod in ea potissimum improbandum erat, retractaverit, omnes norunt. Nos inferius ex professo de hæc doctrina cum agere debeamus, documenta afferemus.

(1) Doctrinæ hujus sectatores non multum inter se ac sibi ipsis constant; quandoquidem nunc ad rationem universalem humanam veluti supremum veritatis criterium, nunc ad auctoritatem generalem totius humani generis, nunc ad traditionem constantem et perpetuam appellant. Quidquid sit, eos *traditionalium* nomine appellamus. Huic scholæ primordia dederat clariss. vir comes de Bonald, de re catholica optime meritus. Posthac vero novam nacta est formam in scriptis De La Mennais, unde *Lamennaismus* profluxit. Eidem adhæsit Laurentie, in op. *Introduction à*

*la philosophie, ou Traité de l'origine et de la certitude des connaissances humaines*, Paris 1826; D. Gerbet, in op. *Des doctrines philosophiques dans leurs rapports avec les fondemens de la théologie*, Paris 1826, (qui tamen egregius vir ab illis placitis laudabiliter se recepit), aliique nonnulli etiam ex Italis. Adnotandum porro est, hujus doctrinæ asseclas cum altera schola, quæ *supernaturalistica* dicitur, plura habere communia; quandoque proinde et *supernaturalistæ* vocati sunt. Quod tamen inter *Bautainismum* et *Lamennaismum* intersit, exponit ipse Bautain, in opusc. *Quelques réflexions sur la doctrine du sens commun*, Paris. 1833.

(2) Ita præsertim recentissime cl. Ab. Vincentius Gioberti, in opere: *Introduzione allo studio della filosofia*, Brusselle 1840, ubi ad Platonica seu potius ad Malebranchii placita instauranda totus se confert.

(3) Ad hanc classem pertinet Geor-

13. Ex historica hac præsentis controversiæ de officio rationis ante fidem spectatæ veluti adumbratione liquet, duas hinc inde extremas ac inter se oppositas opinandi rationes se offerre; alteram nempe eorum, qui nimis tribuunt rationi, alteram illorum, qui rationis vim vehementer deprimunt aut etiam plane tollunt. Nos pro suscepto munere cum tot inter discrepantes sententias, quid a ratione ante fidem, scilicet ad fidem cognoscendam et amplectendam, præstari legitime possit, statuere debeamus, in duos articulos, quæ disceptaturi sumus, distinguimus, in quorum altero de recto rationis usu ante fidem, in altero de abusu rationis ante fidem pertractabimus (1).

gius Hermes cum sectatoribus suis. Hinc systema philosophicum Hermesianum *Nova Kantii editio a discipulo correctæ* in Germania appellatum est; nonnullique etiam ex ejus asseclis fassi sunt, ut suo loco videbimus, Hermesium e Kantii ergastulis haud satis emersisse.

(1) Dum nos de rationis usu atque officio ante fidem pertractare aggredimur, longissime ab errore Hermesii abhorremus, juxta quem unusquisque per hunc prævium rationis suæ processum ad fidem pervenire deberet, suamque fidem, ut ita dicam, iterum construere, ut *rationabiliter* credere posset. Hoc christianæ fidei plane esset eversivum, quandoquidem suspensionem assensus objectis fidei in animo ita comparato supponeret. Quæstionem igitur sub alio adpectu agitamus; nimirum 1° nimis interest theologi cognoscere discrimen inter ordinum veritatum naturalium ac veritatum supernaturalium, et num ordo logicus inter illas natu-

rales veritates detur, ita ut una ex alia probari queat, tametsi in ordine chronologico seu historico omnes per revelationem positivam primitus homini revera innotuerint; 2° quia et extiterunt et etiam nunc plures existunt gentes, ad quas revelatio positiva non pervenit, ac proinde nimis quoad illas refert statuere, utrum naturali lumine potuerint aut possint veritates, quæ rationis captum haud exsuperant, ante fidem cognoscere; 3° quia hæc distinctio ac logica veritatum *classificatio* omnino necessaria est ad eos, qui revelationem positivam et christianam fidem negant, refellendos, eosdemque ad hanc fidem adducendos; 4° demum quia id etiam ad confirmationem propriæ fidei jam susceptæ utile est, dum evidens fit, rationem rite adhibitam ad christianam fidem veluti manuducere. Nos igitur viæ insistimus illi, quam insigniores christianæ revelationis ac religionis apologetæ perpetuo tenuerunt.



## ARTICULUS I.

*De recto rationis usu ante fidem.*

14. Rectum rationis usum in Religionis inquirendæ et capesendæ negotio vindicaturi, theologi nos partes agere non autem philosophi meminisse debemus. Nostrum proinde haud est rationis humanæ vindicias suscipere adversus transcendentales ac idealistas, humanarumque cognitionum veritatem, certitudinem ac realitatem objectivam ostendere. Id recentiore hac ætate haud pauci clari nominis philosophi, tum externi tum Itali, licet non una eademque via, præstiterunt, e quibus penitior rerum harum notitia erit haurienda (1).

15. Attamen cum de rationis natura ac vi identidem sit nobis agendum, cumque haud parum intersit theologi rectas hac de re ideas sibi comparare, ne falsas inde in ipsam theologiæ pro-

(1) De externis scriptoribus, qui hanc spartam adornarunt, nimis longum esset dicere. Inter Italos enituit Cæsar Baldinottus, qui primus forte in Italia, cum kantiana philosophia parum adhuc esset comperta, eam brevi sed validissimo scripto profligavit. Cfr. *De Kantii philosophandi ratione et placitis, ut ad metaphysicam generalem referuntur. Append. ad Tentaminum philosophic. lib. tres*, Patavii 1817, pag. 379. Recentius egregiam eidem rei operam navarunt Paschalis Galluppi, Ant. Rosmini, Salvator Mancino, Balthassar Poli, Aloysius Bonelli, aliique, quibus recentissime addi potest sculus P. Romano S. J. in op. *La scienza dell' uomo interiore e delle sue relazioni colla natura e con Dio*, Palermo 1840, vol. I. Si quis uberiores de philosophis Italis recentioribus cupiat notitiam, adeat opus cit. Willelmi

Tenneman translatum italice a cl. Balth. Poli, qui opus illud magnis supplementis auxit, ac continentem ad hæc usque tempora philosophiæ Italicæ historiam contexuit. Mirum porro est, quænam Italicæ res in hac tanta disciplinarum omnium cultura, ac frequentissimo gentium etiam inter se dissitarum commercio, ab externis non paucis scriptoribus ignorentur. Prodiit superiore anno 1841, Viennæ, compendium historiæ philosophicæ, sua haud carens laude, auctore profess. Leandro Josepho Stanke, Benedictino Pannonio. Historiam suam ad nos usque ducit; de Hungarica, de Polonica, de Russica, de Hispanica, Lusitanica etiam philosophia aliquid profert; de Italicorum philosophicis operibus altum silentium! Itane igitur ex philosophiæ campo evanuit Italia?

vinciam inferat consecutiones, ipsamque fidei naturam pervertat, nonnulla hic ex philosophiæ penu deprompta, juniorum præsertim theologorum commodo, præmittere necessarium ducimus, quæ quamdam veluti basim ac fundamentum infra disputandis constituent. Dum vero, quæ recta sunt ac saniorum philosophorum judicio quoad substantiam probata proferimus, haudquam nos intelligimus quæstiones mere ideologicas ac psychologicas dirimere. Ab hoc enim, si quidem illæ Fidei veritatem non attingant, theologo temperandum omnino est. Sunt autem insequentia.

#### PRÆNOTANDA.

16. Humanæ naturæ *incredibilem veri visendi cupiditatem* inesse, ut præclare adnotabat Tullius, unusquisque in se sentit atque experitur. Undenam porro hic animi sensus, hæc veri et falsi qualiscumque notitia, si *verum* pro humana mente haud existeret, aut nunquam illud assequi posset? Unde illa veri ac falsi distinctio, atque acris in homine falsum pro vero accipiendi anxietas atque formido, si nunquam ipse primum ab altero valeret dignoscere? Hoc certe unum satis per sese ostendit, mentem cum objecto suo, scilicet *vero*, naturalem proportionem habere, ac ita proinde esse natura comparatam, ut cum eo, saltem aliquando, vi sua possit conjungi.

17. At enim id ipsum ex accurata mentis nostræ analysi luculenter elucet; talibus quippe mediis præsiidiisque a natura, rectius a supremo naturæ Auctore, illam instructam deprehendimus, quibus veritatem tuto, saltem in aliquibus, certoque valeat attingere. Duplici enim humana cognoscendi facultas elemento sive ordine constat, ordine videlicet *empyrico* ac *rationali*, sive ordine sensibili ac ideali, vel, si ita appellare lubet, ordine *psychologico* ac ordine *logico* vel *ontologico*. Unum tamen idemque est principium illud, quod sentiens simul atque intelligens duplicem illum ordinem in se artissime conjungit, eorundemque nexum percipit ac intuetur. Quo fit, ut veritas ac objectivitas realis humanæ cognitionis, ac scientiæ certitudo ex hac tantum



diversorum ordinum seu elementorum conjunctione exurgere ac efflorescere possit. Nec vero tot illa absurda systemata, quæ recentiore philosophiam infecerunt, aliunde magis profecta sunt, quam ex violenta atque arbitraria prorsus ordinis sensibilis disjunctione ab ideali, per quam nempe ea, quæ natura intime copulata sunt, ab invicem divellendo, vel ad abjectum empyrismum atque adeo materialismum, vel ad purum idealismum devenitum est.

18. Ex duplici hoc cognitionum ordine nonnullæ diversi itidem ordinis essentialia ac, ut ita dicam, fundamentales veritates dimanant, quæ humanæ certitudinis ac scientiæ basim efformant. Ex ordine enim empyrico sive ex factis internæ experientiæ habet humana mens intimum ac substantialem *sensum* sui ipsius, seu quod recentiores vocant, proprii *Ego*; quippe cum animus sibi ipsi intime applicatus sit, seipsum perpetuo *sentiatur* oportet, sic ut nunquam nos sine nobis esse ac vivere possimus (1). Hinc

(1) Si animus se ipsum non semper sentiret, si nos sine nobis unquam esse possemus, de identitate ac personalitate nostra certi ne quidem esse possemus. Opportune cl. Gallupius, *Saggio sulla critica della conoscenza*, Napoli 1819, tom. 1, pag. 17: *Se la coscienza, inquit, che io ho delle mie modificazioni non fosse unita al sentimento del mio essere, io non saprei certamente riconoscere, che ciò che mi è accaduto jeri, sia accaduto a me stesso: io non potrei certamente riguardarmi lo stesso essere nell'atto che le mie percezioni, i miei pensieri, le mie modificazioni si moltiplicano, cessano di essere, e si succedono incessantemente.* Versio latina reperitur ad calcem voluminis. Exinde patet absurditas conceptus Fichtei, juxta quem *Ego ponit, creat seipsum eo ipso identico actu, quo ponit, seu creat Non-Ego,*

*scilicet mundum.* Quasi nempe (ut ceteras absurditates de illa creatione præteream), ut *Ego* sentiat se ipsum, egeret omnino, ut simul sentiret illud, quod *Non-Ego* est. Et quonam pacto *Ego* seipsum et mundum ponere posset, nisi jam prius haberet sensum sui? Hinc etiam absurditas doctrinæ Schellingianæ: *Tò Ego* (nempe primitivum *Ego*) *non est ens, non est aliquid reale, nullam habet aliam proprietatem nisi hanc negativam* (nempe ut nihil sit). *Primum philosophiæ problema est invenire id, quod nequeat absolute cognosci tamquam ens.* *System des transcendentalen Idealismus*, seu *Systema idealismi transcendentalis*, Tubing. 1800, vol. III, pag. 43-49. Hinc demum perabsurdi conatus omnes neo-Germanicæ philosophiæ, quæ duo *Ego*, alterum scilicet *phænomenicum*, alterum *substantiale*, unum



animus ideam existentiae suae, nullo alio rationis principio interposito, nullius ratiocinationis ope, sed omnino directe percipit; atque hinc propriae existentiae veritas demonstrationem non patitur, cum in facto consistat, sed eo ipso quod in dubium vocetur, affirmatur, eaque contumaciter denegata, nulli superest cognitioni, nulli cogitationi locus (1).

*subjectivum*, alterum *objectivum* distinguens, inquit, quomodo *phœnomenicum* Ego effici *substantiale* possit, quomodo ex *subjectivo* in *objectivum* ac reale transire. Nempe omnia hæc ex abstractionis abusu profluunt, quo videlicet isti philosophi supra id omne, quod est *subjectum* et *objectum*, se extollere volunt, ac ad *purum cogitare aut sentire*, nimirum omni prorsus *subjecto* ac *objecto* carens pervenire, quod quidem implicat in terminis. Jure proinde scribebat Bautain, in cit. *Psychologie expérim.* tom. 1, pag. 229. *Il y a en général dans le mouvement philosophique de l'Allemagne plus d'imagination que d'intelligence, et il en sort plutôt des abstractions de la pensée, formulées en images ou représentées en symboles, que de véritables idées.* Hæc tamen dum de hujus philosophiæ indole pro veritate observamus, non ita intelligenda sunt, quasi Germaniam totam incusare velimus. Fervent utique ibidem utilium disciplinarum studia, egregia florent ingenia, optima in lucem opera prodeunt, ac in pluribus certe Catholicis solida scientia cum sinceræ Religionis amore conjuncta viget.

(1) Hoc argumento potissimum jam usus erat Augustinus ad scepticos confundendos, de quibus ipse adnotat,

*De Trinit.* lib. xv, cap. 12: *Cum enim duo sint genera rerum quæ sciuntur, unum earum, quæ per sensus corporis percipit animus, alterum earum quæ per seipsum, multa illi philosophi garriunt contra corporis sensus, animi autem quasdam firmissimas per se ipsum perceptiones rerum verarum, quale illud est quod dixi, scio me vivere, nequaquam in dubium vocare potuerunt.* Sed cfr. ibid. subtilis Augustini ea de re in academicos disputatio. Hoc ipsum argumentum multo ante adhibuerat Tullius, *Tuscul.* lib. 1, cap. 22, 23, ubi inter cetera scribit: *Sed si qualis sit animus, ipse animus nesciat, dic quæso, ne esse quidem se sciet? ne moveri quidem se? Sentit igitur animus se moveri; quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri.* Ita hanc veritatem propria quisque evidentia, ac communis hominum sensus semper agnoscere debuit ex ipso evidentissimo ac certissimo perceptionis facto, quoposito impossibilis est ipsius non existentia. Nescio igitur, cur, si quis ad recentiores scepticos ac idealistas refellendos ex hoc indubitato facto primitivo philosophando exordiat, apud nonnullos *rationalismi* et *extra-christianismi* notam incurrere debeat. Abusus certe abstractionis eliminandi sunt;

19. Item ex hoc factorum empiricorum ordine sensum intimum seu conscientiam habemus earum, quæ in nobis accidunt affectionum, tum scilicet illarum, quas in nobis a nobis ipsis excitari ac fieri sentimus, quarumque proinde nos ipsos principium agens esse intuemur, tum illarum, quæ in nobis quidem, sed non a nobis, immo nobis etiam invitis, fieri persentimus, sic ut in iis principium tantum patiens nos esse evidenter cognoscamus. Hæc porro omnes sunt veritates facti seu experientiæ, quas propria cuique conscientia immediate revelat, et de quibus nemini possibile est dubitare. Sunt veritates objective reales, cum ordo sensibilis sit omnino realis et concretus, ordo sit existentia; neque, dum sentit animus, fieri potest, ut non sentiat.

20. At enim veritates ejusmodi, utpote in facto singulari et contingentem positæ, necessitatem quidem habent, hypotheticam tamen; nequeunt proinde per se absolutam illam necessitatem atque universalitatem humanæ cognitionis gignere, ex quibus scientia vere ac proprie conficitur. Hæc igitur sublimiora cognitionis elementa ab altiore ordine, nimirum rationali atque ideali, sunt repetenda. Ad hunc porro spectant abstractæ illæ atque universales notiones, quæ in omnibus ratiociniis inveniuntur oportet, et sine quibus nullum unquam posset ratiocinium concludi. Ad hunc pertinent suprema illa rationis principia, quibus mens vere intelligens ac rationalis constituitur, quæ evidentia sua semper fulgent, atque absolutam ceteris cognitionibus firmitatem impertiuntur (1). Hæc vero principia evidentissima cum

sed non idcirco quod verissimum est debet improbari, atque ut christiana Religio vindicetur, a certitudine propriæ sui existentia, quod plerique facere videntur, infirmanda initium ducere.

(1) *Certitudo scientiæ*, ait S. Thomas, *tota oritur ex certitudine principiorum* (*De verit.* q. xi, art. 1). *Intellectus semper est rectus, secundum quod intellectus est principio-*

*rum, circa quæ non decipitur* (1. p. q. 12, art. 3). *Ea, quæ naturaliter rationi sunt insita, verissima esse constat, in tantum, ut nec falsa esse sit possibile cogitare* (*Cont. Gent.* lib. I, cap. 21). *Per lumen naturale intellectus redditur certus de his, quæ lumine illo cognoscit, ut in primis principiiis* (*ibid.* lib. III, cap. 15). *Invenitur aliquid verum, in quo nulla falsitatis apparentia admisceri potest,*



sint, ac logicam necessitatem præ se ferant, nulla egere queunt probatione (1). Attamen propter intimum nexum, quo veritates omnes absolute necessariae inter se copulantur, analytice revocantur ad principium illud, quod *contradictionis* dicitur, quo nempe *rem haud aliter esse posse* mens intuetur, siquidem esse simul ac non esse æquationem perfectam cum nihilo absoluto constituit, ut ne cogitari quidem possit (2). Hinc igitur humana ratio supremum lumen suum mutuatur; hinc normam ac regulam generalem habet, eandemque firmissimam veritatis, secundum quam de statu animi sui in ordine ad cognitionem veri dijudicat (3). De quo tamen, ut res rite explanetur, singillatim est aliquid declarandum.

*ut patet in dignitatibus, unde intellectus non potest subterfugere, quin illi assentiatur* (11 dist. q. 25, art. 2). Alia innumera ex S. Thoma colligi possent, ut eluceat contra nonnullos recentiores sive philosophos sive theologos, qui certitudinem principiorum rationis infirmant aut etiam convellunt, quantopere S. Doctor, qui et philosophus et theologus perinsignis erat, ipsis adversetur. Necessitatem idearum universalium et axiomatum ad scientiam constituendam valide Leibnitiu vindicavit contra Lockium, in *Dialogues de Philalètes*. Egregia hac de re contra empiricos, nominalistas, conceptualistas veteres ac recentiores habet Baldinotti in op. cit. *Tentamin. Metaphysicorum*, cap. 4, *De vero*.

(1) Haud recte proinde a Pascal, in suis *Pensées*, etc. secunda part. art. 4, *prima principia* indemonstrabilia esse dicuntur ob infirmitatem humanæ rationis: *Cette impuissance ne conclut autre chose que la faiblesse de notre raison, mais non pas l'incertitude de toutes nos connaissances*. Non enim ex

infirmitate rationis id provenit, sed ex ipsa natura principiorum illorum, in quibus veritas intuitiva evidentiâ conspicitur, ita ut animus nil in ipsis ultra possit requirere. Hoc ipsum docet S. Th. locis nuper allegatis. Ceterum nimis forte a Pascal naturalem humanæ rationis certitudinem depressam fuisse, adnotarunt de Gerando, Gallupius, Rosminius, *Opusc. Filosofei*, Milan. 1827, vol. 1, pag. 92, aliique. Pascaliu haud parum usus est Lamennais, in iis quæ contra rationem individuam hominis congescit.

(2) Principium *contradictionis* (quod alii per principium *identitatis* expriment) est certe universalissimum omnium principiorum, atque omnium velut apex, cum ideam tantum *entis* præsupponat, quæ quidem est objectum primarium ac universale intellectus. Ut enim scribit S. Th. *De verit.* q. 1, art. 1: *Illud, quod primo intellectus concipit quasi notissimum, et in quo omnes conceptiones resolvit, est ens*.

(3) Criterium generale, quod ultima norma sit veri, distinguitur plane a



21. Ac recte quidem certitudo potest definiri *firma et rationalis animi persuasio de veritate rei cognita* : *firma* scilicet, quæ omnem errandi formidinem excludat, sic ut animus rei veritati adhæreat; *rationalis*, quæ ex legitimo judicandi motivo proveniat. Unde consequitur, certitudinem omnem, si in se spectetur, *in indivisibili*, ut ita dicam, positam esse; siquidem firma illa ac rationalis persuasio vel habetur vel non habetur, nil medium est; ac nullo propterea pacto potest certitudo cum probabilitate quantumvis maxima confundi. Porro cum ea rationalis persuasio, ex qua certitudo gignitur, non ex cæco quodam instinctu proficisci dicenda sit, sed ex ipso veritatis lumine, quæ mentem collustrat, ejusque sibi suo jure vindicat assensum, semper ex evidentia, scilicet ex necessitate aliqua *propositionis* promanet oportet, qua mens ad veritatem agnoscendam et tenendam impellatur, dum *ita et non aliter* rem esse evidenter cognoscit (1). Eget proinde humana mens legitimis validisque mo-

riteriis particularibus, quæ variis præ-sunt fontibus atque instrumentis, unde veritatum cognitio desumitur; hinc scholastici illud criterium *secundum quod*, hoc criterium *per quod* nuncupabant. Primo illo sensu posset *principium contradictionis* spectari veluti generale criterium seu norma veri, non quatenus ipsum *per se* tantum ullam *realitatem objectivam* probare valeret, non quatenus omnes veritates deberent ad *logicam necessitatem* illius principii, ut veræ sint, revocari posse, quæ quidem omnia essent falsissima; sed quatenus animus in illo supremo, evidentissimo ac firmissimo principio habet, unde judicet de *diversa* veritatum natura, ac de *diverso* certitudinis genere ex iis consequente. Nam, dum animus in quacumque veritate firmiter conquiescit, id ex eo provenit, quod *ita et non aliter rem esse* dijudicat,

nimirum quia videt, in *iis adjunctis* aliquam oppositi *impossibilitatem*, nempe aut *metaphysicam*, aut *physicam*, aut *moralem*, juxta diversum veritatum genus, id quod magis ex dicendis declarabitur. Dici ergo posset, hunc esse veluti characterem quemdam *evidentiæ* ipsius, qui illam semper comitetur, ejusque naturam explanet. Hinc nos nullo pacto abhorremus ab iis, qui in *evidentiæ* criterium hujusmodi collocant.

(1) *Certitudo*, inquit S. Th. 3. dist. q. 2, art. 2, *quæ est in scientia et intellectu, est ex ipsa evidentia eorum, quæ certa esse dicuntur*. Ea porro evidentia supponit *aliquam necessitatem propositionis* clare perspectam, qua fit, ut animus rationaliter sum ejus veritati consensum denegare non possit. *Per propositionem* generalitèr hic intelligimus quancumque veritatem sive ra-

tivis, quæ illam necessitatem ostendant; et quoniam motiva ejusmodi pro diversa objecti, quod animo observatur, natura, diversa esse queant, hinc certitudo diversi itidem generis, quod probe attendendum est, exurgit.

22. Hæc porro motiva vel *intrinseca* sunt vel *extrinseca*. *Intrinseca* dicimus, quæ veritatem propositionis sive necessitatem nexus inter subjectum et prædicatum *intrinsece* ostendunt. Id quod dupliciter evenire potest, nimirum vel *absolute*, cum scilicet ostendunt necessitatem *absolutam* propositionis seu a *priori* ex ipsa objecti natura dimanantem (1); vel *contingenter*, cum necessitatem *hypotheticam* seu a *posteriori* propositionis exhibent, quæ videlicet ex aliquo facto contingenti profluit, quo posito fieri nequit, ut propositio necessario vera non sit (2). Præterea motiva illa *intrinseca*, sive necessitatem absolutam propositionis sive hypotheticam exhibeant, id aut *immediate* aut *mediate* efficere queunt. Aliæ quippe propositiones sunt per se sive intuitive evidentes, aliæ vero ad quas certo cognoscendas per ratiocinium adducimur, quæque propterea veluti illationes ex primis veritatibus intuitivis eruuntur, unde conficitur *demonstratio*. Et quoniam primitivæ hæ veritates ex jam præjectis, duplicis ordinis sunt, scilicet vel logicæ, vel psychologice, duplex etiam demonstrationis genus datur, alterum nimirum a *priori*, alterum a *posteriori*, prout ab illis vel istis primis veritatibus ratiocinando concluditur. Utraque tamen, si rite sit instituta, nempe si necessarium nexum inter veritatem intuitivam atque eam quæ inde deducitur ostendat, *apodictica* dicitur et est, ac veritas proinde deducta ejusdem evadit certitudinis cum principio, a quo deducitur.

23. Ex iis porro, quæ hic enucleavimus, patet, motiva *intrin-*

*tionis* sive *facti*, quæ nimirum, qualiscumque demum ea sit, per aliquam propositionem semper potest enunciari.

(1) Tales sunt omnes veritates mathematicæ, axiomata, etc. cujus videlicet necessitas ex ipsis idearum neces-

sariis relationibus exurgit.

(2) Tales sunt veritates facti interni, quæ scilicet ab ipsa interiore cujusque conscientia immediate revelantur, uti propria existentia, etc.



*seca* certitudinis, seu intrinsecos fontes cognoscendi, ex quibus illa dimanant, esse *sensum intimum* quoad facta interna; *sensibilitatem*, quam vocant, *externam*, quoad facta, quæ aliunde proveniunt, ac demum *rationem*, quatenus vel prima necessaria atque universalia principia exhibet, vel alias veritates ex aliis jam certis ratiocinando deducit. Patet insuper, certitudinem, quam diversa ejusmodi motiva gignunt, esse vel *logicam* aut *metaphysicam*, vel *physicam* dumtaxat, prout certitudinis motiva ab uno alterove ex illis fontibus desumuntur (1).

24. Per motiva autem *extrinseca* certitudinis ea proprie intelligimus, quæ nobis nullo pacto aperiunt veritatem intrinsecam propositionis, seu necessarium nexum, quo subjectum ac prædicatum intrinsece copulantur, sed tamen nobis præbent indicium vel connotatum aliquod certum de nexu illo, ac proinde de ipsius propositionis veritate (2). Hujusmodi porro indicium potissimum est *auctoritas*, sive testimonium aliorum; quoties

(1) *Logica* ac *metaphysica* necessitas pro una eademque a veteribus accipiebatur ac etiam nunc accipitur. Plerique tamen *logicam* ad necessitatem intrinsecam ex relationibus idearum exurgentem, *metaphysicam* ad facta sensus intuitivi immediate referunt. Nos *metaphysicam* necessitatem dicimus, tum quæ in intrinseca idearum convenientia vel repugnantia sita est, quæque, absoluta cum sit, cum *logica* necessitate identificatur; tum quæ in facto sensus intimi immediato nititur, quæque *metaphysica hypothetice* est. Certitudo *physica* duplicis est generis; quandoquidem talis est tum illa, quæ ex *sensibilitate* externa immediate provenit, tum illa quæ partim nititur huic *sensibili* immediatæ perceptioni, partim vero principio firmo rationis in *legum physicarum* constantia fundato. Ita

dum corpus aliquod video, certus sum *physice*, illud gravitate pollere, etiam ante omne experimentum.

(2) Egregie duplicem hunc cognoscendi modum ac certitudinis fontem, intrinsecum et extrinsecum, explicat cl. Gerdilius, in sua *Introduz. allo studio della religione*, edit. Rom. tom. ix, pag. 27: *Per conoscere la verità o la falsità di una proposizione conviene sapere, se l'attributo che si afferma o si nega convenire al soggetto, a lui conviene realmente o non conviene. Ora due sono le maniere d'investigare cotesta convenienza, l'una traendo dall' idea del soggetto e dell' attributo argomenti o evidenti, o verisimili, che una tal convenienza dimostrino o additino. L'altra maniera si adopera, quando nel soggetto e nell' attributo considerati verso di*



propterea certitudo habetur de connexionione hujus indicii, nimirum *auctoritatis*, cum propositione, de qua agitur, ac simul certitudo de illius indicii veritate, certi omnino reddimur de veritate ipsius propositionis (1). At quoniam hæc certitudo non inde provenit, quod illius veritatis rationem intrinsece perspiciamus, sed ab extrinseco cognoscendi fonte, scilicet auctoritate, hinc nos veritati illi ob auctoritatem assentiri, id est, *credere* dicimur. Quo fit ut, si auctoritatis veritas evidens sit, propositio, quæ per eam innotescit, *evidenter credibilis* fiat. Auctoritas vero sive testimonium cum vel Dei ipsius possit esse vel hominis, fides vel divina erit vel humana.

25. At enim quamnam certitudinem de illius extrinseci indicii veritate, scilicet *auctoritatis*, assequi possumus, et quænam inde necessitas assensus dimanat? Si auctoritas illa in Dei ipsius testi-

*loro niente appare, che ne scuopra la lor convenienza, o ripugnanza, onde forzati siamo di ricorrere ad argomenti estrinseci, che di questa convenienza, o ripugnanza ne facciamo certi. Nell' adoperare la prima maniera il giudizio che si fa della verità, o falsità di una proposizione, nasce dalla conoscenza diretta, che si ha della verità, o falsità di quella considerata in se medesima, voglio dire, che si vede, o s'intende in qualche modo la connessione o ripugnanza, che passa tra l'idea del soggetto e dell' attributo, e si sa pertanto non solo, ch' è vera, ma di più quale è la ragione, che intrinsecamente ne determina la verità. Colla seconda maniera si può saper soltanto, che sono gli estremi connessi, o ripugnanti, senza che aver si possa una diretta conoscenza della lor connessione, o ripugnanza: onde sta la sicurezza, che una cosa è vera senza veruna in-*

*telligenza della sua verità, giacchè la verità obbiettiva consiste nella connessione delle cose. Videsis latinam versionem hujus loci ad calcem voluminis. Hanc ipsam theoriam pertractat pag. 135 et seqq., eademque applicat *Mysteriis* christianæ revelationis. Quamvis porro *auctoritas* præcipue pertineat ad hunc cognoscendi fontem extrinsecum, non ea tamen sola ipsum constituit; etiam quæ dicuntur *apogogicæ* demonstrationes seu *ab absurdo*, ab extrinsecis argumentis procedunt.*

(1) Certe etiamsi ex.gr. quis nunquam viderit Londinum, ac proinde haud videat quomodo attributam existentie realiter conveniat ei civitati, tamen cum tanta testimoniorum ac monumentorum copia illam propositionem facti, quod *Londinum existit*, suffultam cognoscat, *extrinsece* quidem, sed omnimodam acquirat certitudinem, quod hæc propositio facti verissima sit.

monio posita sit, absolutam ac metaphysicam certitudinem parere per se patet. At si de hominum testimonio circa sensibilia facta sit sermo, illud certe per se errori obnoxium esse posse quis neget? Attamen hoc ipsum testimonium adeo plerumque omnibus spectatis, ac præsertim si pluribus testibus conflatur, ineluctabile evadit, ut firmam illam ac rationabilem de veritate rei cognitæ persuasionem, propriam scilicet veramque certitudinem parere possit ac debeat. Ex una etenim parte probari plerumque potest testium *scientia* vel cognitio facti, quæ nimirum certitudine physica nititur, quæque connexionem testimonium inter et factum certissime ostendit; ex altera vero parte firmiter adeo potest probari eorum veracitas, ut evidenter constet, eos illis in adjunctis non modo non esse mentitos, sed nec potuisse quidem actu mentiri. Id namque si quis negare aut in dubium revocare tunc velit, eo deveniat oportet, ut effectum omnino sine causa dari posse asserat, ac principium proinde metaphysice certum inficietur (1).

26. Hæc igitur veracitas in iis fundatur legibus, quæ naturæ hominum morali alte insident, quasque constantissimas esse, ex perpetua omnium ætatum ac locorum circa mores agendique rationem hominum observatione est apertissimum. Hinc certitudo *moralis* vocatur, quæ quidem in humana vita latissime patet, cum non fides modo omnis historica, sed scientiæ politicæ, legislativæ, judiciales, œconomicæ, quibus humana societas gubernatur, suum in ipsa habeant fundamentum. Humana igitur auctoritas, licet sæpe probabilitatis fines non excedat, plerumque ad veram certitudinem assurgit, quæ non possit ab homine ratione utente respui, quin sibi, saltem quandoque, haud minorem inferat vim, quam si veritatem aliquam logica necessitate pol-

(1) Rem hanc mirifice illustrat cit. Gerdilius, *Saggio d'instruzione theologica*, art. *Della storia umana*, cit. edit. tom. x, pag. 270. Cfr. etiam *Défense du Christianisme ou Conférences*, etc. par Mgr. De Frayssinous, *Du Témoignage*, nec non egregiæ

*Philosophicæ institutiones* cl. collegæ mei, nunc in Greg. coll. theol. dogm. profess. P. Aloysii Dmowski, Lovanii primum cusæ, ac postea Romæ recusæ, tom. 1, logicæ part. II, art. 10, *De auctoritate*.

lentem oppugnet (1). Quare omnino rejicienda veluti hujus certitudinis eversiva ea est philosophica doctrina, quæ illam dumtaxat repetit ex officio morali, quo nos hisce in casibus, propter rationis practicæ dictamen, tenemur ad assensum testimonio aliorum præstandum (2). Nam quamvis id daretur, cum veritas hujus testimonii probabilitate tantum constat, qua quidem una in plerisque vitæ negotiis homines prudenter agere possunt, falsum tamen de vera morali certitudine esset. Hæc enim theoretice etiam, scilicet in ratione ipsa theoretica, persuasionem illam ingerat oportet, quæ firma et rationabilis sit, quæque omnem errandi formidinem, omneque dubium excludat (3). Nam si in ratione theoretica semper maneret mera probabilitas licet summa, ac nonnisi per rationis practicæ seu moralis dictamen vera fieri deberet certitudo, jam nunquam ad hanc certitudinem perveniretur, quippe per meram illam practicam acquiescentiam nec rerum immutaretur natura, nec theoretica ratio firmam illam persuasionem, quæ dubium omne amovet, unquam assequeretur.

27. Patet itaque, 1<sup>o</sup> certitudinem, sive logicam ac metaphysicam, sive physicam, sive moralem, in natura veræ certitudinis æque convenire; 2<sup>o</sup> pro diversa tamen objecti natura ac diverso motivo, ex quo gignitur, non eandem, sed *diversam* propositionis *necessitatem* requiri; 3<sup>o</sup> ea, quæ sive intrinseca necessitate *a priori*, sive necessitate intrinseca in ipso immediato sensus intimi facto fundata nituntur, ejusmodi intuitiva

(1) Recol. superius dicta in nota. Verissime iterum adnotat Gerdilius, cum agitur de probabilitate licet maxima, persuasionem animi potius ferri ad *facilitatem*, quod factum ita se habere possit; sed in certitudine morali, iudicium animi fertur directe in ipsam *existentiam* ac *veritatem* facti, atque in ea conquiescit. Cfr. *Diss. dell' orig. del senso morale*, tom. II, opp. pag. 201.

(2) Hanc esse G. Hermesii doctrinam, nemo est qui nesciat, de qua alibi fusior

erit sermo.

(3) Certitudo non potest nisi ad rationem *theoreticam* pertinere, atque ex hujus firma persuasionem progigni; unde ratio *practica* nil certi imperare potest, nisi in ratione theoretica fundatum sit. Secus non erit nisi mere pratica *fides* et *acquiescentia*, quam etiam sceptici et acataleptici ultro admittebant, quamque recentiores Kantiani, Fichtianique ultro ac libentissime veluti naufragi tabulam arripiunt.



evidentia fulgere, ut intellectus assensum omnino rapiant ac extorqueant; quæ vero ex primis veritatibus intuitivis longiore deductione eruuntur, item quæ physica vel morali certitudine tantum constant, non eandem immediate vim in intellectum habere, propterea in iis assentiendo voluntatis influxui magis aditum patere posse (1); 4<sup>o</sup> *scientiam* ac *fidem* in eo præsertim discriminari, quod in illa intrinsecam propositionis veritatem, seu rationem ejusdem clare pervideamus, ac rem proinde per causas suas cognoscamus, in hac vero nullatenus perspiciamus intrinsece, sed indicium dumtaxat, certum tamen, habeamus, ex quo nobis *extrinsece* propositionis veritas constat.

28. Non igitur scientia ac fides simul sunt permiscendæ; quod quidem facere videntur, qui nuperrime statuunt, scientiam omnem sine fide satis haud esse ad realitatem objectivam rerum constituendam (2); scientiam seu *scire* nonnisi necessitatem cogitandi et cognoscendi gignere posse, sed non necessitatem pro vero ac reali objectum cogitatum ac scitum tenendi; hoc tantum haberi, cum scientiæ præviæ accedit, veluti novus ac omnino

(1) Certe, dum intellectus *directe* percipit ea, quæ intuitiva evidentia pollent, nil potest in iis voluntas; tamen quoad illas ipsas veritates in cognitione *reflexa* posset voluntas saltem conari intellectus evidentiam obscurare, aut certe alio ejus attentionem divertere, ne veritatum illarum fulgore percellatur. Ita porro agunt sceptici omnes, si quidem eo dementiae progredi queunt, dum primitivas ipsas veritates rationis et facti in dubium revocant. Cum autem veritas immediate non fulget, cum ratiocinatione opus est, et præsertim si hæc plurimum factorum contingentium examini nitatur, voluntas, si male comparata sit, potest multo facilius ordinem idearum perturbare, ita ut veritas intellectui satis non ap-

pareat. Ita in certitudine præsertim morali fieri potest. Hinc est quod, ut sani omnes philosophi docent, ad inquisitionem veri nimis interest, ut voluntas recte ac sincere procedat. Fuscæ distinctionem inter *directam* et *reflexam* cognitionem enucleat cl. Rosmini, in op. *Origine delle idee*, Romæ vol. IV, pag. 303.

(2) Hæc doctrina ex Hermesii fontibus fluxit, uti suo loco videbimus. Attamen eam magis evolvit ac illustravit prof. Baltzer, a nobis jam citatus, qui nempe eam omnino necessariam existimat, ut absurda Kantiana et Fichtiana principia de certitudine objectiva convellantur. Cfr. op. cit. fascic. I, § 14, *Glauben und Wissen*, seu *Crederet et scire*.

distinctus psychologicus status, *fides*, qua credimus firme veritati illius cognitionis, ac objectorum per eam cognitorum realitati (1). Unde certitudo non ex scientia licet intuitivæ evidentiæ, sed ex accedente illi fide suam psychologicam genesim, ut loqui adamant, agnoscit. In eo vero fidem *scientiæ* ac fidem *auctoritatis* seu historicam discrepare, quod una sit fides *sciens*, ac proinde necessaria, altera fides *non sciens*, ac propterea libera. Ex quibus arguunt, scientiam seu *scire* semper in quavis cognitione fidei subordinari (2). Hæc certe nobis probari non possunt; 1<sup>o</sup> quia scientia cum fide, *scire* cum *credere* proprie dicto, confunditur, idque non sine aliquo saltem fidei supernaturalis periculo; 2<sup>o</sup> quia a sensu vocabulorum ab omnium philosophorum ac theologorum, quin immo ab ipso communi hominum iudicio ac usu firmato, receditur; 3<sup>o</sup> quia supponitur, *scire* nil aliud esse nisi purum cogitare ac cognoscere. Atqui, quidquid de transcendentalibus sit, certe *scire* est iudicium de aliqua re firmum ob

(1) Ita exemplo rem explanat prof. Baltzer: *Cum ego ex. gr. cogito simpliciter, quod Deus existat, nil hactenus habeo nisi cogitationem, ideamque Dei in conscientia mea, ac consequenter cognosco et scio Deum, quatenus homines de eo loquuntur veluti de ente, quod præsupponunt a se ipsis dualistice contradistinctum, sed nondum habeo præsuppositionem in me realitatis Dei, quem cogito. Hæc realitas tantum mihi præbetur ex Fide, quæ ad cogitationem superaccedit, in qua quidem fide ego determinor ad realitatem Dei cogitati tenendam, tanquam entis revera extra me existentis.* Ibid. pag. 66.

(2) Certe, ut eodem exemplo utar Auctoris, cum ego scio, *Deum existere*, non *cogito* dumtaxat de Deo, illamque cognosco velut ens quoddam *possibile et abstractum*; sed ex prin-

cipio metaphysico causalitatis cognosco illum veluti ens revera ac necessario existens, ac evidenter video, impossibile metaphysice esse, ut non existat. Igitur in hoc *scire* de Deo includitur iudicium, ac proinde assensus intellectus realitati ipsius. Verum est, quod ad hoc, ut persuasio hac de re firma et immota maneat, adhæsiō etiam ex parte voluntatis in actibus *reflexis* requiratur; sed cum iudicium illud, quod intellectum directe determinat ad assensum, sit evidentibus rationibus suffultum, voluntas, nisi suam rationalitatem oppugnare velit, eidem adhærere debet; quod cum faciat non ex *fide*, sed ex veritate evidenter cognita, id facere voluntas dicenda est. Falsum suppositum huius systematis in eo videtur esse, quod assensus realitati objectivæ tantum voluntati, non etiam intellectui tribuatur, quod falsum est.



perspectas intime rationes habere, quod necessario mentis assensum veritati ac realitati rei debet includere; qui quidem assensus non a fide, sed ab ipsa veritatis intelligentia progignitur (1). Quamobrem, licet latissimo quodam modo et conscientiae aliquid interius revelanti, et principiis ipsis intuitivis, et rationi necessarias illationes inde deducenti, ac demum, ut aiebat Augustinus, veritati ipsi nos *credere* dici possimus (2), hæc tamen ver-

(1) Sic etiam Aristoteles de primis principiis ait: *Sunt enimvero hæc et vera et prima, quæ non ab aliis, sed a seipsis fidem habent.* (*Topic.* lib. 1); unde Aligherius noster, Aristotelis cultor:

*Fia per se noto  
A guisa del ver primo a che l'uom  
crede* (*Parad.* II, v. 44).

Ita etiam Tertullianus, lib. *De testim. animæ*, aiebat: *Ut et naturæ et Deo credas, crede animæ*; sed hæc lato modo dicta esse apparet. Certe Augustinus, cujus auctoritatem ad se prof. Baltzer trahere vellet, semper inter scientiam et fidem apprime distinxit. *Quod intelligimus, debemus rationi; quod credimus, auctoritati.* Lib. *De utilit. cred.* cap. 11, n. 25. Sed magis philosophice rem attingit, *Retract.* lib. 1, cap. 14, ubi scribit: *Proprie quippe quum loquimur, id solum scire dicimur, quod mentis firma ratione comprehendimus. Cum vero loquimur verbis consuetudini aptioribus, sicut loquitur etiam divina Scriptura, non dubitemus dicere, scire nos, et quod percipimus nostris corporis sensibus, et quod fide dignis credimus testibus, dum tamen inter hæc et illud quid distet intelligamus.* Ex quo patet, tantum abesse, ut Augustinus omne *scire* ad *credere* revocet, ut potius, juxta

communem loquendi modum, *credere* ipsum ad *scire* revocari posse fateatur, quamvis philosophice loquendo omnino inter se discriminentur. Nil opus est de S. Thoma dicere, fideli Augustini discipulo, quique certe inter *scire* et *credere* eandem distinctionem accurate servavit, prout luculentius ex dicendis patebit.

(2) Prof. Baltzer confidit, se posse hoc systemate Kantii principium convellere, qui in scala, ut ita dicam, psychologica, primo *opinari* posuit, deinde *credere*, tertio *scire* tanquam supremum statum psychologicum. Certe hoc principium falsissimum est ex ea parte, quod tantum *scire* dare possit nobis realitatem objectivam (quanquam in Kantiano systemate *scire* ipsum non nisi phænomena exhibeat); cum etiam *credere*, dum ex validis extrinsecis argumentis fiat, nos de realitate rerum objectiva certos reddere queat. Quis enim non æque certus sit de existentia objectiva ac reali urbis Romæ, si eam propriis oculis videat, ac proinde *sciat*, aut si ex tot testium auctoritate cognoverit, ac proinde *credat*? Igitur ex hac parte *scire* et *credere* in eodem psychologico gradu sunt. Verum quis neget, relate ad vim intelligendi, *scire*, cum intimas rerum rationes aperiat, nobi-



borum latitudo ac *improprietas* amovenda est, cum notiones proprie ac philosophice debent constitui ac definiiri; nec ex eo, quod criticistæ ac transcendentales nil nisi *scire* admittant, eoque pessime abutantur ut *fidem* omnem rejiciant, debet verum inter fidem ac scientiam discrimen elevari.

29. Ex hactenus declaratis ad nonnullas philosophicas notiones enuncleandas, quæ nimis arcte cum re nostra conglutinantur, liceat nobis quædam inconcussa principia statuere, quæ fundamentum tractationis nostræ sint, et sine quibus quævis de rationis officio ejusque recto usu ante fidem disputatio haud rite susciperetur. Sunt autem :

30. 1<sup>o</sup> Humanam rationem non ad falsum, quod intrinsece absurdum esset, et Auctori suo injuriosissimum, sed ad verum natura sua comparatam esse, illudque proinde naturalibus mediis, quibus pollet, posse saltem in aliquibus tuto assequi.

31. 2<sup>o</sup> Aliquas dari primitivas veritates sive *facti* sive *rationis*, quæ intuitiva evidentia omnibus fulgent; quæ a nemine, quin naturam suam rationalem oppugnet, in dubium revocari queunt; quæ non ideo veræ sunt, quia ab omnibus necessario agnoscuntur, sed ideo ab omnibus necessario agnoscuntur, quia veræ sunt; quæque cum iis judiciis, quæ facile ac sponte veluti consectoria inde fluunt, communem hominum sensum rationalem constituunt.

32. 3<sup>o</sup> Non igitur de omnibus ratiocinandum esse, non omnia

liorem cognoscendi esse modum? Hinc certe in ipsis religionis mysteriis, quæ nunc per *speculum* et in *enigmate*, nimirum per fidem contemplamur, in altera vita, Deo dante, *intelligentia* comprehendemus, quantum nempe licet finitæ menti. Videat ceterum Baltzer, quamvis optimo hac in re animo procedat, ne, dum Fichtei principia extollit (in quo Hermesium nimis imitatur), qui in *fide* tantum, non autem in scientia *realitatem objectivam* collo-

cavit, hanc ipsam realitatem infirmet. Nam, quamvis ipse inter se et Fichteum hoc statuatur discrimen, quod huic *fidei* etiam *scire* necessarium præcedere debere ipse supponat (id quod Fichteus non agnovit), nimis tamen Fichtiano placito affine ac periculi plenum est contendere, realitatem quamcumque objectivam, etiam in intuitiva evidentia fundatam, non posse demum nisi per *actum credendi* tuto certoque arripi.

demonstranda (1); quando nec omnia demonstrationis capacia sunt, et si res ita se haberet, nulla unquam ratiocinatio, nulla foret possibilis demonstratio.

33. 4<sup>o</sup> Licet certitudo, cum subjectivus animi status sit, possit relativa etiam esse, dari tamen pro humana ratione in aliquibus certitudinem *absolutam*, quæ nimirum pro omnibus certitudo esse debeat, eademque prorsus *objectiva*, quæ scilicet fallibilis esse nequeat; quod qui negaret, næ ille rationis ipsius naturam ex dictis destruere, de ejus Conditore sapientissimo male sentire, ac latissimam scepticismo non philosophico tantum, sed etiam religioso viam aperire dicendus esset (2).

(1) Optime S. Th. *De verit.* q. 1, art. 1: *Sicut in demonstrabilibus, inquit, oportet fieri reductionem in aliqua principia per se intellectui nota, ita investigando quid est unumquodque; alias utrobique, in infinitum iretur, et sic periret omnis scientia et cognitio rerum.* Sapienter itaque Baldinotti: *Ratione quidem, scribit, semper utendum est, ratiocinio non semper; id est impossibile; basis namque et fundamentum ratiocinium habere opus est, non autem in alio ratiocinio, quod ad progressum in infinitum cogeret. Aliquid igitur est, de quo ratiocinandum non est.* Qui deinde pergit ostendere, tales esse primitivas veritates tum rationis tum facti, quas ut mens assequatur, rationem non debet exercere; sufficit ut percipiat, cum in hoc simplici ac primitivo perceptionis facto veritas ipsarum affulgeat, atque inde earum certitudo firmissima oriatur. op. cit. cap. 7, *De vero*, pag. 248. Hinc satis apparet absurditas transcendentalium, qui, dum nullam primitivam ejusmodi veritatem ag-

noscere volunt, ac philosophiam, quam dicant *Voraussetzunglos*, omni scilicet *prævia suppositione carentem*, inquirant, aut in scepticismum ruunt, aut demum ad aliquid omnino *gratuito* ac *falso* supponendum necessario deveniant, super quo totum posthac suum philosophicum systema construunt. Ita Fichteus ab *absoluto Ego* supponendo profectus est; ita Schelling *intuitionem immediatam absoluti* gratuito supponit; ita Hegel in ipsa idea *subjectum et objectum, cogitare et esse* identificari prorsus admisit. Ita e contra philosophi alii, qui rationis vim infringunt, evidentiae intuitivæ primarum veritatum certitudinem subtrahentes, eam gratuito prorsus tribuunt vel cæco cuidam instinctui, vel naturali cuidam fidei, vel demum auctoritati.

(2) Si omnis profecto certitudo *relativa* esset, num aliqua pro omnibus hominibus veritas in quocumque ordine certa ac firma daretur? Male porro argumentantur, qui dicant, omnem rationis certitudinem esse *humanam*, in Deo solo scire et esse identificari, ac

34. 5° Hanc *absolutam* certitudinem posse in aliquibus dari in *ordine cognitionis* seu *psychologice* independenter ac *præcise*, ut scholæ vocabulis utar, etiam ab ipsa Dei cognitione Deique veracitate, quamvis in *ordine essendi* seu *ontologico* a Deo ente necessario atque absoluto omnia entia necessario pendeant. Humana quippe ratio, sicut quidquid aliud est entis contingentis, certe non existeret *ontologice*, nisi Deus esset; sed, dum *psychologice* cognoscit, non posset vel Deum ipsum ut existentem ac veracem certo cognoscere ac tenere, nisi absoluta certitudine sese ipsam existere sciret (1).

35. 6° Nexum illum, de quo tantopere transcendentales secum certant, inter subjectum et objectum, in ipsa sensibili ac intelligente hominis natura fundari; quandoquidem humanus animus ex duplici, quem habet, cognitionum ordine, empirico atque ideali, dum seipsum sentit ac percipit, fit necessario certus

proinde absolutam certitudinem dari. Esto enim, quod hominis ratio *humana* sit, ac proinde *fallibilis*, num propterea nil infallibiliter poterit cognoscere? Num, ut loquar cum D. Thoma, *divini luminis impressionem* non habet? Et quæ hæc esset impressio, si nil certi *absolute* posset cognoscere, si ne quidem se existere, se percipere absolute hac certitudine sciret? Ad rem Malebranchius, quem adversarii veluti testem non rejicient: *De là il est évident qu'il y a du vrai et du faux..... et cela à l'égard de toutes les intelligences. Que ce qui est vrai à l'égard de l'homme, est vrai à l'égard de l'Ange et à l'égard de Dieu même: Traité de morale*, prem. part. pag. 5, Lyon 1707.

(1) *Dei veracitas et existentia*, ut probe adnotat Baldinotti, *veri fons est et causa omne verum comprehendens*,

*non est cognitionis humanæ criterium*; op. cit. pag. 214. Duplicem hunc ordinem, *essendi* ac *cognoscendi*, apprime semper distinxere scholastici omnes. Certe si principium contradictionis ac evidentiam ex Dei veracitate probemus, undenam statuemus, Deum esse veracem? An quia evidenter percipimus absolutam oppositi impossibilitatem? Atqui hic esset *diallelus* ille seu circulus vitiosus, in quem Gassendus, alique, ac recentius etiam Bühle, Cartesium incidisse contendebant. Quanquam immerito id opponebatur Cartesio, quippe qui nunquam certitudinem existentiae suæ, ac intuitivam evidentiam ex Dei veracitate probandam duxit, ab eaque sese accusatione defendit in *Réponse aux secondes objections*. Cfr. quæ hac de re habet egregie Galluppius, *Saggio*, etc. tom. 1, pag. 331 et seq.



de realitate sua objectiva; atque in seipso actibusque suis invenit intrinsecam rationem principiorum illorum necessariorum *a priori*, quod non datur *accidens sine substantia*, nec *effectus sine causa*; quæ proinde principia non *synthetica a priori*, sed prorsus *analytica et identica* sunt, non *logica* tantum, sed *metaphysica ac ontologica*, et ad realitatem objectivam demonstrandam firmissima (1).

36. 7<sup>o</sup> Demum eam semper præ oculis habendam esse philosophicam distinctionem, quæ inter ordinem *logicum* ac ordinem *chronologicum* cognitionum, atque ordinem factorum *historicum* intercedit (2). Ordo quippe *logicus* intrinsecum inter cognitiones

(1) Qui cum laude inter recentiores ideologiam excoluerunt, conveniunt omnes, principium *substantiæ* ac principium *causalitatis* esse quidem *a priori*, quippe non ab experientia ac inductione pendeant, uti Humius contendebat; sed tamen ea esse omnino *analytica*, cum notio accidentis et notio effectus non connectantur cum notione substantiæ et cum notione causæ ex quadam *cæca* rationis *synthesi*, ut Kantius asseruit, sed ex ipsa intima earum relatione, qua fit ut unam in altera includi, seu unam cum altera veluti prædicatum cum subjecto necessario connecti, ratio pervideat; notiones vero illas non mere abstractas ac logicas esse, sed *concretas* ac *psychologicas*, quandoquidem in ipsa nostri conscientia *substantiæ ideam* invenimus, ac in ipsis actibus nostris activis tum intellectus (uti ex. gr. in ratiocinatione), tum præsertim voluntatis habemus notiones reales *causæ* ac *effectus*. Si igitur hæc principia logicam necessitatem habent, cum sint *a priori*, et tamen in ipsa realitate objectiva fundantur, quoties legitime quidquam ex ipsis infertur, necessario

ad objectivam realitatem adducunt. Non sunt enim meræ leges *subjecti* percipientis, sed omnino *objectorum* perceptorum sunt leges. Hæc attigisse pro re nostra sufficiat, nos ceterum remittendo ad eos egregios philosophos, qui hæc de re ex professo pertractant, ac varios modos probandi realitatem mundi externi adversus idealistas ac trascendentales expendant.

(2) Ordo chronologicus cognitionum veritatum est *relativus*, siquidem pendet ex subjecto, quod earum veritatum notionem acquirit, ac ex variis adjunctis, quæ facultati cognoscendi subsidio vel impedimento esse possunt. Ordo logicus veritatum est *absolutus*, quippe statuit intimas idearum relationes ac nexus, quæ ex ipsa rerum natura exurgunt. Ut exemplo rem declarem: potest quæri, quonam pacto homines primitus ideam ac certitudinem veritatis alienjus acquisierint; et præterea num hæc veritas talis sit, ut queat ratione cognosci ac probari. Hæ sunt quæstiones plane distinctæ ac independentes. Altera ad facta, ad historiam, ad traditionem pertinet; altera ad idearum naturam,

nexum persequitur; quomodo una ex alia pendeat, una in altera contineatur, edocet; ac proinde, an et quomodo ex suis quæque veritas principiis demonstrari possit, ostendit. Ordo autem *chronologicus* exhibet naturalem genesin cognitionum, scilicet undenam illarum derivatio incœperit, et quomodo ipsarum evolutio gradatim ac sua veluti sponte facta fuerit. Primus est ordo cognitionum philosophicus ac abstractus, alter ordo facti atque concretus. Ordo vero factorum *historicus* non respicit ordinem *cognitionum* in mente, sed facta generatim, quæ in humanitatis historia successive evolvuntur. Harum vero distinctionum usus ex dicendis luculenter patebit.

37. Hæc nos prænotanda ac statuenda esse duximus, ut rectum rationis usum ante fidem, id est, ad Religionem inquirendam ac capessendam expenderemus. Quod quidem nunc aggredimur per continentem seriem propositionum, ut veritas suo in lumine collocetur, atque ab erroneis hinc inde doctrinis defendatur.

#### PROPOSITIO I.

*Plures veritates naturalis ordinis, quæ tanquam præambula fidei spectari possunt, absque supernaturalis revelationis subsidio, recta ratio omnimoda certitudine cognoscere potest.*

38. Præambula fidei cum S. Thoma (1) ac communi saniorum theologorum consensu vocamus præcipuas illas veritates, quæ tum animi humani naturam spiritualitate, libertate, immortalitate præditam ostendunt, tum Dei existentiam, ejusque per-

ac humanam cognoscendi vim. Itaque etiamsi ex. gr. probaretur, homines ex facto per alia media ad eam veritatem certo cognoscendam pervenisse, hoc non conficeret eam ratione cognosci ac probari absolute non posse, cum hæc quæstio alterius ordinis sit, et ex ipsa rei natura pendere debeat. Hinc traditio historica ac ratio sunt veluti duæ linæ

parallelae, quæ confundi non possunt, sed quænam vera inter ipsas relatio detur, accurate statuendum. Hæc in antecessum sint dicta.

(1) I p. q. 2, ad 1: *Deum esse et alia hujusmodi, quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur Rom. 1, non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos.*



fectissima attributâ demonstrant, tum demum legem moralem circa actiones intrinsece bonas vel malas versantem, qua homo ad ultimum finem suum naturaliter dirigi debet. Naturales porro hæc veritates sunt, quia hominem in ordine duntaxat naturæ spectant, ac ab ordine supernaturali omnino præscindunt.

39. Instituitor hæc propositio adversus *supernaturalistas* (1), quos vocant, qui omnium hujusmodi veritatum fontem ac criterium esse divinam positivam revelationem primitus homini-factam, ac deinde per traditionem in omnes homines propagatam, contendunt. Itaque juxta istos humana ratio, revelatione illa seposita, nunquam *per se* pervenire potuisset aut posset sive ad cognoscendas sive ad demonstrandas fundamentales illas veritates, sic ut quævis earum scientia a positiva fide suum agnoscere principium debeat ac fundamentum. Rationem aiunt impotentem plane esse cuicumque metaphysico problemati apodictice resolvendo; rationales discussiones ad quidpiam certi ac absoluti non ducere; quidquid a ratione argumentis logicis probari queat, ejusdem generis argumentis oppugnari ac destrui facile posse. Quare philosophiam omnem, quæ ex meris rationis principiis proficisceretur, nunquam veritatem assecuturam, atque christianæ fidei indoli adversantem decernunt (2).

(1) Cum *supernaturalistarum* nomen æquivocum sit, et tum in bonum tum in deteriorem sensum sumatur, ne minus peritis confusionem ingeneret duplex ejusdem acceptio, animadvertere debemus, si cum rationalistis ac mythicis res sit, *supernaturalistas* vocari, qui divinam immediatam ac supernaturalem revelationem et inspirationem divinarum Scripturarum propugnant; si vero agatur de quæstionibus, quæ modo agitantur circa rationis vim et officium, *supernaturalistarum* nomine eos significari, qui omne adimere velent rationi jus et officium, ac omnia transferre in solam supernaturalem re-

velationem ac fidem. Hac porro posteriore significatione hoc vocabulum hic usurpamus.

(2) Tales sunt D. Bautain et qui hac in re ejus placitis adhærent. Jam admodum, D. Bautain commendabili plane docilitate se recepisse ab ejusmodi doctoribus, in cujus rei testimonium hic subjicimus declarationem, quam subscripsit una cum sociis suis, Paris. 8 Septembris 1840, sibi oblatam a novo coadjutore Argentoratensi, D. Ræss, his verbis expressam: *Désirant nous soumettre à la doctrine qui nous a été proposée par M<sup>r</sup> l'Évêque, nous soussignés déclarons adhérer, sans restric-*



40. Nimis porro longum esset et a nostro instituto alienum, quod contendimus, ostendere de singula quavis ex recensitis naturalibus veritatibus; hinc nos ad unam tantum probationes nostras coarctabimus, ad naturalem cognitionem scilicet ac demonstrationem existentiae Dei, quæ sane veritas et præcipua inter illas est, et potissimum argumentum fuit, contra quod adversarii machinas suas admoverunt. Et quamvis hac de re satis superque in tract. de Deo disputaverimus, hic tamen directe oppugnamus eos, qui negant, eam nativo rationis lumine cognosci ac demonstrari posse; id quod et Scripturarum oraculis adversans, et constanti Patrum doctrinæ oppositum, ac denique revelationi christianæ infensum sic esse probamus.

41. Ac primo quidem Scripturarum oraculis adversari novum hoc systema exinde evincitur, quod istæ perpetuo supponant, hominem ex adspectabili hoc universo assurgere posse, imo et *debere* in cognitionem Dei. Etenim, Job XXXVI, 25, legitur :

*tion aucune, aux propositions suivantes : 1° Le raisonnement peut prouver avec certitude l'existence de Dieu et l'infinité de ses perfections. La foi, don du ciel, suppose la révélation; elle ne peut donc convenablement être alléguée vis-à-vis d'un athée en preuve de l'existence de Dieu. 2° La divinité de la révélation mosaïque se prouve avec certitude par la tradition orale et écrite de la synagogue et du christianisme. 3° La preuve tirée des miracles de J.-C., sensible et frappante pour les témoins oculaires, n'a point perdu sa force avec son éclat vis-à-vis des générations subséquentes. Nous trouvons cette preuve en toute certitude dans l'authenticité du N. T., dans la tradition orale et écrite de tous les chrétiens; et c'est par cette double tradition que nous devons la démontrer à l'incrédule qui la rejette, ou à*

*ceux qui, sans l'admettre encore, la désirent. 4° On n'a point le droit d'attendre d'un incrédule qu'il admette la résurrection de notre divin Sauveur, avant de lui en avoir administré des preuves certaines, et ces preuves sont déduites par le raisonnement. 5° Sur ces questions diverses la raison précède la foi et doit nous y conduire. 6° Quelque faible et obscure que soit la raison par le péché originel, il lui reste assez de clarté et de force pour nous guider avec certitude à l'existence de Dieu, à la révélation faite aux juifs par Moïse, aux chrétiens par notre adorable Homme-Dieu. Post hæc, tantum abest, ut putemus eidem cl. auctori quidpiam detrahere nostra hac confutatione ejus systematis, ut potius ei ex corde gratulemur, ac rem ipsi gratam nos facere confidamus, ne ceteri tali doctrina abutantur.*

*Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul* (1). Sap. XIII, 1, *luculentius adhuc dicitur: Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei; et de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est; neque operibus attendentes, agnoverunt, quis esset artifex.* Et rursus: *A magnitudine enim speciei et creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri* (2). Quapropter Apostolus, Act. XIV, 14 et seqq.: *Qui fecit, inquit, cælum et terram, et mare, et omnia, quæ in eis sunt; qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vias suas; et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens de cælo, dans pluvias et tempora fructifera, implens cibo et lætitia corda nostra.* Jam vero inane prorsus esset ejusmodi testimonium, quod de se Deus hominibus in creaturis reliquit, si homo ratione sua ex ipsis ad Deum cognoscendum assurgere non posset. Ast ratiocinatione opus non est, cum, quod intendimus, idem Apostolus aperte declaret in Epist. ad Rom. I, 20, dicens: *Invisibilia ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque ejus virtus et divinitas, ita ut sint inexcusabiles; quia, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt... dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt.* Ex quibus postremis verbis intelligimus, Paulum de philosophis præcipue hic esse locutum, qui non solum cognoscere Deum, verum etiam ejus existentiam ratione ostendere ac demonstrare potuerunt (3). Omittimus porro brevitatis gratia non pauca similia Scripturarum eloquia, quæ eandem veritatem confirmant (4).

(1) In quem loc. cf. quæ docte scribit Joan. De Pineda S. J. circa naturalem Dei cognitionem ex creatoris haustam, *Comment. in Job*, tom. II, pag. 507, Venet. 1604.

(2) Ibid. v. 5. Ex quibus patet, non de probabili Dei agi cognitione, ut nonnulli autumant, sed de cognitione omnino certa, haurienda ex creaturis.

Vid. etiam Corn. a Lapide, *Comment.* in hunc locum.

(3) Cfr. Card. Toletus, *Comment. in epist. ad Rom.* Romæ 1602, in hunc loc.; item Salmeron, *Comment. in epist. B. Pauli.* Colon. Agrip. tom. XIII, in *epist. ad Rom.* diss. 13; Estius, in hunc loc.

(4) Ps. xviii, 2; Ps. cii, 22. Ut



42. Nec alia insedit Patribus sententia; uno siquidem animo omnes prorsus docent, hominem ex creaturis bene ratione utentem potuisse ac debuisse de Deo ejusque unitate cognitionem sibi comparare. Ne prolixiores simus, unius aut alterius afferemus testimonia, remittentes quoad cetera studiosiores ad auctores, qui data opera illa collegerunt. Itaque S. Irenæus: *Hoc ipsum*, inquit, *omnia cognoscunt, quando ratio mentibus infixa moveat ea ac revelet, quoniam est unus Deus omnium Dominus* (1). Tertullianus vero scribit: *Deum habere testimonia totum hoc, quod sumus, et in quo sumus* (2). Qui præterea luculenter distinguens inter cognitionem Dei supernaturalem seu salvificam, quam habemus ex revelatione positiva, et naturalem, quam habemus ex creaturis, hæc habet: *Nos definimus, inquit, Deum primo natura cognoscendum, dehinc doctrina recognoscendum; natura ex operibus, doctrina ex prædicationibus* (3). S. Cyprianus, ethnicum alloquens, ait: *Hæc est summa delicti, nolle agnoscere, quem ignorare non possis* (4). S. Basilius, aut saltem antiquus auctor comm. in Isaiam, sic Deum loquentem inducit: *Me non intellexit, quem cælum commonstrat, quem terra et mare declarant, quem sol et luna, stellæ et omnes res creatæ indicant* (5). Et S. Greg. Naz.: *Nimis, inquit, hebes et stolidus est, quisquis non huc usque sponte sua progreditur, naturaliumque demonstrationum vestigiis insistit, atque adeo hoc sibi persuadet, ne id quidem Deum esse, quod vel imagine quadam animo concepimus vel informavimus* (6). Sic ceteri passim, quin

in aliis, in quibus Propheta creaturas omnes invitavit ad laudandum Dominum, scilicet *objective* per propriam existentiam, ordinem et pulchritudinem. Item Job. xii, 7 et seqq. etc. etc.

(1) *Cont. hæres. lib. II, cap. 6, num. 1.*

(2) *Advers. Marcion. lib. I, cap. 10.*

(3) *Ibid. cap. 18.*

(4) *De idolol. vanit. edit. Maur. pag. 227.*

(5) Ἐμὲ οὐ συνῆκε, τὴν δι' οὐρανοῦ γνωριζόμενον· τὴν διὰ γῆς καὶ θαλάσσης δεικνύμενον· τὴν διὰ ἡλίου καὶ σελήνης, τὴν διὰ τῶν ἀστέρων καὶ διὰ πάσης τῆς κτίσεως καταμνηνόμενον. In cap. 1 Isa. n. 15. tom. I, p. 388. De quo auctore cfr. admonit. edit. Maur. tom. I, opp. pag. 377.

(6) Λίαν ἀγνώμων ὁ μὴ μίχρη τούτων προῖαν ἰκουσίας, καὶ ταῖς φυσικαῖς, ἐπίνομος ἀποδείξεισιν, ἀλλ' οὐδὲ τοῦτο



ullus excludi possit (1). Neque his contenti, plures ac varias de Dei existentia demonstrationes metaphysicas, physico-theologicas ac morales confecerunt (2), imitantes hac in parte ethnicos ipsos philosophos, qui pariter plura argumenta ex ratione petita ad Dei existentiam evincendam attulerunt (3).

43. A Patrum autem vestigiis non recesserunt scholastici, ex quibus satis nobis sit commemorare S. Anselmum et S. Thomam, quos reliqui passim secuti sunt (4). Etenim S. Anselmus fortasse omnium primus demonstrationem dedit de Dei existentia, a priori vulgo nuncupatam (5). S. Thomas non solum quinque demonstrationes de Dei existentia proposuit (6), verum etiam data opera eos refellit, qui docebant, *quod Deum esse non potest per rationem inveniri, sed per solam viam fidei et revelationis est acceptum*, et vocat errorem (7). Quæ quidem doctrina identica plane cum sit cum doctrina adversariorum nostrorum, patet, quod in antecessum de ea protulerit iudicium S. Doctor. Atque cum eundem errorem renovaverit Socinus cum nonnullis assediis suis, non solum nostrates, verum ipsi etiam Protestantes in illum insurrexerunt (8).

44. Demum revelationi Christianæ infensum esse ejusmodi systema, ex eo facile liquet, quod nisi Dei existentia tanquam

ἰναὶ Θεοῦ, ἔπερ ἰφαντάσθημεν, ἢ ἀνευπωσάμεθα, ἢ λόγος ὑπέγραψεν. Orat. xxxiv, quæ est in *De Theologia*, n. n. cit. edit. Paris. tom. 1, pag. 540.

(1) Cfr. De Valentia, *Comment. theologic.* tom. 1, disp. 1, quæst. 2, puncto 2, *Quibus modis probari possit, Deum esse. An non solum ex fide, sed etiam evidenter*, edit. Lugd. 1603, pag. 66 et seqq.

(2) Cfr. apud Petavium, *De Deo*, lib. 1, cap. 1 et 2, et præsertim apud Thomassinum, *Theologic. dogm.* tom. 1, lib. 1, cap. 21 et seqq.

(3) Cfr. *ibid.*

(4) Si unum fortasse excipias Ægi-

dium Columnam, qui negavit, ullo argumento, et Card. De Alliaco ac perpaucos alios, qui censuerunt, *probabili* solum argumento demonstrari Dei existentiam posse, quique a reliquis omnibus refelluntur et impugnantur, ceteri unanimes sunt in adstruenda Dei existentia per veram demonstrationem.

(5) In *Prologio*, cap. 2 et seqq. Hanc, ut compertum est, adoptavit Cartesius.

(6) 1 p. q. 3, art. 3.

(7) *Contr. gent.* lib. 1, cap. 12, ubi late hunc errorem pluribus argumentis refellit.

(8) Sane Socinus, in *Miscellan.*

fidei præambulum, ut loquitur Angelicus doctor, supponatur, nequeat valide factum ostendi revelationis, quæ Dei existentiam præexigit; seposita enim Dei existentia, revelatio divina ne concipi quidem potest. Si quis porro incredulo Dei existentiam inficanti, hanc veritatem suadere vellet, num id ex sola revelatione conficiet? Atqui hoc veluti petitio principii ab incredulo illo repelleretur, siquidem jam Deum existentem necessario supponit revelatio. Qui igitur autumant ex sola fide seu revelatione posse Dei existentiam constare, validam e medio tollunt viam incredulum de ipsa revelatione convincendi (1).

respons. ad objection. 5 Culten, scribit: *Homo ipse per se nec seipsum, nec Deum ejusque voluntatem cognoscere potest; sed necesse est, ut hæc illi Deus aliqua ratione patefaciat.* Et in *Prælect. theolog.* cap. 2, eum proposuerit receptiorem sua ætate sententiam de cognitione Dei homini ejusque animo naturaliter insita, eam rejecit etiam his argumentis: 1<sup>o</sup> quod Deus ab initio creationis se primo homini patefecisset: *Qui primus homo cum nongentis triginta annis vixerit, posteros suos facile divinitatis opinione imbuiere potuit.* 2<sup>o</sup> *Quia, si divinitatis opinio cunctis naturalis esset, certe ea non esset ex fide; atqui ex fide eam esse docet epistola ad Hebræos XI, 6.* Deinde pergit aliorum exponens sententiam, et ea est, de qua hic agimus, scribit: *At sunt qui dicant, id saltem negari non posse, ex sola hujus mundi machina, si quis animum advertat, posse quemlibet, non solum Deum esse, manifeste cognoscere, verum etiam rebus humanis eum prospicere, plane percipere. Immo complures addunt, ex eadem machina*

*omnes satis intelligere, quidquid opus est ad eam Dei notitiam, ex qua omnis religio proficiscitur. Sententia ista similiter vel ex eo falsitatis arguitur, etc.* in *Biblioth. fratrum Polonorum*, tom. 1, pag. 537 et seq. Hinc Ostorodus, socinianus, in *Instit. relig. Christ.* cap. 1, pag. 10, hæc habet: *Quantum homines de Deo aut deitate sciunt, id non habent a natura, neque ex consideratione creaturarum, sed ex auditu. Ab initio enim Deus se se hominibus patefecit.* Porro ex nostris hanc doctrinam socinianam confutarant, quotquot Dei existentiam demonstrationem confecerunt. Ex Protestantibus inter ceteros ex professo refellit hanc sententiam Calovius, op. cit. *Scripta anti-sociniana*, tom. 1, pag. 51. in diss. *De existentia Dei ejusque naturali cognitione.*

(1) Hinc apposite observat, S. Joan. Chrysost. Apostolum Paulum, Athenienses de divinis alloquentem, non ex Scripturis, sed rationibus atque ex principiiis ab illis ethnicis admissis processisse. *Hom. III, in Ep. ad Tit.* Præterea revelatio præter Dei existentiam



45. Itaque, seclusa positiva Dei revelatione atque ante fidem, dari potest ac debet *naturalis* eaque *certa* cognitio ac demonstratio existentiae Dei, qua posita, ex ipso conceptu entis necessarii ac infiniti omnes ejus perfectiones seu attributa sua veluti sponte dimanant, id quod S. Thomas continenti eoque firmissimo ratiocinio in libris praesertim contra gentes ostendit. Quod vero de naturali Dei cognitione ostendimus, id ipsum de animi humani spiritualitate, libertate ac immortalitate, deque immutabili justae atque injustae norma nativo rationis lumine cognita dicendum est; quandoquidem hae veritates ex primitivis sive facti interni sive rationis veritatibus, ex rationali hominis natura, atque ex ipsius Dei attributis necessario nexu deducuntur, prouti innumeri philosophi atque apologetae, qui hac in re versati sunt, egregie praestiterunt (1).

supponit, Deum esse certo locutum, hominesque morali officio omnino obstringi ad hoc Dei verbum suscipiendum. Atqui nisi haec independenter a revelatione cognoscenda probentur, quonam innitentur fundamento?

(1) Eminet inter istos Gerdilius, in cujus praclaris philosophicis operibus tot extant de metaphysicis istis ac moralibus veritatibus demonstrationes, eo principiorum nexu, ea ratiocinii severitate confectae, ut omnimodam certitudinem pariant, ac plurimae mathematicam fere evidentiam praeseferant. Utinam perillustris hujus ac vere christiani philosophi opera magis hac aetate, apud externos praesertim, cognita ac in honore essent! At enim quis non mirabitur, dum audiat, Gerdilium ab aliquo e recentioribus supernaturalistis ac traditionalistis *rationalismi* incusari, quod scilicet legitimam rationi vim cognoscendi tribuerit? Sunt vero complures alii, quos Germanicae philosophiae

abstractiones magis delectent, et nimis antiquam existentem eam philosophiam, quae in illis veritatibus demonstrandis operam impendit. Sic porro Hegel, in sua *Wissenschaft der Logik*, seu *Scientia logicae*, vol. 1, Nürnberg 1812, pag. 3, 4, praefatur: *Id quod ante hanc aetatem metaphysica dicebatur, fuit, ut ita dicam, e solo radicibus evulsa, ac ex scientiarum numero evanuit. Quis amplius modo sibi quidquam oggeri pateretur de veteri ontologia, de psychologia rationali, de cosmologia, aut etiam de theologia naturali temporis anteacti? Investigationes ex. gr. de animi immaterialitate, de causis mechanicis et finalibus, ubi possent adhuc studium excitare? Etenim illae, quae dicebantur demonstrationes existentiae Dei, afferuntur tantum historice, aut ad fovendam aedificationem animique excitamentum. Haec facti res est: studium partim quoad substantiam, partim quoad for-*



## DIFFICULTATES.

46. Obj. prima. Dei notitiam una cum loquela non potuit primus homo sibi comparare nisi per Dei ipsius manifestationem ejusque locutionem. Ille utramque filiis seræque posteritati transmisit. Ergo ad eum modum, quo lingua a proto-parentibus, sic Dei notitia propagata est in omnes populos via traditionali. 2<sup>o</sup> Hinc, si quis in silvis natus esset ac enutritus extra ceterorum hominum societatem, nunquam ex sola terræ cælique inspectione Dei notitiam mutuaretur; sed stupidus ac sine loquela adoleresceret, intuereturque omnia, quæ illum circumstant, objecta brutorum animantium more, prout experientiæ facta ostendunt; multo vero minus Dei existentiam sibi *demonstrare* poterit humana ratio; 3<sup>o</sup> quippe demonstratio jam præsupponit veritatem cognitam ab eo, qui eam conficere nititur, ac *optatam creditamque* ab eo, in cujus gratiam demonstratio fit. 4<sup>o</sup> Hoc magis elucet, si naturam et condiciones ratiocinationis spectemus; ratiocinari enim est vel *deducere* vel *inducere*; porro *deductio* supponit principium cognitum atque antea constitutum ab eaque independens, siquidem est ejus basis; *inductio* vero, quæ ex consequentiis ad principium, ab effectibus ad causam ascendit, anteriorem includit factorum, quibus innitur, cognitionem. Porro quis principium præbet in priori casu, quis factorum tribuit cognitionem in posteriori? Seu unde proveniunt *majores* omnium ratiocinationum? Nonne in his *majoribus* præcontinentur certitudo et veritas conclusionum, quæ ut legitimæ sint, contineri debent in præmissis nec eas excedere? Jamdiu igitur habebatur veritatis certitudo ante ratiocinationem; seu, quod idem est, scientia, quam in præsentem habet homo, fundatur in fide in primum principium, in *majorem* absolutam, atque ut

*nam antiquæ metaphysicæ, partim vero quoad utrumque, omnino extinctum esse.* Adeo ne igitur veritates metaphysicæ et morales etiam *quoad substantiam* viluerunt, ut veluti *obsoletæ* haberi possint? Hegel vero ejusque sec-

tatores in *Logica* toti versantur, ac totam metaphysicam ac ontologiam in ea collocare videntur, quasi nempe per mere *dialecticum* processum *a priori* omnia entia ipsa objectivo-realia sint constituenda.

recte dictum est, *fides est principium rationis*. 5<sup>o</sup> Sane, ratio admittit necessario principia et axiomata absque illorum demonstratione; sunt igitur axiomata ac principia totidem *postulata*, quæ præexigit ratio, ut possit exerceri; fides proinde in principia anterior est cognitione, ratione ejusque exercitio; est præambulum necessarium, prout S. Augustinus ipse adnotavit, scribens: *Naturæ quidem ordo se habet, ut, cum aliquid discimus, rationem præcedat auctoritas.... Auctoritas fidem flagitat, et rationi præparat hominem* (1). 6<sup>o</sup> Quare, quod consequens est, demonstrationes omnes existentiae Dei totidem sunt paralogismi, quia Deus, *ens entium*, est principium absolutum totius existentiae, et affirmatio *esse*, major est absoluta cujusvis rationis, ac proinde necessario præsupposita in omnibus propositionibus ad eam adstruendam adscitis. 7<sup>o</sup> Demum ejusmodi demonstratio est *logice* impossibilis; etenim, si fiat per *deductionem*, unde sumet principium suum, quænam erit altior idea, ex qua inferri possit existentia Dei? Si vero fiat per *inductionem*, quomodo concluderet ex finito ad infinitum? Nonne conclusio magis pateret quam præmissæ (2)? Ergo.

47. Ad 1<sup>m</sup>, *Dist. cons.* Propagata est Dei notitia una cum lingua per traditionem, *trans.* vel *conc.*; ita propagata est, ut homo per solam rationem eam sibi comparare non potuerit aut possit, *neg.* Duo hic permiscetur, quæ distingui apprime ab invicem debent, ordo scilicet *chronologicus* sive etiam *historicus* ac ordo *logicus*. Aliud est primum hominem ad supernaturalem statum evectum Dei notitiam ex ipsa Dei manifestatione, atque etiam, si lubet, excitationem ac veluti rudimenta quædam ad determinatum loquelæ usum a Deo habuisse, ac inde propterea una cum lingua Dei notitiam ad posteros pervenisse; aliud vero, quod ratio *per se* sola potis non fuerit aut sit ad certam Dei notitiam assurgere. Primum est historicum factum et quidem veris-

(1) *De morib. Eccl.* cap. 2, et *De vera religione*, cap. 24.

(2) Ita Bautain, in opusc. cit. *Quelques réflexions sur la doctrine du sens*

*commun*, pag. 13 et seqq. ubi systema suum paucis sed dilucide exponit. Eadem fusius inveniuntur passim in *Philosophie du Christianisme*.

simum; alterum est logica affirmatio, quæ falsa omnino convincitur: 1° intrinsecis rationibus, quippe et necessitas causæ necessariæ et contemplatio hujus universi et natura rationalis ac moralis hominis ipsius totidem invicta suppeditant argumenta existentiae Dei; 2° rationibus extrinsecis; nam, ut vidimus, ea assertio Scripturæ, Patribus, theologis omnibus, quibus præclare consonat Catechismus Romanus (1), nec non christianæ revelationi adversa fronte refragatur. Nec vero duo illi ordines, historicus et logicus, traditio nimirum et ratio, inter se pugnant; sed veluti duæ lineæ parallelæ ab ipso humani generis exordio progressæ, optime cohærent mutuoque se juvant. Nam ex una parte traditio facilem ac veluti familiarem Dei notitiam diffundebat; ex altera ratio id, quod ex traditione acceperat, nativo lumine suo verum ostendebat magisque firmabat; atque ubi aut traditio deficeret, aut obscurata esset ac corrupta, potuit ipsa ratio hominem ad certam germanamque supremi Conditoris sui notitiam revocare, sic ut, teste Apostolo, *inexcusabiles* facti sint, qui ejus lumen in se extinxerint aut obscurarint (2).

(1) Hæc enim habet *Catechismus Rom. Præf. sect. 1, n. 1*: *Ea est humanæ mentis et intelligentiæ ratio, ut cum alia multa, quæ ad divinæ rerum cognitionem pertinent, ipsa per se, magno adhibito labore et diligentia, investigaverit ac cognoverit. Et part. 1, De symb. fid. cap. 2, n. 6*: *Hæc quidem (hujus seculi sapientia) naturalis tantum luminis ductu, ab effectibus et ab iis, quæ sensibus percipiuntur, paulatim progressa, non nisi post longos labores, vix tandem invisibilia Dei contemplantur, primamque omnium rerum causam et auctorem agnoscit atque intelligit.* Alia ejusmodi testimonia inferius dabimus.

(2) Ceterum fundamentum præcipuum, quo totum adversariorum sys-

tema nititur, nempe *impossibilitas physica et metaphysica*, quod homo loquelam per se instituere potuerit (unde ex facto, quod homines loquantur, argumentantur ad primitivam extrinsecam Dei revelationem) haud paucis difficultatibus obnoxium est. Ac 1° ut hæc ipsa impossibilitas certo constet, nonne opus est ratiocinio eoque firmissimo illam probare, ad hoc ut certa sit hæc præmissa, ex qua tota conclusio pendet? Ergo oportet jam supponere in homine per se *valida* ac *certa* cognoscendi media, quod adversarii non concedunt. 2° Impossibilitas illa quoad institutionem loquæ articulatæ est quæstio philosophica, quæ jamdiu ab egregiis philosophis hinc inde magna contentione agitur; et quamvis præ-



48. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Ex defectu exercitii atque evolutionis propriæ facultatis rationalis, *trans.*; ex defectu insito facultati ipsi, *neg.* Cum loquimur de facultate, qua pollet humana ratio, Deum cognoscendi ejusque existentiam demonstrandi, eam significamus satis exercitam atque evolutam, quod fit ope societatis atque adminiculorum, quæ in societate reperiuntur, quæque certe sibi comparare haud potest, qui extra ceterorum hominum consortium nutritur et adolescit. Qui in silvis natus esset, illius exercitii et evolutionis defectu non modo Dei notitiam, ut liberaliter etiam adversariis demus, sed neque ceterarum rerum ad vitæ cultum spectantium cognitionem et usum acquireret, quas nemo tamen dicet per solam rationem obtineri non posse. Nimis ergo probat hoc exemplum, ac nihil propterea probat.

49. Ad 3<sup>m</sup>, *Dist.* Præsupponit demonstratio ex parte illius, qui eam conficit, veritatem rei demonstrandæ *hypotheticæ, conc.; absolute, neg.* Hic enim effectus est demonstrationis. Sic etiam: ex parte illius, in cujus gratiam fit demonstratio, veritas tenetur ut *demonstranda, conc.*; ut *demonstrata, neg.* Antequam enim alicujus veritatis demonstratio fiat, potest ejus qualiscumque haberi cognitio, de qua aliquis dubius ac incertus existat; at postquam vim demonstrationis percepit, eam quodammodo ratione sua intuetur, convincitur, et omnimodam certitudinem assequitur, quam antea non habebat, aut saltem non habebat

sertim cl. De Maistre ac de Bonald nec non recentius Rosmini, *Opusc. filos.* cit. tom. 1, pag. 57 et seqq. et Dmowski, *Instit. philos.* tom. 1, *Psychol.* pag. 372 et seqq. aliique validis sane argumentis eam evincere studuerint, non pauci tamen inter recentiores, religiosi etiam philosophi, uti Galluppius, Bonellius, etc. refragantur, ac præsertim Cl. Forichon, in op. *Le matérialisme et la phrénologie combattus dans leurs fondements*, Paris 1840, pag. 216 et seqq. Bonaldi et de Lamennais argumenta infirmare conatur. Num

igitur in quæstione admodum implexa fundamentum realitatis ac certitudinis humanarum cognitionum collocari poterit? 3<sup>o</sup> Licet admittamus, argumentum ex origine loquelæ depromptum utiliter posse veluti in subsidium advocari ad hominis veram originem philosophice evincendam, non adeo tamen ineluctabile videri posset, ac adversarii existimant. Sed hoc etiam concesso, num non erit vera philosophica ac rationalis demonstratio de supremi Numinis existentia, id quod adversariorum principia satis per se convelleret?

nisi ab *extrinseco* cognoscendi fonte, scilicet auctoritate vel traditione, non vero ab *intrinseco* veri criterio, quod intimas rei rationes patefacit. Nihil porro refert, quod aliquis *optet* aut *credat* veritatem, quam sibi vult demonstrari; alioquin fieri non posset aut optari demonstratio alicujus theorematis, quod aliquis aliunde scit esse verum, sed cujus demonstrationem ignorat (1).

50. Ad 4<sup>m</sup>, Transmissa illa argumenti parte, quæ afficit *deductionem*, cum post S. Thomam theologi ac philosophi plerique inficientur, posse efficaciter *a priori* ostendi Dei existentiam, aliis tamen refragantibus (2); negamus quoad alteram partem, quæ *inductionem* attingit, qua nempe ex effectibus argumentamur ad causam. In hac porro argumentatione debet utique assumi ut certa anterior cognitio factorum contingentium, quæ ostenduntur esse totidem effectus, ut procedi inde possit ad ostendendam certam existentiam causæ necessariæ. Ast hæc cognitio haberi potest ac debet independenter a cognitione existentiae Dei, constituitque *majorem* illam, quam exigunt adversarii (3). Quod si quis realem corporum existentiam in dubium idealistice revocare vellet, eaque ut mera phænomena spectare, num ipsa phænomena, quæ certe si apprehenduntur nihil non sunt, ac ipsa saltem proprii *Ego* existentia, quæ a nemine oppugnari potest, quæque in se necessariam rationem essendi habere nequit, satis haud essent ad necessitatem causæ absolutæ et necessariæ demonstrandam (4)? Concludamus falsum esse, certitu-

(1) Atque hic animadvertendum est, hanc ipsam difficultatem sibi jamdiu proposuisse S. Thomam, *Contra gent.* lib. 1, cap. 12, arg. 2.

(2) Re-colantur, quæ scripsimus in tract. *De Deo* part. 1, cap. 1, propos. 1, n. 21, cum nota apposita, t. 12, p. II.

(3) Hanc pariter difficultatem sibi objicit S. Th. loc. cit.

(4) Hoc ipsum argumentum evolvit egregie Edmundus Cantuariensis, in *Speculo Ecclesiæ*, cap. 27: *Quilibet homo, ait, bene potest videre in se,*

*quod ipse est, quod habet esse, et quod non semper fuit; et ex hoc bene scit, quod initium aliquando habuit. Tunc sequitur, quod aliud tempus erat, in quo ipse non fuit. Sed quando non fuit, tunc nullo modo se ipsum facere potuit. Ideo oportet necessario quod una res sit, quæ dat omnibus esse, hoc est, a qua omnia sunt, etc.* Ceterum Patres maxime delectati sunt iis argumentis ad evincendam Dei existentiam, quæ ex ipsa animi humani natura ac dotibus depromuntur. Ita Basi-



dinem veritatis demonstrandæ ante demonstrationem nos habere: nam tunc psychologicè ac logice nonnisi certitudinem alicujus facti, ac principiorum universalium rationis habemus, quibus ut medio rite utimur ad demonstrationem. Hæc autem facta et principia non fundantur *in fide*; quandoquidem ea non ex aliorum auctoritate, non ex criterio extrinseco cognoscendi, sed et sensu intimo, et externa sensibilitate, ac firmissimis rationis judiciis intrinsece percipimus (1).

51. Ad 5<sup>m</sup>, *Dist.* Axiomata non demonstrantur, quia in ipsa enunciatione eam immediatam evidentiam præ se ferunt, qua patet, ea falsa esse non posse, *conc.*; quia ob aliquam auctoritatem credantur, *neg.* Certe axiomata ab omnibus, qui velint ratiocinari, admitti debent; sed ideo admittuntur, quia fieri nequit, ut ineluctabilis veritatis vis declinetur, cum ea immediate menti elucescit. Ea igitur præexigit ratio, at non supponit tanquam gratuita postulata; nec fidem illis adhibet, quasi ex cæco quodam ac subjectivo instinctu, multoque minus ex positiva quavis auctoritate; sed, uti animadvertimus (2), ea immediata evidentia intuetur, intrinsecam et ultimam rationem illorum pervidet, eaque se aliter habere non posse certissime cognoscit (3). Perperam autem auctoritas urgetur S. Augustini. Etenim S. Doctor in primo ex allegatis textibus loquitur de præeminentia auctoritatis supra rationem in ea quæstione, quam adversus Manichæos circa mores versabat Ecclesiæ (4). In altero

lius, in homilia ad illud: *Attende tibi ipsi*, tom. 2, pag. 16. Ita Athanasius, *Orat. contra Gent.* tom. 1, n. 30. Ita Nyssenus, *Orat.* vi, *de beat. Præclare* Auct. libri *De inter. domo*, Bernardo adscripti: *Præcipuum et principem speculum ad videndum Deum est animus rationalis inveniens se ipsum. Si enim invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur, ubi quæso quam in ejus imagine cognitionis ejus vestigia expressius impressa reperiuntur?*

T. IX.

(1) Cfr. *Prænotanda*, quæ paulo ante præmisimus.

(2) In cit. *Prænotandis*.

(3) Cfr. S. Th. 2. 2, q. 1, art. 5, ubi scribit: *Omnis scientia habetur per aliqua principia per se nota, et per consequens visa, et ideo oportet, quæcumque sunt scita, aliquo modo esse visa.* Eadem habet in 3, dist. q. 2, art. 2, q. 3. O. et alibi passim, præsertim *Contra gent.* lib. 3, cap. 154, *De verit.* q. 11, art. 1.

(4) Totus siquidem in eo est Augu-

24



vero contrarium aperte docet ei, quod adversarii contendunt; immediate enim post allata verba subdit: *Ratio ad intellectum cognitionemque perducit. Quanquam neque auctoritatem ratio penitus deserit, cum consideratur, cui sit credendum; et certe summa est ipsius jam cognitæ atque perspicuæ veritatis auctoritas.* Suas igitur partes Augustinus rationi, suas tribuit auctoritati, ac inter eas, ut ratio discernat, cui auctoritati credendum sit; adeoque per ipsum præcedit auctoritatem ratio, non autem sequitur. Dum igitur dicit: *Auctoritas fidem flagitat, et rationi præparat hominem,* non aliud significat, quam fidem præparare hominem ad ea cognoscenda, seu potius intuenda, quæ nunc per fidem et auctoritatem credit, scilicet in cælo; et si agatur de cognitione aliqua imperfecta, etiam in terris (1).

52. Ad 6<sup>m</sup>, *Dist.* Ex principiis adversariorum, *conc.*; ex doctrina Scripturarum, sc. Patrum, theologorum eorumque agendi ratione, *neg.* Deum esse ens entium, principium absolutum, veritatum omnium primam, imo et fontem in ordine ontologico et essendi, nemo inficias iverit, neque de hoc agitur; sed agitur de ordine psychologico et logico seu cognoscendi quoad nos. Quæritur enim, *utrum et quomodo* hominum ratio possit certo cognoscere ac sibi demonstrare entis entium, principii absoluti ac necessarij existentiam. Atqui nos contendimus ex probatis, hoc fieri a ratione posse, idque per logicam necessariam illationem, licet perfacilem et cuique ratione utenti perviam, quæ aliquo facto psychologico innixa sit. Ergo oportet, quod facti istius

tinus hoc in libro, ut evincat discrimen inter veram faciatamque virtutem, qualem profitebantur Manichæi. Incipit vero ab ostendendo, quænam sint veræ virtutes, tum ex ratione, tum ex auctoritate librorum Novi Test. quos solos admittebant illi hæretici, quamvis hac in re dicat S. Doctor satius fuisse incipere ab auctoritate; ut tamen eis morem gerat, exorditur a ratione. Cfr. ejusdem libri caput 1, in quo suum

aperit consilium Augustinus.

(1) Quod patet ex totius orationis serie, et scopo, quem sibi hic proposuit S. Pater. Sane ipse in *Epist. cxx, ad Consent. n. 3*, ita scribit: *Si rationabile est, ut ad magna quædam, quæ capi nondum possunt, fides præcedat rationem, procul dubio quantumlacumque ratio, quæ hoc persuadet, etiam ipsa antecedit fidem.*

licet *minimi* cognitio, ut ex. gr. propria sui existentia, *certa* in ordine *logico* et *psychologico per se* sit, etiamsi nondum *certitudo* de Dei existentia supponatur. Nulla igitur repugnantia, si ordinem *essendi* ab ordine *cognoscendi* apprime distinguas (1).

53. Ad 7<sup>m</sup>, *Neg.* Fit autem demonstratio inductione ab effectibus ad causam, quæ nondum *immediate* deprehenditur infinita, sed *mediate*, spectata nimirum primæ causæ necessariæ natura, quæ nequit ullo esse limite circumscripta. Atque ita occurritur objecto incommodo, quod nempe contra logicas regulas magis conclusio pateat quam præmissæ (2).

54. Obj. secunda. Quousque humana ratio ope reflexionis suæ, sensilibus perceptionibus, ac logicis abstractisque notionibus tantum innixa, certam sive Dei sive aliarum veritatum cognitionem sibi voluerit comparare, 1<sup>o</sup> semper in *formalismi* ac *intellectus abstracti* laqueis hærebit, nec ad realitatem ac veritatem perveniet. 2<sup>o</sup> Nunquam poterit ipsa *vitalem* Dei cognitionem assequi, sine qua nec poterit sese in *vitali* ac intima relatione cum prima et maxima veritate collocare. 3<sup>o</sup> In hoc porro philosophia *pagana* essentialiter differt a *christiana* philosophia; nam illius tantum proprium fuit veritates omnes e suo veluti fundo promere velle, atque ita mundum in ordine morali ac religioso perdidit. 4<sup>o</sup> Christiana vero philosophia pro inconcussa basi conscientiam, luce veritatis revelatæ edoctam, et jam in *vitali* relatione cum

(1) Vid. *Prænotanda*. Hinc nobis probari non potest, quod in cl. prof. Klee, nuper vita functi, *Dogmatica*, Mogunt. 1835, tom. 1, pag. 9 et seq. legitur: *Sine fide in rationem primam, a qua nostram existentiam ac rationem habemus, possibilis non est ulla rationalis fides in rationem nostram ipsam, quoad suum sive theoreticum sive practicum munus, ac proinde, ne quidem ulla fides exteriori mundo. Ex quibus verbis sequi videretur, nos ne de existentia quidem*

*nostra* certos esse posse, nisi prius Deum certo existere crederemus. Hinc omnis de Dei existentia probatio concideret. Cæterum, quod contendimus, independens est a quæstione, utrum Dei *idea* sit *mediata* vel *immediata*, *congenita* vel *acquisita*; quidquid enim de hoc sit, quod non definimus, semper dari debet efficax modus Dei existentiam probandi.

(2) Hoc jam sibi objecerat ac solverat S. Thomas 1, p. q. 2, art. 2.

æterna veritate positam, assumpsit; quo factum est, ut ratio ac revelatio sese mutuo compenetrarint. 5° Amicum hoc fœdus ad Cartesium usque perseveravit, a quo tandem per summum nefas dissolutum est. 6° Inde rationis *autonomia*; inde ratio ac Religio ab invicem separatae ac hostiles effectæ. 7° Undenam enim pulularunt tum *sensismus* ac *materialismus*, qui *empirismo sensibili* innituntur, tum *idealismus* ac *pantheismus spiritualisticus*, qui in *empirismo psychologico* fundantur; tum *kantismus*, *hegelismus*, *rationalismus*, et alia id genus monstra, nisi ex principio, quod debeat humana ratio *per se*, ac ex proprio ipsius penu, independenter a positiva revelatione, veritatem invenire? Qualem profecto Deum sibi hoc modo poterit effingere ratio, nisi 8° entitatem pure logicam (1); 9° subjectam ipsi creaturæ, quod maxime Creatorem dedecet (2); 10° idolum demum, coram quo posthac homo tanquam operi suo prosternitur ac thus adolet (3)? 11° Abjiciamus ergo rationales omnes ejusmodi demonstrationes, quarum inanitatem *antinomiæ* kantianæ evidenter ostendunt (4), 12° ac præterea factum ipsum probat; nam, si illæ logicam necessitatem inducerent, quoniam dari possent, qui de hisce veritatibus dubitarent? Atqui tamen plerique sunt (5). Ergo.

(1) Ita Bautain, *Philosophie du christianisme*, tom. 1, pag. 192.

(2) Ita Klee, op. cit. vol. II, pag. 4: *In sententia, quod Deus possit ac debeat demonstrari, jam hoc ipso negatur. — Quatenus enim ille non agnoscitur tanquam primum postulatam, inconditionatum et continens conditionem omnium, et quatenus debet sine voluntate sua et contra ipsam deduci ad cognitionem nostram et aliorum, eatenus Deus exponitur et subjicitur creaturæ.*

(3) Ita Bautain, op. cit. tom. 1, pag. 195, cui consonat apprimè Klee: *Deus demonstrandus et tantum vi de-*

*monstrationis agnoscendus, de suo gradu dejectus sub axioma finito finiti proprii Ego, existens per finitam operationem in demonstratione ac determinatione, non est Deus, sed vanum, confictum idolum, coram quo nulla rationalis creatura adorando procidere potest. Dogm. loc. cit.*

(4) Ita Bautain, op. cit. pag. 172.

(5) Quas hæcenus attulimus difficultates, communes omnes sunt Bautainio cæterisque fautoribus systematis, quod refellimus, tum in Galliis tum in Germania, ut patet ex eorum operibus typis vulgatis.



55. *Resp. Ad 1<sup>m</sup>, Dist.* Si ratio reflexione et abstractione abutatur, *conc.*; si omnia cognoscendi media rite adhibeat, *neg.* Abusum intellectus ac mere logicarum abstractionum veritati ac realitati assequendæ in primis infensum esse, in eoque maximum neotericæ philosophiæ germanicæ vitium consistere, libenter cum adversariis agnoscimus et dolemus (1). Idcirco amicum foedus inter ordinem empiricum et rationalem, inter facta concreta experientiæ et abstracta rationis principia nunquam satis inculcandum est. Quod quidem si rite servetur, nullus erit mero *formalismo* locus. Ast adversarii ex eo, quod transcendentales *intellectu* pessime abusi sunt, illum veluti veritatis hostem traducunt, et perpetuum conflictum inter illum ac *rationem* expavescent. Quasi nempe intellectus et ratio realiter distinctæ facultates, et non potius una eademque essent cognoscendi facultas, licet diversum munus obeuntes; quasi intelligendi vis ad verum comparata suapte natura non esset; ac ea facultas, qua homo a brutis essentialiter secernitur, Deoque maxime assimilatur, falsitatis ac perditionis instrumentum *per se* esse deberet (2).

(1) De hoc abstractionum abusu in neo-germanica philosophia plura jam diximus. Nonnulli ex ipsis philosophis Germanicis id repetunt etiam ex vernaculæ linguæ in philosophando abusu. Ita Ancillonius: *En mettent l'article devant un infinitif, ils changent* (les métaphysiciens allemands) *ce qu'il y a de plus indéterminé dans un être déterminé, et l'on ne croirait pas, au premier coup d'œil, quelle influence décisive cette facilité, quelquefois utile, si souvent funeste, a eue sur la philosophie. Essai de Philosophie, tom. 1, pag. 327 et seqq.* Vide etiam quæ Krug habet, in suo scripto *Schelling und Hegel*, Lips. 1835. Quid? quod ipse Schelling aperte fassus est: *Speculationes ac lingua Germanorum semper*

*magis recesserunt ab eo, quod generatim est intelligibile, ac gradus istius recessionis a communi cogitandi et loquendi modo tandem quodammodo effectus est veluti philosophici ingenii mensura. Præfat. ad Cousin, etc.* Stuttgart 1834.

(2) Nos non abnuimus, in *operandi modo* aliquid concipi discrimen debere intellectum inter ac rationem. Intellectus, ait D. Th. 1 p. q. 79, art. 8, *veritatem intelligibilem apprehendit* ac intuetur, ratio vero *de uno intellecto ad aliud ad veritatem cognoscendam procedit.* Sed illud semper certissimum est, quod una eademque sunt potentia intellectus et ratio; id cujus philosophi neoterici videntur obliti. Eodem ipsi pacto rationem *theoreticam* ac *practi-*

56. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Si per *vitam* cognitionem Dei intelligas *specialem* ac vere *salvificam* cognitionem, *conc.*; si generalem, imperfectiorem ac naturalem, *neg.* Semper in eo sunt adversarii, ut confundant duplicem hanc theologiam, alteram nempe supernaturalem ac vere salutarem, alteram mere naturalem ac veluti pædagogicam; quam sane distinctionem a Scripturis, a Patribus, a theologis omnibus catholicis, atque a Catechismo Rom. aperte et constanter traditam probavimus. Hoc autem quid aliud est nisi naturam et gratiam undequaque permiscere? Hinc, ut ostendant, rationem per se nec Deum certo cognoscere nec ad eum se extollere posse, ad Ecclesiæ decreta adversus Semi-pelagianos edita, præsertim a Conc. Arausicano II, cap. V, VI et VII recurrunt. Atqui hæc decreta omnia quo alio spectant, nisi ad eam cognitionem Dei, qua *credimus, speramus ac diligimus, sicut oportet*, nempe ut *justificationis gratiam consequamur* (1)? Hæc igitur ad ordinem supernaturalem pertinent, neque cum cognitione mere naturali Dei, de qua agimus, quidquam habent commune; quæ certe hoc sensu *vitalis* non est, nec nos in *vitali* cum Deo relatione ponit, quippe hæc beneficia nonnisi a Christi reparatione, atque in eos qui ejusdem participes sunt, dimanant.

57. Ad 3<sup>m</sup>, *Neg.* in primis *intrinsicum* illud discrimen inter philosophiam *paganam* et *christianam*; una quippe, si rei na-

cam ita dividere ac scindere solent, perinde ac si *duæ* revera *rationes* in homine existerent. Quid igitur dicendum, cum audias ab istiusmodi philosophis decerni, *philosophiam debere omnino in contradictione cum intellectu sitam esse?* Cfr. Baltzer, op. cit. fasc. 1, pag. 61.

(1) Satis erit oculos conjicere in obiecta capitula, ut pateat, hæc nihil commune habere cum quæstione, quam hic agitamus; etenim, ut constat ex ipsis Concilii verbis, illic agitur de *ini-*

*tio fidei, ipsoque credulitatis affectu*, quo in eum credimus, qui justificat impium; de misericordia, qua *credamus, velimus*, ceteraque præstemus, *sicut oportet*, per infusionem et inspirationem Spiritus Sancti; de gratia, qua cogitemus, *ut expedit* ad salutem; quæ omnia ad ordinem supernaturalem spectant. Confer etiam Tridentini, quæ huc pertinent, loca, sess. v et vi. Nos autem agimus, ut patet, de cognitione mere naturali naturalium veritatum.



turam spectes, semper debuit esse philosophia, sive ab ethnicis sive a Christianis exulta, scientia nempe veritatis in ordine naturali, recto rationalium facultatum usu comparata. Magna tamen fatemur huic ipsi scientiæ ex christiana revelatione commoda accessisse, de quo inferius. Interea falsum est, *pagani* mundi perditionem philosophiæ esse adscribendam, sed humanis tantum cupiditatibus, præjudiciis, opinionibus, ac, si adversarii volunt, philosophiæ etiam ipsius abusibus. Vera autem, licet ethnicorum, philosophia, in tanta illa humanarum mentium cæcitate et corruptela, plures veritates, ad theologiam naturalem legesque morum spectantes, nativo rationis lumine agnoscere potuit, id quod Apostoli etiam eloquia testantur. Quod si philosophi illi veritatem cognitam *in injustitia detinuerunt*, id humanæ perversitatis ac malitiæ, non philosophiæ vitium fuit. Hinc Clemens Alex. scribere non dubitavit: *Atque erat quidem ante Domini adventum philosophia Græcis necessaria ad justitiam; nunc autem est utilis ad pietatem, cui necessario præmittenda est ab iis, qui fidem ex demonstratione percipiunt* (1). *Magna et præclara hæc sunt*, ait Catechismus Rom., *quæ de Dei natura... ex rerum effectarum investigatione philosophi cognoverunt* (2).

(1) Ἦν μὲν οὖν πρὸ τῆς τοῦ Κυρίου παρουσίας εἰς δικαιοσύνην Ἑλλήσιν ἀναγκαῖα φιλοσοφία· ἡνὲ δὲ χρησίμη πρὸς θεοσέβειαν γίνεται, προκαίδηται τις οὐσα τοῖς τὴν πίστιν δι' ἀποδείξεως καρποῦμένοις. Lib. 1, Strom. § 5, edit. Potterii, Venet. tom. 1, pag. 331. Quamvis hæc recto sensu intelligenda esse, observavimus in tract. *De gratia* p. 1.

(2) *De primo artic. symb.* n. 6. Sed cfr. totus hic locus Catechismi Rom. quo nil luculentius. Quantopere philosophi illi in veritate pervidenda progressi essent, ostendit August. Steuchus Eugubinus, in op. de *Perenni philosophia*. Sed longe exactius ad critices leges rem totam expendit cl. Ger-

dilius, in op. *Introduzione allo studio della religione*, tom. ix opp. Excessus igitur hac in re omnino sunt vitandi. Nec enim ita philosophia sive rationalis sive moralis ethnicorum illorum collaudanda est, ac si ea perfecta esset et absoluta, longe quippe ab hoc illa abest; nec ea deprimenda, ac si philosophi illi nil nisi errores protulerint. Ilanc mediam viam a Patribus constanter servatam esse, egregie probat P. Balthus, in op. *Jugement des SS. Pères sur la morale de la philosophie payenne*. Hinc nobis probari non possunt sive veteres sive recentiores, qui philosophos illos omnes veluti *atheos* aut *pantheistas* traducunt, id quod So-



Et post hæc aliaque ejusmodi, quæ afferri possent testimonia, philosophiam, quamvis paganam, damnare quisquam audebit?

58. Ad 4<sup>m</sup>, *Neg.* Tametsi enim per aliquot secula apud Christianos philosophia ac revelatio simul conjunctæ fuerint, nunquam tamen sua rationi jura denegata fuerunt, nec illa philosophiæ ac revelationis compenetratio contigit, quam prædicant adversarii. Num enim quisquam ex revelationis fonte processit ad veritates immediata evidentiâ fulgentes admittendas, uti existentiam sui, axiomata, etc.? Veritates ipsæ metaphysicæ ac morales, licet revelationis etiam præsidio firmari identidem soleant, tamen argumentis e sola ratione petitis præcipue evincebantur; cujus rei testimonio est luculento ipse S. Thomas, in cujus operibus perfecta de rebus philosophicis rationalibus tractatio, a revelatione plane independens, invenitur (1). Semper igitur hæc inter philosophiam ac revelationem cognita fuit distinctio, semper rationi vis objecta naturæ suæ proportionata cognoscendi ac demonstrandi tributa (2).

59. Ad 5<sup>m</sup>, *Neg.* Nam partim falsa, partim exaggerata sunt, quæ passim nunc temporis in Cartesium congeri solent (3). Quid-

cinus jam præstitit. Cfr. loc. cit. cap. 4. Optabile porro fuisset, ut cl. ab. Maret, in egregio suo opere: *Essai sur le Panthéisme dans les sociétés modernes, Paris 1840*, hunc scopulum cautius declinasset.

(1) Hinc Prof. Cousin ipse Summam D. Thomæ appellat, *Un des plus grands monumens de l'esprit humain au moyen-âge, et qui comprend avec une haute métaphysique un système entier de morale et même de politique. Hist. de la Philosophie*, tom. 1, pag. 312.

(2) Ita jam S. Thomas, 1 p. q. 1, art. 1, O. res accurate distinxerat: *Necessarium fuit ad humanam salutem esse doctrinam quamdam secundum revelationem divinam præter phi-*

*losophicas disciplinas, quæ ratione humana investigantur.* Ita quidem in edit. Rom. 1570, tom. x. Nam in reliquis editionibus, quas contuli, legitur *præter physicas*; si vera hæc lectio esset, non in alio sensu hanc S. Doctor vocem usurpavit quam in generali *philosophiæ naturalis*, ut patet ex contextu.

(3) Certe in Cartesio aut doctrinam aut methodum spectas. Si doctrinam, ea omnino religiosa, ac ut modo loquantur, plane *spiritualistica* est, eamque philosophi religiosissimi cum christianæ fidei emolumento sectati sunt. Quod si impius Spinosæ pantheismus e castris Cartesianæ philosophiæ prodiisse dicatur, satis est legere, quæ jamdiu Gerdillius scripsit in sua dissert.

quid tamen sit, theologi non est hujus vel illius philosophi vindicias suscipere. Quod si Cartesii nomine impetitur realis ipsa ac essentialis distinctio inter scientiam philosophicam mere naturalem et scientiam theologicam revelatam, negamus omnino, eam a Cartesio primo inventam fuisse, cum semper in christiana traditione agnita fuerit (1). Haud abnuimus, ex analytica Cartesii

*Incompossibilit  des principes de Descartes et de Spinoza*, opp. tom. IV, ac recentius Galloppi, *Lettere filosofiche*, Napoli 1838, ut contrariam principiorum naturam, quibus illi philosophati sunt, apprime elucescat. Si vero de Cartesii methodo loquaris, ac de generali sua *dubitatione*, certe prima veluti fronte reprehendenda illa videtur. Sed si mentem Cartesii perspexeris, dubitatio ejusmodi non nisi *factitia* ac *hypothetica* esse patet, qua nempe ille usus est, ut animum in rebus philosophicis a praejudicatis opinionibus expurgaret, ut veritatem severiori illo examine magis liquidam exhiberet, utque aliquo inconcusso fundamento humanae cognitionis praerecto scepticos confundere posset, haud aliter quam adversus academicos philosophice processerat Augustinus. Hinc in secunda ipsa meditatione jam dubium omne a se rejecerat, ac positive omnino postea progreditur. Quid? quod Cartesius ipse in lib. de *Methodo*, § 3, has sibi leges praeripserat? *Ut legibus et institutis patriae obtemperarem, firmiterque illam religionem retinerem, quam optimam judicabam, et in qua Dei beneficio fueram ab ineunte aetate institutus.* — *Postquam vero me his regulis instruxissem, illasque simul in rebus fidei, quae semper apud me potissimae fuerant, reservas-*

*sem, quantum ad reliqua, quibus olim fueram imbutus, non dubitari, quin mihi liceret omnia ex animo meo delere.* Quae igitur nimis certe singularia, in prima praerertim ejus meditatione, occurrunt, sunt juxta hanc normam intelligenda. Caeterum *hypothetica* haec dubitatio, quae inservit ad analysim cognitionum instituendam, innocue a plerisque adhibita fuit, ac ipsi scholastici, D. Thoma praerunte, illa passim usi sunt. Ast non negamus, eam ex humani ingenii licentia, et nova systemata cudendi omniaque veteris sapientiae fundamenta convellendi libidine, apud neotericos quandoque perniciosam effectam esse.

(1) Augustin. praerertim in lib. *De magistro*, nec non S. Thom. loc. modo cit. atque alibi. Bautain ipse agnoscit, hanc distinctionem invaluisse in scholis christianis longe ante Cartesium. Sic enim scribit, *Philosophie du Christ.* tom. 1, pag. 267: *La dialectique s'etait gliss e... dans les  coles chretiennes du moyen- ge, et elle avait r uss    faire croire presque g n ralement que l'homme pouvait, par la seule force de son esprit, s' lever   la connaissance des v rit s fondamentales de la m taphysique, telles que l'existence de Dieu, l'immortalit  de l' me, etc.*

methodo, qua psychologica facta ad crisis regulas exactius revocata sunt, novam in hac parte formam philosophiam induisse. Sed, præter quam quod hujus psychologicæ analyseos specimina in ipsis Patribus ac præsertim in Augustino inveniuntur, nil ea per se exhibet improbandum. Immo quo magis animi humani natura ac proprietates investigentur, quo magis intimi ejus sensus ac ingenitæ propensiones consulantur, fieri non potest, quin animus ipse ad supremum suum Conditorem agnoscendum alacrius impellatur. Hinc Cartesius in ipso pene philosophiæ suæ vestibulo ad Deum recta contendit, atque ex hac veritatum omnium fonte reliquas veritates aut deducit aut firmat. Hæc certe cujusque philosophiæ vere psychologicæ, quæ nempe ad empirismum non deflectat, sed cum principiis ontologicis rite connectatur, spontanea progressio est. Si qui ea abusi sunt, viderint ipsi.

60. Ad 6<sup>m</sup>, Negamus proinde, quod hic objicitur de rationis *autonomia*, ac de fidei cum scientia dissidio; nam hæc omnia non a Cartesio repetenda sunt, sed potius a philosophis protestantismi, Humio scilicet, qui scepticismi jecit fundamenta, Lockio, qui nimis ad empirismum declinans fundamenta etiam revelationis philosophice infirmavit (1), Kantio autem potissimum ceterisque neo-germanicæ philosophiæ parentibus, qui per abstractionis ac phantasiæ abusum rationem humanam non solum fidei hostilem, sed secum ipsam pugnantem effecerunt. At enim adversarii per *autonomiam* rationis intelligunt nativam ac legitimam ejus vim in veritatibus demonstrandis, omnemque ita vellent metaphysicam destruere, ac philosophiam eliminare, quod ferendum sane non est, et fidei tantum hostibus opportunum posset accidere.

61. Ad 7<sup>m</sup>, *Dist.* Omnia recensita philosophica monstra ex falsis philosophandi principiis falsaque methodo prodeunt, *conc.*;

(1) Præter dubium de animæ immaterialitate ac immortalitate, ea Lockius, tum in suo *Specimine humani intellectus*, tum in suo *Christianismo rationabili*,

principia de morali certitudine ac traditione ponit, quæ fundamenta Religionis christianæ omnino convellunt.



ex ipsa rationis ac philosophiæ natura, uti adversarii contendunt, *neg.* Etenim, si 1° sensibilia tantum facta ac realia objecta spectes, notiones vero universales veluti arbitrarios mentis fœtus, ac principia rationalia veluti inanem *tautologiam* rejicias, statim sensismo ac materialismo patebit aditus (1); 2° si philosophiam omnem *a priori* construere volueris, nulla *factorum* habita ratione, ac semper ratiocinari, quin in aliqua necessaria ac per se evidenti veritate insistas, in scepticismum prolabaris oportet (2); 3° si immediatam ac concretam absoluti ac infiniti intuitionem pro tuæ philosophiæ sumas exordio, viam in pantheismum facile sternes (3); 4° si hominem, tanquam *Ego purum* et *abstractivum* in tota philosophia considerari debere contendas, rationalismus vel idealismus consequetur (4). Atqui si omnia

(1) Id probat empirismus Lockii, ac multo magis Condillacii, qui tandem in Helvetio, Cabanisio, etc. ad purum materialismum decidit. Certe nil est quod magis animi simplicitatem ac spiritualitatem ostendat, quam facultas percipiendi notiones universales, cum sensus corporeus nonnisi id quod singulare est et individuum possit attingere. Hæc veritas philosophicam S. Thomæ mentem minime effugerat.

(2) Ita transcendentales idealistæ velent *a priori* rationem logicam de ipsis veritatibus *facti* seu existentiae habere, ac semper frustra quærunt illud *aliquid inconcussum*, ex quo possit philosophia exordiri.

(3) Hoc fuit initium ac postulatum philosophiæ Schellingii, Bouterweckii aliorumque transcendentalium realistarum, qui proinde scientiam Dei *absolutam* e sola natura rationis hujusque intuitu *immediate* provenientes sibi vindicarunt. Hinc Schellingius statuerat : *Deus est est principium maxime*

*omnium indemonstratum, ac maxime indemonstrabile, ac maxime sine omni ratione; ita sine ratione, quemadmodum supremum principium Criticismi: Ego sum. Philos. Schrift. seu Scripta philosophica, Landshut 1809, pag. 152.* Pantheisticæ horum auctorum ex his principiis deductiones satis notæ sunt.

(4) Distinguunt transcendentales inter *Ego purum*, positum in *puro conceptu* ac in *ente mere cogitabili*, et *Ego empiricum* seu concretum et existens. Contendunt porro in philosophia unice de *Ego puro* institui posse sermonem. Ipse Krugius, qui tamen idealismum ac criticismum refellit, et synthetismum proficitur, philosophiam nil aliud esse vellet nisi *scientiam formæ originariæ puri Ego*. Nunquam ergo homo realis, ens nimirum rationale ac sensibile, in ista philosophia attingitur. Cfr. inter ceteros Imre, *Amicum fœdus rationis cum experientia, Philos. pars 3, Metaph. applic. pag. 302-306.*

illa philosophica commenta excutiantur, ea uno alterove ex his vitiis intime invenientur affecta, ac proinde ab ipsa recte philosophante ratione damnantur omnino; minime vero eo nomine, quod revelationem divinam pro basi philosophandi non assumpserint illorum auctores. Atque hic paululum declarandum est principium illud, quod *ratio philosophica debeat in proprio fundo veritatem invenire*, quodque ut omnino *anti-christianum* adversarii traducunt. Id enim vel *absolute* vel *hypothetice* intelligi potest. Atque iis quidem, qui christianam revelationem ignorant, *absolute* profecto opus est, ut in proprio etiam rationis fundo veritates naturales quærant ac inveniant, quandoquidem ad id homini a supremo opifice Deo indita recta ratio est (1). Christiano autem philosopho non nisi *hypothetice* ea competere inquisitio potest atque detectio. Cum enim ipse probe sciat, veritates ipsas naturales sive metaphysicas sive morales a divina revelatione clarius, uberius firmissimeque patefactas esse, num poterit illas in dubium positive revocare, ut illas dein in proprio rationis fundo longo labore inveniat? Absit. Ille igitur maximum inde manans naturali ipsi rationis lumini emolumentum ac præsidium libenter profitebitur; intelliget in antecessum, quo demum rationales suæ omnes inquisitiones veluti ad fixam ac definitam metam spectare ac dirigi debeant; sciet veluti peritus nauta, quinam sibi cursus tenendus sit, ut toto portum attingat; normam demum habebit, ad quam inquisitiones illas pure philosophicas redigat, ac ita ab omni errore, si forte irrepserit, tutetur. Interea, tamen *hypothetice*, eas ipsas veritates in proprio rationis fundo quærit, ut nempe earum principia, fundamenta ac probationes ibidem detegat, ubi certe delitescant oportet, eo ipso quod illæ naturalium ac rationalium veritatum naturam non excedant. Ita psychologicè et logicè procedit; ita unamquamque

(1) Id quod de iis, qui revelationem ignorant, affirmamus, de iis quoque dici opus est, qui ex perversitate animi mentisque cæcitate fidem, et revelationem jam cognitam et susceptam, amiserunt. Quamvis enim isti magnopere

inde culpandi, num melius non erit, ut ratione sua veritates ipsas naturales de Deo, de animæ natura, de lege morali investigent, quam in omnimoda incredulitate permaneant?



veritatem suo in gradu ac lumine collocat; ita philosophiam suam independentem a revelatione construit, quanquam ignorare non possit, hanc ipsam revelationem magno illi adjumento fuisse ad rectum rationis iter semper ac tuto tenendum (1). Hæc philosophiæ ac revelationis concordia est, integris cujusque juribus, atque huic tot præclari philosophi cum magno rationis ac religionis fructu quovis tempore institerunt.

62. Ad 8<sup>m</sup>, *Dist.* Si animus rationalis, qui sentit, se existere, se cogitare, se velle, totusque hic mundus adspectabilis entitates pure *logicæ* essent, *conc.*; si sint *reales*, *neg.* Ex effectibus, qui sint entia *realia*, legitime ac necessario argumentamur ad causam non logicam, sed *realem*; siquidem nexus effectum inter et causam *realis* est; innititur namque principio necessario *a priori*, analyticum quidem, uti adnotavimus, at in reali natura rerum fundato. Quoniam vero omne ens contingens rationem existentiæ suæ in se habere non potest, necessitate metaphysica inferimus existentiam causæ necessariæ *realissimæ*, nempe Dei.

63. Ad 9<sup>m</sup>, *Dist.* Subjicitur Deus creaturæ, id est, cognitio certa Dei supponit *logice* in creatura aliquod principium cognoscendi, *conc.*; fit Deus *ontologice* pendens a creatura, *neg.* Nimis futile sophisma hoc est; quandoquidem, dum Deum demonstramus existere, hoc ipso demonstramus, omnia alia entia ab illo necessario pendere; quin imo ex hac ipsa necessitate, qua fit

(1) Ubi maxime adnotandum est, longe difficilius esse veritatem *invenire*, quam aliquo modo cognitam *demonstrare*. Ita geometræ, cum aliquas veritates *practice* ac *empirice* jam sciant, industria ac investigatione modum tandem inveniunt eas *scientificè* demonstrandi; quod forte assecuturi haud essent, nisi *practica* illa veritatis cognitio antecederet. Haud aliter contingit christiano philosopho, qui nempe veritatum naturalium in rebus metaphysicis ac moralibus firmissimam demonstrationem invenit, quam tamen vix aut ne

vix quidem in pluribus certo assequeretur, nisi a christiana revelatione de illis prius fuisset edoctus. Egregie de hoc disserit ipse Lockius, in op. *Christianismo rationabili*, cap. 14, unde concludit, maximas revelationi grates habendas. Hinc certe ingratos se produnt nostræ ætatis philosophi illi, qui hoc revelationis subsidium non agnoscunt, et multo magis culpandi sunt, si, cum tot præ ethnicis philosophis habeant præsidia, in veritatis perniciem ratione sua abutuntur.



ut creaturæ, utpote contingentes, debeant ab alio quidquid habent repetere, cognoscimus, eas habere debere ultimam existendi rationem in Deo. Quod si, ut hoc percipiamus aliquo indigemus ratiocinio, ac proinde aliquo principio *logico* utimur, non Deum subjicimus nobis, non contra ejus agimus voluntatem, sed ea adhibemus cognoscendi media, quibus nos Deus ipse ad eum facile cognoscendum liberaliter instruit.

64. Ad 10<sup>m</sup>, *Neg.* Piget, doctos ac religiosos viros serio hæc proferre. Num enim dum Scripturæ oracula, dum Patres Ecclesiæ nos provocant, ut ex contemplatione creaturarum ad certam Dei notitiam assurgamus, ad idololatriam rationis nos provocant? Num recta ratio, dum in seipsa ac in operibus naturæ supremi Auctoris sui vestigia recognoscens, eum existentem certissime discernit et colit, idolum sibi confingere dicenda est? Dicant id porro adversarii de iis tantum philosophis delirantibus, qui se creare Deum jactant, aut dum naturæ illum identificant, proprium *Ego* ad absolutam naturæ divinæ conditionem superbisime extollunt.

65. Ad 11<sup>m</sup>, *Dist.* Si Kantianæ antinomix rationis puræ essent veræ ac reales, *conc.*; si apparentes tantum, *neg.* Nimis comperitum est, antinomias illas non præ se ferre nisi dialecticas argutias ac sophismata jam pluries sub aliis vocabulis prolata, quæ quisquis in rebus philosophicis mediocriter exercitatus facile dissolvere potest (1).

66. Ad 12<sup>m</sup>, *Dist.* Si humana perversitas veritati, saltem non *immediate* evidenti, refragari utcumque non posset, *conc.*; secus, *neg.* Non omnes quidem, licet firmissimas ac plenam per-

(1) Quonam pacto ex. gr. Kantius rejicit argumentum *metaphysicum* (quod ipse vocat cosmologicum) pro existentia Dei? Quia nempe resolvitur in argumentum ipsum *a priori*, quod appellat *ontologicum*. Atqui nil magis falsum. Esto enim, quod ex mero conceptu entis perfectissimi nequeat probari realis ejus existentia. Ast dum ex effectibus

realibus contingentibus ad causam necessariam argumentamur, non amplius in mero ac *abstracto* conceptu sistimus; utimur nempe eo ratiocinio *mixto*, ex facto reali et ex principio rationis *a priori* conflato, quod proinde ad realitatem omnino ducit, et cujus mathematicæ physicis applicatæ innumera ac ineluctabilia exhibent exempla.

suasionem inducentes, probationes, quibus evincitur existentia Dei, apodicticæ evidentiae capaces esse concedimus; sed eam certe, quæ *metaphysica* dicitur, qua nempe *ex ente ab alio* necessitatem *entis a se* inferimus, apodicticam omnino esse et geometricæ posse demonstrationi æquivalere, confidenter asserimus; quippe ad principium revocatur contradictionis. Nec mirum tamen, si huic tam evidenti veritati aliqui oblectari valeant. Nonne enim sceptici prima etiam principia ac existentiam sui in dubium revocarunt? Nonne Sextus Empiricus, in libris adversus mathematicos, geometricam ipsam evidentiam oppugnavit? Nonne Hobbesius demonstrationes mathematicas esse fallaces posse contendit? Addimus præterea, hic agi, non de veritate *immediate* evidenti ac *per se nota*, quæ, statim ac termini intellecti sint, mentis extorquet assensum, sed de veritate *mediate* evidenti, quæ deductione scilicet ac ratiocinatione conficitur. Unde, etiamsi ad apodicticam demonstrationem pertingat, potest ei humana voluntas aliquo modo ex perversitate animi refragari.

## PROPOSITIO II.

*Ratio, etiam individualis, ac propterea absque consensus generis humani subsidio, potest sibi in pluribus veritatibus certitudinem comparare.*

67. Si de quæstione mere philosophica circa veritatis criterium hic ageretur, eam ultro philosophis excutiendam dimitteremus. Verum cum ejus fautores commenti fuerint, non alia nos ratione quam per consensum generis humani posse certiores fieri de veritatibus tum naturalis tum supernaturalis ordinis, cum præterea hunc eundem consensum supremam ac unicam esse credendorum et agendorum regulam proclamaverint, sic, ut ista veram constituat basim christianæ Religionis ac theologiæ, nosstrarum esse partium ducimus, falsum hoc et perniciosum systema refellere (1).

(1) Vulgatum est sectatorum hujusmodi systematis adagium: *La foi ca-*

68. Et quoniam illius propugnatores sæpe vocabula immutarunt, ac docuerunt modo ad certitudinem assequendam opus esse *consensu* vel *auctoritate generis humani*, interdum *consensu communi*, aliquando *sensu communi*, quandoque etiam *ratione universali*, eademque ambiguitate laborarunt circa notionem *rationis individualis*, quam passim commiscent cum notionem *spiritus privati*, nonnulla ad perspicuitatem præmittenda sunt (1).

69. Itaque *consensus generis humani* significat conspirationem omnium hominum cujusvis ætatis in re aliqua adstruenda aut rejicienda. Minus vero patet *consensus communis*, siquidem coarctari potest ad plurimorum aut etiam plerorumque conspirationem in eandem sententiam; *sensus* demum *communis* dicitur ea naturalis animi propensio, quam omnes invincibiliter experiuntur ad quædam evidentiæ judicia, constantia ac uniformia circa aliquas veritates sive rationales sive morales efformanda.

70. Sic *ratio individualis* est ratio, quæ unicuique homini inest, quæque si rite adhibeatur, non modo nos in errorem non ducit, sed potest plerumque omnimodam veritatis certitudinem afferre; quo fit ut rationis individualis vox in bonam partem accipi soleat. Contra vero *spiritus privati* nomine significatur illa animi dispositio, qua quis peculiarem animi sui sensum opponit aut etiam præponit auctoritati legitimæ ad quæstiones fidei dirimendas a Deo constitutæ, catholicæ nimirum Ecclesiæ; nunquam proinde nisi in deteriorem partem usurpatur.

71. Profitemur porro, nos haud agere de sensu totius naturæ communi, quem libenter admittimus velut unum ex criteriis saltem extrinsecis veritatis (2); ita etiam concedimus, certitu-

*thologique n'est que le sens commun dans les choses de Dieu. Cfr. Catéchisme du sens commun, pag. 66.*

(1) Ad rem Bautain observat: *Le sens commun, dans la doctrine du sens commun, est un Protée qui recet mille formes et qu'on ne peut saisir sous aucune. Quelques réflexions*

*sur la doctrine du sens commun, pag. 25.*

(2) Ita scepticos ipsos ad sensum naturæ communem utiliter provocamus: non quod judicia, sive rationalia sive moralia, quæ illius objectum efformant, evidentiæ *per se* ac *intrinsece* non sint, ut quisque proinde ratione sua indivi-



dinem gigni quandoque posse ex totius humani generis moraliter sumpti consensione (1). Negamus vero, ejusmodi sive *sensum* sive *consensum* requiri absolute ad obtinendam certitudinem; multo vero magis inficiamur, illum regulam supremam credendorum et agendorum constituere, aut basim christianæ Religionis ac theologiæ. Dum autem de ratione loquimur individuali, eam in communi significatione accipimus, quatenus nempe a spiritu privato proprie discriminatur.

72. Quibus ita compositis, sic ad thesim evincendam accedimus. Si humana ratio, quatenus individualis est, haud posset sibi, absque subsidio istiusmodi consensus generis humani, veritatis certitudinem ullo modo comparare, necessario de quacumque veritate incerta ac dubia fluctuare deberet. Atqui hoc esset in absurdum scepticismum dilabi. Ergo. Major luculenter ostenditur. Auctoritas ac proinde testimonium generis humani, sensus ipse naturæ communis, ac universalis etiam, si placet, ratio, sunt totidem veritates objectivæ, quæ scilicet sicut alia quævis veritas nequeunt in subjecto certitudinem gignere, nisi ab ipso apprehendantur, atque ita apprehendantur, ut eas *ita et non aliter* esse evidentiter cognoscat, ac proinde omni dubitatione seclusa iisdem rationabiliter ac firmiter adhærere debeat. Porro si humana ratio, independenter ab illo generis humani sensu vel consensu, nequiret per ullum aliud cognoscendi medium, nec per sensum intimum, nec per sensus externos, nec per immediatam conceptus evidentiam, nec per rationem, certam illam firmamque ullius veritatis cognitionem acquirere, jam

dua possit illa non pervidere, iisque refragari; sed quia hæc veluti extrinseca norma adhibita, eos, qui nativum rationis lumen ita in se extinguere potuerunt, ad illud in se denuo excitandum ac adhibendum impellamus.

(1) Certe cum agitur de nonnullis veritatibus, quæ, licet ratiocinio aliquo nitantur, tamen ex naturalibus principiis sive facti sive rationis legi-

time dimanant, si consensio humani generis moraliter sumpti in iis habeatur, huiusmodi consensio non potest veritatibus illis novum saltem *extrinsece* robur non addere. Nam tunc magis elucet, veritates illas in ipsa rationali hominis natura fundamentum habere. Sic etiam consensio illa, quoad facta historica ac traditionalia, maximæ auctoritatis vim habet.

non posset nec de illo sensu vel consensu communi, nec de illa auctoritate generali, quam dicunt, et infallibili fieri certa; ac proinde in maxima cujuscumque veritatis dubitatione fluctuare necessario deberet, seu in pleno scepticismo versari (1).

73. Tanti ponderis argumentum ejusmodi est, ut nulli det locum effugio; quare supervacaneum est pluribus hoc systema impetere. Nihil igitur dicemus de fluctuatione, in qua perpetuo adversarii versantur, dum volunt sive constabilire numerum, pondus, qualitatem eorum, qui concurrere debent in aliquo asserendo ac attestando, ut dici possit consensus generis humani, communis consensus, etc. (2); sive determinare organum, interpretem ac tribunal ejusdem humani generis, a quo quæ occurrerent tolli tuto possent ac dirimi controversiæ (3); sive assignare originem et fontem infallibilitatis auctoritatisque, quam eidem consensui tribuunt aut tribuere debent, ut cogere homines possit ad assentiendum. Nec demum cetera persequemur, quæ ex ejusmodi systemate absurda plane ac exitialia sua veluti sponte dimanant (4).

(1) Sane quot jam veritates firmiter certas præxigit generalis hujusmodi auctoritas? Nam opus est, ut quisvis homo jam certo sciat, et se existere et alios existere homines, ut eorum testimonium generale suscipiat, ut hujus testimonii sensum probe intelligat, ut demum certo teneat, homines illos in eo veraces esse, ac proinde, quidquid ab ipsis generali illa auctoritate asseritur, omnino esse infallibile. Atqui hæc omnia quibusnam veri criteriis apprehenduntur?

(2) Cfr. Baintain, opp. cit. *Psychologie expérimentale*, préface pag. 44 et seqq. nec non *Quelques réflexions*, etc. pag. 25, 26, ubi etiam allegat loca ex *Essai, Défense, Catéchisme du sens commun*.

(3) Etenim ad dirimendas controver-

sias inter alia *jurisdictio* requiritur nec non tribunal; porro ubinam existit hujusmodi tribunal, in quo nomine totius generis humani controversiæ dirimantur? In rebus vero fidei et morum ad infallibilem controversiarum decisionem requiritur præterea divina *adistentia*, quæ cum soli Christi Ecclesiæ promissa ac concessa sit, ipsa quoque sola in iis iudex est controversiarum.

(4) Inter cetera illud sequeretur, cum Ecclesia catholica non sit nisi pars generis humani, ab hoc eam mutuari debere suam infallibilitatem. Pleraque alia hujus systematis absurda fuse persequitur laudatus Baintain, locis citatis, ubi ostendit, illud esse anti-philosophicum, anti-catholicum, immorale, anti-politicum, etc.



74. Potius juverit hoc alio argumento disciplinæ nostræ magis proprio idipsum, quod proposuimus, conficere. Si ratio individualis independenter a consensu generis humani haud posset certitudinem assequi, Deus tum in veritatibus revelandis, tum in mediis quibus usus est, ut credibiles fierent, perperam egisset, quod impium est affirmare. Sane Deus veritates suas manifestavit singularibus individuis, Adæ scilicet, Noë, Abrahæ, Moysi, Prophetis, etc. Christus in universam terram Apostolos misit ad prædicandum gentibus Evangelium suum (1); Paulus pariter et Barnabas missi sunt a Spiritu Sancto ad idem ministerium (2). Ut autem sibi fidem conciliarent, data ipsis potestas est prodigia patrandi (3). Jam vero semel admissa absoluta necessitate consensus generis humani ad veram certitudinem assequendam, inprimis qui immediatam revelationem habuerunt, nec certi de illa esse, nec Deo revelanti credere potuissent aut debuissent. Cur enim suspicari ac timere non potuissent aut debuissent, se esse deceptos? Quomodo potuissent itidem aut debuissent aures fidemque præbere populi Apostolis Evangelium annunciantibus, cum universum pene humanum genus, quippe polytheismo ac idololatriæ addictum, eorum prædicationi adversaretur? Prodigia vero ab illis patrata nonne veluti totidem præstigias aut magicas operationes jure aspernari potuissent? Cum igitur hoc systema totam evertat divinæ revelationis sive immediatæ sive mediatæ œconomiam, plane consequitur, et in se falsum esse et divinæ revelationi contrarium.

## DIFFICULTATES.

75. Obj. prima. 1<sup>o</sup> Ratio individualis est essentialiter finita, proindeque fallibilis, quare, nisi fulciatur medio aliquo infallibili, nunquam poterit non esse errori obnoxia. 2<sup>o</sup> Hoc porro medium aliud esse nequit quam generis humani consensus, seu ratio universalis, quæ sola infallibilis est et auctoritas suprema,

(1) Matth. XVIII, 19; Act. I, 8.

(3) Marc. XVI, 17 et seqq.

(2) Act. XIII, 2.



quippe quæ aliud non sit nisi *emanatio rationis Dei*, imo *ratio Dei ipsius* (1). 3° Sine ista de nulla unquam re, nec de propria sui existentia ratio individualis certa esse potest. 4° Multo vero minus poterit actum fidei elicere; secus enim ratio fallibilis eliceret actum infallibilem, quod implicat. 5° Præterea ipsa Dei existentia, immortalitas animorum, aliæque ejusmodi veritates, quæ naturalis ordinis dicuntur, a cujusque individualis rationis arbitrio penderent; his vero inniteretur fides veritatum, quæ supernaturales vocantur. Id vero quid esset, nisi basi luteæ statuum auream imponere (2)? Ergo.

76. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Neg.* vel *Dist.* Ratio individualis fallibilis est hoc sensu, quod interdum falli ac decipi *possit, conc.*; quod semper et in omnibus falli ac decipi *debeat, neg.* Nam ad eum modum, quo individua ratio essentialiter fallibilis est, individua voluntas est natura sua peccato obnoxia. Porro quis inde inferet, voluntatem semper et in omnibus peccare (3)? Itaque in proposito argumento adversarii plura inconsulto permiscent: ac 1° *infallibilitatem cum certitudine*, quasi nempe eadem utriusque

(1) Ita De Lamennais, op. cit. *Essai sur l'indifférence*, vol. II, pag. 93, cujus verba hæc sunt: *Noble émanation de la substance de Dieu, notre raison n'est que sa raison, notre parole n'est que sa parole.*

(2) Ita D. Gerbet, *Des doctrines philosophiques sur la certitude*, etc. Paris 1826, pag. 31 et seqq. Jam professi sumus, nolle nos detrahere. cl. auctori, dum ejus doctrinam refellimus, quum notum sit, ipsam ab his placitis recessisse. Cæterum citatum opus valide ac docte confutatum fuit a P. Rozaven S. J. in libro *Examen d'un ouvrage*, etc. Avignon, 1833, ad quem libenter remittimus lectores nostros pro pleniori hujus controversiæ cognitione.

(3) Sed præstat hic audire Bautain ipsum, e regio hoc systema refellentem:

*Mais tout en reconnaissant que la raison individuelle est faillible, qu'elle se trompe souvent, s'ensuit-il qu'elle se trompe toujours nécessairement et sur toutes choses? De ce qu'elle peut errer, faut-il qu'elle erre sans cesse? De ce que l'homme a par sa liberté le pouvoir de faire le mal, est-ce une nécessité qu'il ne fasse que le mal? La raison humaine pourrait-elle dévier, si elle n'était capable de rectitude? Mais à quel signe l'homme reconnaît-il qu'il est dans le vrai?... Qui le lui dira? La lumière naturelle qui le met en rapport avec les objets naturels, les lois de sa raison qui président à sa pensée, la conscience qu'il a de son sentiment intime, etc. Psych. Exp. préface, pag. 47.*

ratio esset, in quo tamen oppido aberrant. Infallibilitas enim in suo conceptu plenam importat immunitatem in omnibus ab errore, ipsaque errandi possibilitate, neque propria est nisi unius Dei, cujus essentia veritas est; per participationem vero potest etiam creaturis intelligentibus inesse, quibus et quo modo eam Deus communicare voluerit. Certitudo autem in suo conceptu non postulat nisi rationabilem, plenam ac firmam persuasionem alicujus veritatis, quam quis pro veritatis natura e pluribus cognoscendi fontibus haurire potest. Quo fit ut aliquis possit esse infallibiliter certus de aliqua veritate, quin sit per se infallibilis, quamvis non possit esse infallibilis nisi certus existat, quippe infallibilitas latius patet quam certitudo. 2<sup>o</sup> Attributum permiscens essentialis cum accidentali seu dono superaddito; *infallibilitas* non est essentialis creaturæ rationalis proprietas, adeoque ei non competit neque in singulis individuis neque in tota illorum collectione, unde genus humanum, ratio generalis, etc. per se fallibilia sunt. Quod si alicui sive individuo sive hominum cœtui competit, id ex libera Dei communicatione contingit, prout scimus, hoc donum in iis omnibus, quæ ad fidem moresque pertinent, fuisse a Deo communicatum Ecclesiæ, quæ confundi nequit cum genere humano. 3<sup>o</sup> *Subjectivitatē* confundunt cum *objectivitate*; subjectum enim et quidem individuale illud solum est, quod apprehendere deberet ac suum facere medium (nimirum auctoritatem generalem), quo juxta adversarios certum fieret ac infallibile; porro, quidquid de medio sit, subjectum haud posset suum facere ejusmodi medium nisi per facultates suas. Quid igitur, si in hisce nunquam a deceptione ac errore tutaretur (1)?

(1) Optime Bautain perstringit auctorem hujus systematis: *Qu'est-ce donc que cette raison générale à laquelle vous accordez si libéralement le privilège de l'infaillibilité? Est-ce la raison de tout le monde, ou au moins du plus grand nombre? Elle se compose donc de la totalité ou de la majorité des raisons particulières. Mais*

*celles-ci vous les reconnaissez faillibles, et de plus vous les déclarez incapables de science, de vérité, de certitude. Est-ce en rassemblant toutes les incertitudes des raisons privées que vous obtiendrez une certitude générale, et la collection des erreurs de tous les hommes finirait-elle par former la vérité?* loc. cit. pag. 47.



77. Ad 2<sup>m</sup>, *Neg.* In ordine namque naturali præsto sunt rationi, licet per se fallibili, plura media, quibus rite pro cujusque veritatis natura adhibitis, potest sine ulla erroris formidine sibi certitudinem comparare. In ordine vero supernaturali medium universale, perpetuum, infallibile, quod constituit regulam fidei proximam, non est nisi sola Ecclesia Christi (1). Asserere autem, rationem universalem emanationem esse rationis ac substantiæ Dei, immo rationem ipsam Dei, pantheismum omnino redolet (2).

78. Ad 3<sup>m</sup>, *Neg.* Hoc scepticismi culmen est, quod jamdiu S. Augustinus refellerat in academicis validissime (3).

79. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Si ratio fallibilis deberet per se sola fidei actum elicere, *conc.*; si divinæ gratiæ auxilio præventa et adjuta, *neg.* Opportunior de hoc inferius occurret sermo.

80. Ad 5<sup>m</sup>, *Dist.* Id est, posset ratio ita has sibi demonstrare veritates, ut certa de illis redderetur, *conc.*; posset illas pro lubito admittere aut respuere, *neg.* Quid porro sibi volunt adversarii, dum affirmant, quod naturales illæ veritates ab arbi-

(1) Prout ostendimus, tum in prima hujus tractatus parte, sect. 1, cap. IV, art. 2, prop. 1, tum in secunda, sect. 1, cap. II, prop. 1, n. 116 et seqq. tum denique in tract. *De vera Relig.* part. II, prop. II.

(2) *Si c'est là ( apposite scribit Bautain ) le dernier mot du système, certainement son auteur ne l'a pas compris; il aurait reculé devant l'abomination du panthéisme. C'est à cet abyme que sa doctrine aboutit, aussi bien que l'éclectisme. Comme lui elle fait peu cas de l'homme individuel, elle déprime la raison particulière pour exalter la raison générale, comme lui elle déclare absolue, nécessaire, infaillible cette idole de l'esprit propre... C'est la voix de Dieu se révélant in-*

*failliblement par la raison générale. C'est Dieu lui-même incarné, pour ainsi dire, dans le sens commun de tous les hommes.* Loc. cit. p. 54.

(3) In tribus libris *Contr. Academicos*, præsertim lib. III; item *De Trinit.* lib. XV, cap. 12, et alibi sæpe. Ceterum præclare observatum est, in systemate quod refellimus, asserere individualem rationem per se de omnibus ac de propria existentia incertam esse, nisi accedat consensus generis humani, perinde esse ac si cæco surdo ac muto a nativitate præberetur optimus codex, ut eo sapiens efficeretur. Cfr. *Annales de Philosophie chrétienne*, n. 13, an. 1841, *Plan d'une démonstration du catholicisme*, art. 1, pag. 26 et seqq.



trio cujusque penderent? Num quod in hominis voluntate positum esset nativo rationis lumine vel recte uti vel pessime abuti, atque iis veritatibus, quæ saltem evidentia per se immediata non fulgent, per summam posse perversitatem refragari? Id quidem verissimum est, et alibi jam declaravimus. Sed si intelligant, in hominis esse arbitrio, non per sophismata, sed per solidas rationes vim demonstrationibus adimere, quibus illæ veritates probantur, negamus omnino. Nec enim in potestate hominis est efficere, ut illud verum non sit, quod in se verum est, quippe ex indubiis principiis legitimo nexu promanat. Falsum vero est et illud quod additur, fidem supernaturalem illis veritatibus inniti; sed illis suppositis tanquam fidei præambulis, ut loquitur S. Thomas, progreditur homo ad motiva expendenda credibilitatis, quibus certior fiat, Deum esse locutum; credit vero, quæ Deus revelavit, innixus Dei ipsius revelantis auctoritati, præventus nempe atque adjutus divinæ gratiæ subsidio.

81. Obj. secunda. 1° Atqui si ratio individualis habere posset certitudinem eorum, quæ objecta etiam fidei sunt, nullum amplius meritum haberet in actu fidei. 2° Esset independens ab auctoritate Ecclesiæ ac iudex constitueretur *veritatum omnium*, quarum numerum aut restringeret aut amplificaret, prout autumaret, se assequi certitudinem posse demonstrationis via. 3° Porro quodnam medium nisi universalis ratio potest nobis suppeditare testimonium infallibile eorum, quæ Deus manifestavit? 4° Immo ex facto ipso aperte constat, non alia ratione quam per consensum humani generis voluisse Deum, ut singulis individuis veritates omnes, quas ipse revelavit, innotescerent; Adam enim eas filios suos docuit, filii docuere nepotes, et ita porro, idque ex divina plane ordinatione. 5° Alioqui nulla ad fidem, ac proinde ad salutem via suppetiisset iis omnibus ethnicis, qui ante Christi vixerunt adventum. 6° Post Christum vero hæc divinæ œconomiæ ratio immutata non est; siquidem fides in Ecclesiam non est nisi applicatio principii *auctoritatis generalis*, quæ fundamentum constituit certitudinis. 7° Quid enim Ecclesia catholica aliud credendum proponit, nisi *quod semper, quod ubique, quod*

*ab omnibus creditum est, quodque solum catholicum est, juxta celebrem Vincentii Lirinensis regulam (1)? Ergo.*

82. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Dist.* Si haberet cognitionem ac evidentiam intrinsecam de veritate horum objectorum, *trans.*; si extrinsecam tantum, nimirum quatenus cognoscit a Deo certo revelata esse, *neg.* Sublata hac æquivocatione difficultas per se concidit; imo addimus, certitudinem, quod Deus ea revelaverit, esse omnino necessariam; alias posset elici actus fidei innixus probabilitati, quod est absurdum ac damnatum (2).

83. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Id est, posset ratio independenter ab Ecclesiæ auctoritate sibi comparare cognitionem et certitudinem veritatum ordinis naturalis, *conc.*; ordinis supernaturalis, *neg.* De his certe posterioribus nulla esse quæstio potest, cum homo eas credat ob auctoritatem Dei revelantis et Ecclesiæ proponentis; de primis vero nihil vetat, quominus illas ratio individualis etiam per se cognoscat et vi demonstrationis certo teneat, ut in præcedenti propositione ostendimus; quamvis necesse non sit, ut omnibus per hanc demonstrationis viam innotescant. Quod vero adjicitur de judicio *veritatum omnium* earumque coarctatione aut amplificatione ex arbitrio cujusque, paulo ante disjecimus (3).

(1) Ita Gerbet, in cit. op. pag. 34 et seqq.

(2) Ut patet ex prop. XXI inter damnatas ab Innocentio XI: *Assensus fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis: immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.* In quam thesim cfr. Viva, § 7 et seqq.

(3) Sane distinctio inter veritates naturales ac supernaturales in ipsa veritatum natura fundatur; naturales enim illæ sunt, quæ rationis nativam intelligentiam non excedunt, supernaturales quæ illam superant. Rursum ex naturalibus aliæ sunt, quæ ceterarum veluti fundamenta sunt, uti Dei existentia,

justi atque injusti lex, pœnæ vel præmia in altera vita retribuenda; quas facile quisque attingere potest. Ceteras autem primis illis subordinatas, quo majori vel minori quisque ingenii vi, quo magis vel minus extrinsecis subsidiis est instructus, majori vel minori numero, nativo rationis lumine potest cognoscere ac demonstrare. Atque hic divina bonitas ac maximum revelationis beneficium se prodit, quod nempe Deus, ut omnium bono æque prospiceret, eas etiam veritates, quas absolute humana ratio cognoscere posset, per positivam etiam revelationem patefecerit; uti egregie declarat S. Th. *Cont. gent.* lib. 1, capp. 3 et 4. Quo etiam



84. Ad 3<sup>m</sup>, *Neg.* Media enim, quibus ratio individualis potest certo cognoscere existentiam revelationis, plura esse queunt; potest nempe per visum ex. gr. per auditum, per testimonium hominum, per illa demum omnia credibilitatis motiva, quibus evidens illi reddatur, reipsa a Deo revelationem factam esse. Si vero sermo sit de certitudine, quæ singulos afficiat articulos, vel collectionem articulorum, qui revelatione continentur, ea certe haberi unice potest per Ecclesiæ infallibilis auctoritatem.

85. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Id est, valuit Deus, ut veritates proto-parenti a se revelatæ transmitterentur ad seram usque posteritatem per traditionem sive domesticam sive publicam, *conc.*; per traditionem publicam tantum, seu per consensum generis humani tanquam unicum medium ad earundem assequendam certitudinem, *neg.* Hæc duo apprime secernenda ab invicem sunt; primum enim verissimum est, quamvis non omnes parentes suo functi munere sint, unde repeti debet apud plures populos primævæ revelationis corruptio aut etiam obliteratio (1); alterum vero est falsum, alioquin cum deperdita aut saltem fœde corrupta apud plerosque populos fuisset primæva revelatio, nulla reipsa in adversariorum hypothese individuus illius certitudinem assequendi superfuisset via, nec ulla propterea ad salutem perveniendi.

86. Ad 5<sup>m</sup>, *Dist.* In adversariorum hypothese juxta dicta,

referuntur, quæ præclare docet Catechismus Rom. part. 1, cap. 2, n. 6, ubi postquam celebravit, quæ philosophi ex sola naturæ contemplatione, nativo rationis lumine, de Deo ejusque attributis disseruerunt, pergit: *Quamquam in eo etiam celestis doctrinæ necessitatem agnoscimus, si animadvertamus, fidem non solum hoc præstare, quemadmodum supra dictum est, ut quæ viri tantum sapientes longo studio consecuti sunt, ea rudibus quoque et imperitis hominibus statim pateant atque in promptu sint: verum*

*ut rerum notitia, quæ fidei disciplina comparatur, multo certior atque ab omni errore purior in mentibus nostris insideat, quam si eas ipsas res, humana sapientia comprehensas, animus intelligeret.*

(1) Nec ideo dicendum est, illos populos destitutos exinde omni salutis medio fuisse; nam, uti ostendimus in tract. *De gratia*, part. 1, cap. 3, n. 238, Deus semper præsto est auxilio suo interno et subsidiis etiam externis omni facienti quod in se est, adeo ut nullus unquam perierit aut pereat nisi culpa sua.



*conc.*; in sententia nostra, *neg.* Nam satis erat domestica traditio præter alia media, quibus identidem divina providentia usa est ad primæ revelationis notitiam disseminandam (1).

87. Ad 6<sup>m</sup>, *Dist.* Quatenus immutari nequit quod nunquam extitit, *conc.*; secus, *neg.* Vidimus, Deum prius singularibus hominibus veritates suas patefecisse ea lege, ut a parentibus in filios continenter propagarentur. Cum vero illi passim officium ejusmodi negligerent, aut veritates illas turpiter commacularent, ne prima penitus oblivioni daretur revelatio, peculiarem sibi familiam selegit Deus in Abraham, quæ custos fidelis illius revelationis existeret. Cumque hæc ipsa familia in populum crevisset, eundem constituit suæ revelationis depositarium, eique speciali prorsus providentia prospexit, ne muneri deesset suo per successionem Prophetarum, donec *venit plenitudo temporis, in qua misit Deus Filium suum.* Christus porro instituit Ecclesiam, quam infallibilitate communivit, ut usque in seculi finem revelationem plenam atque integram intemerate custodiret, et omnibus gentibus annunciaret. Hic et non alius divinæ providentiæ extitit ordo in revelatione sua sive conservanda sive propaganda. Itaque Ecclesia est quidem organum Christi, non autem generis humani, quod est perabsurdum.

88. Ad 7<sup>m</sup>, *Dist.* Ecclesia nihil aliud proponit credendum, nisi quod *semper*, etc. ab Ecclesia catholica, *trans.*; ab universo humano genere, et quidem a mundi primordiis usque nunc, *neg.* Etenim præterquam quod, ut sæpe alias animadvertimus (2), Lirinensis effatum habet sensum *positivum*, non autem *negativum*, nequit illud accipi nisi de eo, quod creditum est in Ecclesia catholica, minime vero de eo, quod a genere humano creditum est. Hoc commentum, utpote novitium, plane ignotum Patribus fuit. Ceterum nec illud dimittendum,

(1) Tales fuere frequentes hebraici populi apud plures gentes captivitates, migrationes Judæorum apud dissitas nationes, dispersiones, commercium, etc. quibus vicissitudinibus facile fieri po-

terat, ut notitia revelationis ad varios populos perveniret.

(2) Præsertim in tract. *De vera Relig.* part. II, prop. III, n. 56, cum nota adnexa.

esse quidem regulam a Vincentio traditam unum ex criteriis cognoscendi catholicam veritatem, sed neque *unicum*, multo vero minus *præcipuum ac supremum* esse. Tale enim non est nisi jure ac semper vivens Ecclesiæ magisterium (1); cetera omnia huic subjecta sunt, ab eoque pendent.

---

89. Vindicavimus hactenus rationis etiam individuae vim, qua ad veritates intra ordinem naturæ conclusas, quæque veluti præambula spectari queunt, valeat per se sola *absolute* ac quidem cum proprie dicta certitudine pertingere; ac proinde probavimus, dari inter eas naturales veritates intrinsecum ordinem *logicum*, quo una ex alia legitimo principiorum nexu possit argumentando deduci.

90. Sed aliud est de *absoluta* rationis potentia disserere, aliud de ejusdem potentia *moralis*; illa quippe ad ordinem *logicum* pertinet, hæc pertinet ad *historicum*. Nimirum potentia moralis complectitur illa omnia elementa facti, in quibus humana ratio seu potius hominum genus, non *abstractivo*, sed *concreto* ac reali modo spectatum ac moraliter simul sumptum, juxta consuetum rerum ordinem versatum sit ac per se debeat versari. Huc porro spectant ea omnia sive intrinseca sive extrinseca impedimenta, quæ semper hominibus collective sumptis in cognitione illarum ipsarum veritatum per solum rationis lumen assequenda obstare debuerunt. Huc spectat maxima difficultas in veritatis investigatione, quæ semper longa et implexa est, constanter ex rectis rationis legibus procedendi, arduas cohibendi animi cupiditates, ac veritatis unius studium sectandi, ita ut, quod præclare evolvit S. Thomas, nonnisi pauci ac post longum tempus atque cum admixtione multorum errorum, eas veritates, quæ etiam ratione investigari possent, assequerentur (2). Huc demum spectat *factum* ipsum, in quo hæc omnia implicite continentur, indubitatum, universale, perpetuum, ex

(1) Recolantur, quæ scripsimus paulo ante, cum ageremus de Traditione, cap. II, § 1.

(2) *Contr. gent.* loc. cit.



omnium populorum historiis depromptum, quod scilicet nullus populus divina revelatione destitutus dignum Deo cultum exhibuerit, ac in absurdos contra sanæ ethices errores delapsus non sit; quod nulla humana sapientia aut industria ab universali illa defectione revocare homines valuerit; quod humana denique ratio ex se motiva sufficientia non præbeat ad homines in officio continendos atque a vitiis retrahendos. Ex hisce porro omnibus exurgit non utilitas tantum, sed necessitas, *moralis* tamen, non autem *absoluta* (1), illius extraordinarii subsidii, divinæ nimirum positivæ revelationis, qua hominum moraliter sumptorum indigentiae in ipsis etiam naturalibus veritatibus provisum esset. Hac porro via nos ipsi, in tractatu *De vera Religione*, per varias propositiones arcte simul connexas processimus; unde supervacaneum hic esset ostendere peculiari propositione, rationem individualem posse per se possibilitatem, utilitatem ac necessitatem divinæ revelationis certo cognoscere ac demonstrare.

91. Illud unum tantum hic adnotamus, quod consequitur ex dictis, *moralem* hanc *necessitatem* revelationis exurgere ex

(1) Diximus necessitatem *moralem* exurgere positivæ revelationis, non autem *absolutam*; siquidem absoluta ejusmodi necessitas ex nullo capite potest probari. Non ex necessitate instaurationis hominis lapsi in ordinem supernaturalem, ex quo per peccatum exciderat, cum hæc instauratio *gratuita* prorsus sit, nec homini debita; non ex conditione sua naturali, alioquin, si homo absolute indignisset revelatione ad cognoscendas veritates naturalis seu moralis ordinis, præterquam quod videretur destitutus aliquo essentiali suæ naturæ constitutivo, Deus absolute obstrictus fuisset ad eam homini dandam, cum tamen omnes fateantur, revelationem positivam gratuitum Dei esse beneficium; non denique ex infirmitate,

quam per hæreditariam noxam contraxit; ut enim cetera præteream, adstrueretur necessitas revelationis adversus incredulos et naturalistas ex ipsa revelatione, in quo haberetur manifesta petitio principii. Urgere possem statum infidelium negatorum, qui destituti essent medio *absolute* necessario ad consequendum suum finem; possibilitatem præterea status puræ naturæ, aliaque ejusmodi, quæ aperte ostendunt, *absolutam* positivæ revelationis necessitatem adstrui nullo modo posse. Ex quo patet, haud satis sanæ theologiæ ac religionis bono prospicere eos, qui nimio forte ejusdem religionis amore abrepti, vellent *absolutam* revelationis necessitatem propugnare. *Ne quid nimis*, ut vetus fert adagium.



connexione inter ordinem *logicum* ac *historicum*; quandoquidem *logicus* ille ordo ostendit, quid *absolute* ratio humana efficere potuisset; sed *logicus* ille ordo cum *historico* comparatus ostendit, quid reipsa humana ratio præstiterit, atque adeo quid *moraliter* efficere potuerit aut possit. Rationalistæ in humana ratione nonnisi potentiam *logicam* spectant, nempe hominem tantum in *abstracto* et *a priori* considerant; sed qui vere ac complete philosophantur, hominem etiam in concreto spectare debent, nimirum in iis circumstantiis positum, quas perpetuo *historia* revelat. Id autem multo magis theologi erit officium, cujus est omnes, naturales etiam, cognoscendi fontes rimari. Hinc nullo modo secum ipse pugnabit theologus, dum ex una parte nativam rationis tuetur vim, ex altera vero necessitatem moralem divinæ revelationis ostendit. Atque ita etiam deteget nexum, et quamdam veluti conciliationis viam patefaciet, inter sententiam illorum, qui totum *logicæ methodo* deferunt, atque oppositam illorum, qui *methodo historicæ* nimium adhærent.

### PROPOSITIO III.

*Potest humana ratio certo cognoscere motiva, quæ vocant credibilitatis, ac per ea sibi comparare certitudinem existentia divinæ revelationis.*

92. Hæc propositio, quæ veluti legitimum corollarium fluit ex propositionibus hactenus vindicatis, duas complectitur partes, tum scilicet humanam posse rationem, et quidem *certo*, cognoscere motiva, seu quas etiam nuncupant *notas* divinæ revelationis, tum per hæc credendi motiva ad plenam posse certitudinem de illius revelationis existentia pervenire. Impetit proinde directe sententiam 1<sup>o</sup> illorum, qui nimium rationi detrahentes existimant, aut nunquam illam valere ita de ejusmodi motivis fieri certam, ut omnem errandi formidinem ac dubitationem a se amoveat, aut motiva illa apta per se non esse ad talem certitudinem gignendam; 2<sup>o</sup> illorum, qui rentur, hanc certitudinem ab ipsa natura veritatis revelatæ repelli, quippe cum ista liberum

exposcat assensum , negant , sine dispendio fidei de veritate christianæ revelationis confici posse *demonstrationem* ; licet hoc alterum , ubi in secundo capite agemus de fide , peculiari modo refellamus.

93. Interea ex principiis præjactis ac vindicatis ita progredimur : Potest ratio per se cognoscere tum veritates logicas , metaphysicas , psychologicas , morales , physicas , tum earundem plenam sæpe certitudinem assequi , diversi nimirum generis , prout diversa illarum natura ac varius cognoscendi fons patitur aut expostulat. Atqui credibilitatis motiva constant partim ex veritatibus facti , quæ sive sub sensuum experientiam cadunt , sive ex indubio humanæ auctoritatis testimonio accipiuntur , partim ex principiis logicis ac metaphysicis , quæ illis facti veritatibus legitime applicantur ; consequitur ergo , veram a ratione de illis motivis haberi certitudinem posse.

94. Sane cum Deus hominibus voluerit revelationem suam evidenter credibilem efficere , ut tuto cognosceretur , et a quavis secerneretur hominum fraude , talibus illam necessario debuit argumentis communire , quæ ab omnibus recta ratione utentibus facile ac tuto possent agnosci , ac firmiter teneri deberent. Rursum : Nisi Deus ejusmodi argumentis suam firmasset revelationem , quisnam teneretur illam uti divinam admittere ? Quamnam moralem induceret obligationem , ac quomodo qui illam respueret , gravis culpæ reus esset , æternoque addicendus supplicio ?

95. Præterea assensus , qui divinæ revelationi præstari debet , prudens ac rationalis sit oportet. Atqui , si firma illa atque indubia motiva credendi deficerent , imprudens omnino foret ; ac deberet voluntas firmiter veritati illius adhærere , dum tamen intellectus in dubio aut in mera tantum probabilitate , quod Deus sit revera locutus , versaretur ; quod tamen , ut vidimus , falsum damnatumque est (1).

(1) *Certitudo fidei* , adnotat Suarez , non est tantum practica , sed speculativa , et ideo requirit etiam certitu-

*dinem speculativam de credibilitate sui objecti ; nam impossibile videtur , hominem determinari ad credendum ali-*



96. Facile autem esset, siquidem in re tam manifesta esset opus, hoc ipsum tum sacris Litteris tum sanctorum Patrum auctoritate firmare. Cum enim Deus Moysen misit ad populum suum atque ad Pharaonem, ut fidem apud eos obtineret, potestatem ei contulit signa ac prodigia patranda; ad prodigia item in Ægypto patrata Hebræos perpetuo provocat Deus, ut de ætatibus insequentibus sileamus. Christus vero miraculis omnigenis ac vaticiniis, tum eventu jam comprobatis tum in posterum comprobandis, divinam suam missionem ostendit. Ad hæc motiva constanter incredulos adversarios suos provocat (1), immo vero profitetur, immunes eos a peccato in sua incredulitate futuros fuisse, nisi signa fecisset (2). Patres et interpretes in hoc unanimes plane sunt (3). Hinc S. Thomas, in lib. *Cont. Gentes*, ejusmodi motiva ad ethnicos convincendos adhibuit; ac merito concludebat, in *Summa* loquens de fidei objectis: *Non crederet (homo), nisi videret, ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi* (4).

97. Hæc vero jam evincunt etiam alteram propositionis partem. Nam, cum ea motiva necessario nexu cum divina revelatione conglutinentur, aperte conficitur, posse per ea humanam rationem certam omnino fieri de ejusdem existentia revelationis. Sane veri nominis miracula ac vaticinia, quæ præcipua credibilitatis motiva constituunt, cum nonnisi a Deo vel ejus nutu

*quid firmiter et certo, si cum formidine tantum et non certo judicet esse credibile. De fide*, disp. iv, sect. 2.

(1) Matth. ix, 6; Marc. ii, 10; Luc. v, 23; Joan. x, 37, 38; xiv, 10, etc.

(2) Joan. xv, 24.

(3) Cfr. Salmeron, *Comment. in Evang.* tom. ix, tract. 61, in cit. verba: *Si opera non fecissem; nec non Card. Toletus, Comment. in Joan.* in cap. iii, *Annot. 2*, ubi fuse agit de hoc argumento.

(4) 2<sup>a</sup>. 2<sup>æ</sup>. quæst. 1, art. 4, ad 2. Ad

rem, in hunc locum D. Thomæ, animadvertit Suarez: *Notanda est distinctio et variatio illorum verborum credere et videre: nam prius dicit obscuritatem unde posterius, ut condistinctum ab illo, dicit claritatem et evidentiam, neque illa duo repugnant, quia versantur circa diversa; nam creditur aliquid sub ratione veri, videtur autem sub ratione credibilis.* Ibiq; citat plura Patrum testimonia. Cfr. *De fide* disput. iv, sect. 2.



edi possint, si semel proinde homini certo constiterit patrata aut edita fuisse ad alicujus missionem comprobendam, dubitare is amplius nequit, quin ex Dei nomine ille loquatur, qui duplici illa facultate a Deo auctus sit; præsertim si adjuncta omnia tum intrinseca tum extrinseca in id concurrant. Hæc autem majorem adhuc firmitatem accipiunt ex motivis illis, ut ita dicam, subsidiariis, quæ in omnium oculos incurrunt: cujusmodi sunt 1<sup>o</sup> sublimitas et præstantia doctrinæ, quæ ex Dei nomine enunciatur; 2<sup>o</sup> jugis illius conservatio et propagatio, frustra semper obtinentibus utrique cupiditatibus humanis, ac perpetuo adversantibus acerrimis hostibus domesticis et externis prope innumeris, idque fere absque mediis tanto mollimini idoneis; 3<sup>o</sup> constantia demum et fortitudo Martyrum, in suis omnibus adjunctis spectata. Hæc porro omnia, prout sunt totidem objecta vaticiniorum, quæ in dies complentur, eandem vim ad probandum obtinent ac vaticinia ipsa; imo eorundem vaticiniorum totidem sunt adimplementa totidemque probationes, quæ licet *intensive* ejusdem semper sint roboris, *extensive* tamen novam in dies firmitatem acquirunt. Quæ sane omnia fuerunt suo loco satis abunde exposita et vindicata (1).

#### DIFFICULTATES.

98. Obj. prima. Facta extraordinaria, quæ miracula dicuntur, nexum necessarium non præ se ferunt cum existentia divinæ revelationis; tum quia miracula ipsa sunt objectum divinæ revelationis, adeoque nequeunt esse ejusdem credibilitatis motiva (2); tum etiam quia assumere miracula uti credibilitatis motiva est petere principium. Siquidem veritas evangelicæ revelationis (idem dic de Mosaica), quæ miracula enunciat, nequit *rationaliter* per miracula probari; ex altera vero parte assumendo Apostolos, qui tamen *homines* erant, non potuisse decipi aut decipere,

(1) In tract. *De vera Relig.* part. 1, *seigneur Lepappe de Traverne*, etc. cap. iv, prop. 1 et seqq. Strasbourg 1837, pag. 3.

(2) Ita Bautain, *Lettre à Mon-*

debet supponi factum non minus extraordinarium, quam sint miracula ipsa, quæ illi referunt (1).

99. Resp. *Neg.* Ad prob. Nihil obest miracula divinæ esse revelationis objecta; talia quippe sunt quoad eos, qui jam revelationi credunt, minime vero quoad illos, qui nondum credunt. Pro his enim sunt solum motiva seu media, quibus cognoscere valeant, revelationem, quæ Dei nomine proponitur, reipsa divinam esse, prout etiam ex adductis S. Thomæ verbis constat. Itaque miracula possunt esse et *motiva* et *objecta* divinæ revelationis, sed diverso plane respectu. Falsum autem est, peti a nobis principium, dum assumimus miracula veluti motiva credibilitatis; nec enim ea assumimus uti talia, quatenus ab auctoribus inspiratis ac propterea infallibilitate præditis referuntur, sed in se, seu quatenus visa sunt et oculis usurpata ab iis, quibus suadebatur et ostendebatur *immediate* divina missio. Quoad eos vero, qui miracula immediate non conspexerunt, alio iisdem modo potuerunt aut possunt certiores de illis fieri, nempe aut traditione, aut certissimis historicis monumentis, aut ipsorum confessione adversariorum, aut testimonio fidelium, aut etiam omnibus hisce simul sumptis, ut suo loco ostendimus (2), quæ moralem certitudinem proprie dictam pariant. Cum vero per ejusmodi certitudinem semel constiterit de veritate factorum extraordinariorum, quæ miracula dicuntur, assurgitur ad expendendam *rationaliter* illorum naturam, utrum nempe notas illas omnes habeant et condiciones, quæ ad miraculum constituendum stricte requiruntur. His expensis, ex certitudine et veritate miraculi jure omnino infertur divina illius missio, qui talia edidit signa ad eam credibilem faciendam. Talis est processus, qui legitime hac in re instituitur, quin in ulla petitione principii versemur.

100. Obj. Secunda. Quidquid de iis sit, qui miracula ipsa immediate viderunt, res profecto aliter se habet quoad eos, qui ea non nisi *mediate* cognoverunt. Etenim 1<sup>o</sup> isti unde cognov-

(1) Ita in *Avertissement sur l'enseignement de M. Bautain*, Stras-

bourg 1834, pag. 22.

(2) In cit. tract. part. I, cap. III.

scunt nisi auctoritate ducti humana, quæ nempe humanam tantum certitudinem, plurium aut paucorum innixam testimonio, præbere potest, ac nunquam proinde certam ac infallibilem? 2<sup>o</sup> Argumenta omnia licet validissima, ratiocinationes omnes etsi rigorosissimæ, quoties innituntur factis sensibilibus, non habent nisi valorem relativum ac pure humanum. 3<sup>o</sup> Quapropter, cum creditur resurrectioni ex. gr. Christi Jesu, ejusque in cœlum ascensui, credi quidem debet ob solum apostolicum testimonium; ast non prout vulgo fertur, ideo quia Apostoli non erant deceptores aut decepti, quod ostendi absolute nequit. 4<sup>o</sup> Atque ut resurrectioni Christi insistamus, ea miraculum non fuit ceteris simile, quod operatus sit Jesus coram testium multitudine. Resurrectio Christi testes alios non habuit nisi seipsum; neque postea redivivus apparuit nisi solis discipulis suis; agens simul fuit et subjectum operationis divinæ (1). Ergo.

101. Resp. *Neg. ant.* Ad 1<sup>m</sup> prob. *Neg. illationem*, nunquam scilicet certam ac infallibilem esse auctoritatem humanam; quandoquidem, si necessariis conditionibus polleat, talem certitudinem quandoque parit, quæ ad firmam ac rationabilem quod attinet animi adhæSIONEM cum ipsa metaphysica certitudine comparari queat, uti in *Prænotandis* satis declaravimus. Perinsignes omnes cujusque ætatis philosophi, atque ii etiam, qui in ipsis mathesibus maxime excelluerunt, in hoc communi hominum sensui fuerunt plane concordēs (2).

102. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Si Kantiana principia de humanarum cognitionum realitate quidquam valoris haberent, *conc.*; si secus, *neg.* omnino. Certe si admittatur, rationem theoreticam nun-

(1) Ita in *Philosophie du christianisme*, tom. 1, pag. 300, 303; tom. II, pag. 408, et alibi.

(2) Cfr. Leibnitius, tum in cit. diss. *De conform. fidei cum ratione*; tum in *Tent. Theodiceæ*, part. 1, § 54 et seqq. et alibi; item Eulerus, in *Lettres à une princesse d'Allemagne*, Paris 1812, tom. II, *Lettres* cxv—cxx

quæ omnes sunt de hoc argumento. Recentius vero egregius mathematicus Paulus Ruffini, in op. *Riflessioni critiche sopra il saggio intorno alle probabilità del signor Conte Laplace*, Modena 1821, Memoria IV, pag. 100 et seqq.; necnon cl. pariter italus mathematicus Nic. Fergola, in *Teorica de' miracoli*, Napoli 1839.



quam de veritate ac realitate objectiva rerum esse certam posse, nil nisi *phænomena* attingere, principium ipsum causæ nonnisi subjectivam cathégoriam seu formam intellectus esse, qua nempe intellectus ex cæca quadam et subjectiva necessitate *synthetice* et *a priori* idea effectus cum causæ idea conjungit, opposita difficultas id quod contendit evinceret. Sed hæc nimis jam a præclaris philosophis explosa sunt, uti in *Prænotandis* exposuimus.

103. Ad 3<sup>m</sup>, *Dist.* Ostendi absolute nequit Apostolos non fuisse deceptores in facto resurrectionis testificando, si gratuito assumatur eos fuisse infallibilitate præditos, ut objectio supponit, *conc.*; adjunctis omnibus testimonii illorum spectatis, *neg.* Primum utique esset principium petere, ac viam præcludere veritatem incredulis ostendendi evangelicæ revelationis, quæ facto illi præcipue saltem innititur; alterum vero non item, ut suo loco ostendimus (1). Tota hæc difficultas pendet ex jam refutato principio, nunquam auctoritatem humanam veram posse progignere certitudinem. Deinde adjicimus, Apostolos ad fidem obtinendam in testimonio, quod reddebant Christi resurrectioni apud gentes, communitos fuisse miraculorum dono, quo omnem ab istis dubitationem removebant.

104. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Et probatio, quæ petitur ex resurrectione Christi, innititur illi tantum instanti, quo hæc contigit, prout videtur falso supponi, *neg.* innititur apparitionibus subsequentibus, *conc.*; Probatio namque ex facto resurrectionis deprompta suam habet firmitatem in multiplicibus ejusdem Christi redivivi apparitionibus, quibus se ostendit vere ad vitam rediisse, se discipulis suis palpandum præbuit, manducavit ac bibit cum ipsis, idque non semel, ut omnem ex illorum animis dubitationem depelleret, ac demum iisdem conspicientibus cælum ascendit. Nisi igitur omnis vis sensibus adimatur ad physicam certitudinem producendam, quomodo discipuli in eo decipi poterunt? Porro quod viderunt, aliis testati sunt, eaque firmitate ac constantia, ut se omnium odio, insectationibus, ac morti demum ipsi exponere non dubitarint. Num ejusmodi testium

(1) In tract. *De vera Relig.* part. I, cap. IV, prop. 1.

qualitas sufficere non debet ad moralem pariendam certitudinem? His adjicienda miracula, quæ ipsi ad fidem faciendam de veritate sui testimonii, quod paulo ante adnotabamus, innumera pene patrarunt.

#### PROPOSITIO IV.

*Potest pariter humana ratio certo cognoscere veræ Christi Ecclesiæ existentiam.*

105. Et hæc propositio sequitur ex præcedente, atque cum ea est arctissimo nexu consociata. Nam, si potest humana ratio certo cognoscere motiva credibilitatis, ac per ea certitudinem assequi de existentia divinæ revelationis, poterit profecto eadem certitudine existentiam cognoscere Ecclesiæ, societatis nempe a Christo institutæ ad custodiendam conservandamque revelationem suam; ex ejus autem essentiali constitutione ac notis, quæ ex illa profluunt, eam discernere a quavis spuria societate, quæ Ecclesiæ sibi nomen usurpet.

106. Sane Christus ita suam debuit Ecclesiam condere, ut facile dignosci possit a Satanæ synagogis atque ab humanæ malitiæ ac superbiæ monumentis; alioquin excusari possent, qui se in ejus sinum recipere detrectarent sub obtentu, quod vera Ecclesia a spuriiis coetibus distingui nequeat. Attamen Christus cunctis præcepit hominibus illam ingredi, ejusque fidem profiteri ac mandatis obtemperare sub interminatione æternæ poenæ. Eam comparavit civitati in monte constitutæ, quæ omnium pateat adspectui. Quæ quidem aliaque ejusmodi aperte ostendunt Ecclesiam ita constitutam, ut facile ac tuto ab omnibus rite animo comparatis cognosci possit atque discerni.

107. Id ipsum vero ex principio illo constabitur, quod in prima tractationis hujus parte firmiter constituimus, de identitate christianismi et catholicæ Ecclesiæ, adeo ut iisdem plane motivis simus catholici, quibus christiani sumus (1). Motiva siqui-

(1) Cfr. quæ scripsimus in hujus tractatus part. 1, prop. 1. Cfr. præterea

Bossuet, *Instruction pastorale sur les promesses de l'Eglise, pour montrer*



dem credibilitatis *præcise* militant pro Ecclesia catholica seu Ecclesia Christi, cum Christus vere et proprie non instituerit ac fundaverit christianismum veluti in *abstracto*, sed Ecclesiam christianam, eamque unicam, universalem, visibilem atque perpetuam, quæ nec est nec esse potest nisi sola Ecclesia Catholico-Romana, uti suo loco ostendimus (1). De hac Ecclesia unice et constanter loquitur Christus in Evangelio, de hac unice loquuntur Apostoli, de hac Patres et scriptores omnes antiquitatis (2). Si igitur ex demonstratis in præcedente propositione potest humana ratio certo cognoscere motiva credibilitatis, et per se acquirere certitudinem de existentia divinæ revelationis, poterit simul certitudinem obtinere de existentia Ecclesiæ Christi.

#### DIFFICULTATES.

108. Obj. Si propositiones hactenus statutæ veræ essent, sequeretur omnino, 1<sup>o</sup> posse humanam rationem per continentem *logicam* veritatum connexionem, ac proinde per veram demonstrationem ab existentia proprii *Ego* ad ipsum factum revelationis ac ad veram Christi Ecclesiam ascendere. 2<sup>o</sup> Atqui hoc est quod in Hermesii systemate ab apostolica Sede damnatum est. 3<sup>o</sup> Quid enim aliud Hermesius voluit in sua *Introductione*, sive *philosophica* sive *positiva*, quam *fundamentum* ponere ad *demonstrandum christianismum tanquam revelationem datam a Deo*, ac demum *catholicismum tanquam verum christianismum*? 4<sup>o</sup> Sane hoc est naturam fidei pervertere, quæ tota supernaturalis est, donum Dei, ac nova veluti hominis *creatio ex nihilo*; tunc autem redderetur per eam demonstrationem *merus effectus naturæ, quæ sese vi sua evolvit*. 5<sup>o</sup> Hoc est *theologiam dogmaticam* plane pessumdare, quæ tunc suum fundamentum necessarium haberet in ipsa philosophia, ac fieret *ædificium veluti*

*aux Réunis, par l'expresse parole de Dieu, que le même principe qui nous fait chrétiens, nous doit aussi faire catholiques.* Opp. edit. Versailles, tom. xxii, p. 375 et seqq.

(1) Tum in tract. *De vera Relig.* part. ii, prop. iv, tum in hujus tract. part. i, sect. i, cap. iii.

(2) Cfr. *ibid.*



*quoddam purorum principiorum theoreticorum.* 6<sup>o</sup> Nec dicas, fontes dogmatum theologicorum esse plane diversos a fontibus philosophiæ; nam hoc etiam agnoscit Hermesius, nec tamen ob id systema ejus minus anti-catholicum et anti-theologicum est. 7<sup>o</sup> Unde saniores ipsi Protestantes hoc systema damnant ac rejiciunt (1).

109. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Per logicam connexionem*, etc. *Dist.* veritatum *diversæ* tamen naturæ, *conc.*; ejusdem naturæ, *neg.* Ut qualis sit logicus iste nexus dignoscatur, apprime diversa natura veritatum est discernenda. Aliud enim est loqui de veritatibus naturalibus, quæ animam humanam, Deum, legem moralem, etc. spectant, aliud de iis, quæ motiva credibilitatis, ac existentiam sive divinæ revelationis sive Ecclesiæ respiciunt. Illæ enim, cum ex factis internæ experientiæ atque ex immutabilibus rationis principiis pendeant, necessario, intrinseco ac metaphysico nexu copulantur. Istæ vero factis *extrinsecis* totæ innituntur, quæ sive sub sensus *immediate* aliquorum hominum ceciderunt, sive ex indubio aliorum hominum historico testimonio accipiuntur; hinc nexus inter has veritates, licet valido cognoscendi medio suffultus, ac proinde etiam logicus, nonnisi tamen *extrinsecus* est, ac *moralem* tantum certitudinem gignit. Sed nil id officit naturæ veræ *demonstrationis*, quæ nempe firmam ac rationabilem mentis adhæsiorem veritati rei cognitæ gignat, nisi si quis sophisticè contendere velit, nullam aliam dari et vocari demonstrationem posse, quam quæ mathematica sit in quo merus esset lusus verborum (2).

(1) Hæc ipsi nobis objicimus, quippe haud pauci præsertim in Germania, res haud sedulo distinguentes, ex damnatione doctrinæ Hermesianæ occasionem capiunt ita argumentandi. Vide inter cæteros articulum jam citatum in Ephem. Theol. Tobing. 1839, *Ueber Glauben und Wissen*, seu *De scientia et fide*, etc. pag. 439. Cujus quidem auctori licet scientiæ et pietatis laudem defe-

ramus, non possumus tamen principiis ejus integre subscribere, sive circa probationes divinæ revelationis, sive circa existentiam Dei demonstrationem, quam ipse, immediatæ cuidam naturali fidei juxta Jacobium adhærens, vix, aut ne vix quidem, in communi theologorum sensu, admittere videtur.

(2) Perbelle hoc referas, quæ doctus habet Petavius, *De Deo*, lib. 1, cap. 1,

110. Ad 2<sup>m</sup>, *Neg.* Nam si hac proprie de causa Apostolica Sedes damnasset Hermesii systema, damnasset simul apologetas omnes christianæ et catholicæ Religionis, qui eundem sibi finem proposuerunt, nempe *demonstrationem evangelicam, demonstrationem christianam* aut *catholicam* conficere. Quod quidem absurdum, ac ab Apostolica Sede maxime alienum. Methodus igitur plane singularis ac periculi plena, qua Hermesius, demonstrationibus a ceteris datis omnino rejectis, novam cudere intendit juxta principia sibi propria ac nimis kantinum redolentia, ita ut motiva ipsa credibilitatis non tam constitueret quam infirmaret, causa fuit, ex hac parte, illius damnationis. Ast de hoc alibi.

111. Ad 3<sup>m</sup>, *Dist.* Juxta methodum tamen ac principia sua, quæ nec christiano philosopho, nec theologo probari queunt,

§ 4, ad rem nostram: *Atque illæ quidem omnes* (probationes), inquit, *non idcirco contemnendæ erunt, quia singulæ non necessario et ἀποδεικτικῶς evincunt, neque ex anterioribus primisque sunt petitæ; sed eo magni faciendæ, quia collectæ in unum et coacervatæ necessariam propemodum fidem faciunt apud eos, qui et sui compotes sunt, et rationis habent aliquid ac judicii. Etenim probationes illæ, quibus prudens assensio nititur, quas morales ideo vocant, quod ad gubernandos mores adhibentur, plerumque non minus certam in suo genere fidem faciunt, quam in rebus naturalibus aut mathematicis demonstrationes qualibet exactæ.* Opportune etiam cl. Valsechius, in op. cit. *Dei fundamenti*, etc. cap. ult. animadvertit, christianam revelationem eo posse sensu *geometricè* demonstrari, quod hæc demonstratio formam geometricam,

strictam nimirum ac contextam ratiocinationum, habere queat, non vero naturam quantitatis geometricæ; secus enim Deus ac revelatio objecta mere rationalia essent, prout sunt matheseos objecta. Suam hac arte idem auctor conficit demonstrationem de facto revelationis, eo nempe metaphysico nisus principio, quod, si detur complexus plurium factorum indubiorum, quæ quidem omnia, ubi aliquod principium ponatur, rite ac perfecte explicantur, ubi vero principium illud tollatur e medio, nulla omnino eorundem factorum explicatio suppetit, evidenter probetur connexio factorum illorum cum illo principio. Eum adisis loc. Huetius ipse, qui certe in rationis ac rationalium demonstrationum vi extollenda nimius non fuit, demonstrationem hanc christianæ revelationis *apodicticam* dicere non dubitavit, in suæ *Demonstr. evang.* Proleg.



*conc.*; juxta methodum christianæ veritati illustrandæ ac adse-  
rendæ opportunam, *neg.*

112. Ad 4<sup>m</sup>, *Neg.* Hæc enim aliæque ejusmodi difficultates ex eo proveniunt, quod natura et analysis fidei supernaturalis haud rite perspecta habeatur. Nihil quippe tota ejusmodi demonstratio cum fide supernaturali habet commune; nec enim fidei, quæ gratuitum donum est, tali demonstrationi veluti principio et *motivo formali* credendi innititur, quum possit esse cum illa et sine illa, sitque ab ea omnino independens. Potest utique aliquis credere sine demonstratione (1); potest e contra cognoscere demonstrationem, et non credere; potest credere naturali quadam fide, illius demonstrationis vi, et tamen fide supernaturali ac divina, nempe *sicut oportet* ad salutem, non credere. Hinc prorsus falsum est, quod fides tunc foret merus naturæ sese vi sua evolventis effectus. Nisi enim Deus gratia sua adesset, tota hæc evolutio nunquam ad fidem, de qua agimus, pertingeret, quæ in alio prorsus ordine constituta est. Hæc, ut confidimus, in capite sequenti, suo in lumine collocabuntur, ac ibi etiam novus Hermesiani systematis error patebit.

113. Ad 5<sup>m</sup>, *Neg.* iterum. Theologia enim suum habet fundamentum in veritatibus a Deo revelatis et ab Ecclesia propositis, nec ulla prorsus ratione a philosophia aut ab ullo philosophico systemate pendet. Verum est, quod, sicut fides divina, ut loquitur S. Thomas, *cognitionem naturalem præsupponit*, ita etiam theologia aliquod naturale certi ac veri criterium, aliqua natu-

(1) Assensus fidei supponit utique tanquam præviam necessariam conditionem, non solum *practicam*, sed *speculativam* certitudinem, quod Deus sit locutus. Sed hæc certitudo opus non est, ut ex demonstratione exurgat. Quodcumque motivum, etiam unicum, quod reddat *evidenter credibilem* revelationem Dei, satis ad hoc est. Atque illud etiam adnotandum, posse Deum in rudibus intellectibus gratia sua ita

supplere, quidquid ex parte evidentia rationalis motivi deesset, ut inde ea firmitas persuasionis enascatur, sicut etiam rudes rationabiliter ac prudenter credant. Cfr. Suarez, *De fide*, disp. cit. Hæc certe haud rite intellexit Hermesius, cum *Demonstrationem*, et quidem (*Zweifelsüchtig*) *dubia studiose conqui- rentem*, asserait *radicem esse piæ fidei et conditionem*. *Introd. phil. Monast.* 1819, pag. 17.



ralia principia ac veritates supponere debeat. Sed hæc non sunt theologicæ disciplinæ fundamenta; sunt quædam veluti conditiones ac prærequisita, quibus theologia in rem suam opportune utitur. Ita, cum opus est, philosophicis etiam argumentis oblectantes illa refellit atque convincit.

114. Ad 6<sup>m</sup>, *Dist.* Ita tamen ut firmitatem horum fontium a philosophico suo systemate pendentem omnino faciat Hermesius, ac ipsorum valorem debitumque inter ipsos ordinem rite non constituat, *conc.*; secus, *neg.* Aliquid de hoc paulo post attingemus; ut nil præterea dicamus de erroribus theologicis Hermesii in applicatione illorum fontium ad singula dogmata.

115. Ad 7<sup>m</sup>, *Resp.* hoc tantum ostendere, cum a trita, regia, omnibusque theologis ac apologetis probata via receditur pro novitatis cujusdam lubricine, neque Catholicis neque ipsis Protestantibus satis fieri.

---

116. Ex iis porro, quæ hactenus in præcedentibus propositionibus vindicavimus, hanc veluti rerum summam jure optimo colligimus, qua disputationem nostram de recto usu rationis ante fidem concludimus.

117. 1<sup>o</sup> Potest humana ratio per *metaphysice* certam veritatum naturalium (quæ sunt veluti præambula fidei) cognitionem, nec non per *moraliter* certam cognitionem eorum credendi motivorum, quibus et revelationis et Ecclesiæ existentiæ nititur, ad hanc veritatem facti certo tutoque agnoscendam pervenire.

118. 2<sup>o</sup> Potest hinc jure optimo theologus, per eandem viam *logica methodo* ratiocinio factisque contexta, demonstrationem, quæ plenam probandi ac adversarium convincendi vim habeat, conficere; unde nil vetat, quominus sana ac solida philosophia quædam veluti præparatio ac quasi *propædeutica* ad fidem dicatur.

119. 3<sup>o</sup> Quoniam vero christiana ac catholica veritas sub pluribus variisque aspectibus utiliter inspicere ac probari potest, ne rejicienda quidem est *methodus*, quam dicunt *historicam*, qua nempe per continentem historicam omnium populorum, religionum, sectarum philosophicarum comparisonem ostendatur,

christianam et catholicam Religionem eam tantum esse, quæ hominis humanæque societatis universæ necessitati ac destinationi plenissime ac perfectissime respondeat (1).

120. 4<sup>o</sup> Omnes tamen ejusmodi, licet validissimæ, sive magis logicæ sive magis historicæ probationes sint, voluntatem in Religionis veritate inquirenda bene ac sincere comparatam requirunt. Quare nil magis quam rectæ ejusmodi animi dispositiones sunt cuivis a theologo inculcandæ, ut philosophia, quæ donum etiam Dei est, suum recte munus veræ divinæ fidei cognoscendæ præstare queat (2).

## ARTICULUS II.

### *De abusu rationis ante fidem.*

121. Abunde satis de recto rationis usu ante fidem hactenus disseruimus; superest, ut juxta præstitutum nobis ordinem de ejusdem ante fidem rationis abusu nonnulla saltem breviter adjiciamus. Rationis porro ante fidem abusus nomine scientifica illa placita seu systemata philosophica significamus, quæ cum sus-

(1) Digni sunt qui legantur, hac super re, duo articuli in *Annales de Philosophie chrétienne*, num. 13, Janvier, et n. 16, Avril 1841, *Plan d'une défense du Christianisme, et plan d'une démonstration du Catholicisme par la méthode historique*, auctore prof. ab. H. De Valroger. Longissime porro hic auctor abest a legitima rationis vi infirmanda, quin immo refellit placita Lamennejana, ac probat omnino methodum ratiocinii seu *logicæ deductionis*, quam tot apologetæ utiliter secuti sunt. Sed tamen pro varietate ingeniorum ac temporum nostrorum ratione, quæ studiis historicis imprimis delectatur, hanc novam de-

fensionis methodum magis *historicam* (licet et altera historiæ etiam innitatur) veluti in subsidium adsciscit. *En un mot*, ait, *l'histoire tout entière peut devenir une préparation et une démonstration évangélique dans des proportions colossales.* Art. 1, pag. 31.

(2) Hinc cl. Gerdilius sapienti consilio operi suo philosophico, *Introduzione allo studio della religione*, aliud præmiserat: *Delle disposizioni dello spirito nello studio della religione*, quod utinam pervulgatum esset apud illos ætatis nostræ philosophos, qui christianismum nescio quem *a priori* sibi confingunt.



ceptione fidei componi nullatenus possunt, sive quia *directe* viam in antecessum illi omnino præcidunt, sive quia *indirecte* id ipsum efficiunt, dum basim, ut ita dicam, ac fundamentum latenter subruunt ac demoliuntur, cui illa inniti debet, ac subjectum ineptum reddunt ad eandem fidem suscipiendam. De utraque ejusmodi placitorum classe distinctis paragraphis agemus, in quarum altera de philosophicis illis doctrinis disseremus, quæ *directe* fidei susceptioni opponuntur, in altera vero de illis, quæ *indirecte* eidem obsistunt. Quum autem ex præjactis *Prænotandis*, atque ex iis, quæ in totius præcedentis articuli decursu constitimus, facile innotescant ejusmodi systemata, hinc, ut brevitati prospiciamus, soluta methodo in classes ea redigemus, opportunas interserendo animadversiones, quæ junioribus theologis commodo ac usui esse poterunt. Nec enim nobis propositum est systemata ejusmodi philosophica ex professo refellere, cum hæc aliorum provincia sit; sed unice ea spectare debemus in relatione, quam habent ad fidem.

### § 1.

*De philosophicæ doctrinæ placitis, quæ directe fidei susceptioni adversantur.*

122. Nihil dicemus de atheismo *formali*, tum quod ratum habeamus, nullos dari atheos posse speculativos, tum quod si reipsa darentur, spectari deberent veluti rationalitatis humanæ monstra; nec aliter sentiendum de iis qui talem Deum admittunt, qui Deus non est, cui scilicet providentiam denegant, bonitatem ceterasque divinitatis proprietates. His igitur dimissis, quos suo loco refellimus (1), de pantheismo, materialismo, fatalismo ac, ut vocant, *determinismo* pauca singillatim delibabimus (2).

(1) In tract. *De Deo* part. 1, cap. 1, prop. 1, et part. iv, cap. 1, prop. unica.

(2) Nihil hic speciatim de *Rationalismo* proprie dicto attingimus, eo quod

debeamus inferius de illo agere, ejusque genesim ac varias veluti phases exponere. Tantum adnotamus, rationalismum esse vel stricte *theologicum* vel



## I. De Pantheismo.

123. Pantheismus, qui quovis tempore plus minus philosophiam infecit, ætate hac nostra longe lateque diffusus est, ita ut vere *hæresis seculi XIX* fuerit nuncupatus (1). Multiplices

pure *philosophicum*. Primum impetit fundamenta revelationis, miracula, prophetias, inspirationem sacr. Librorum, ac singula dogmata christianæ fidei. Alterum pertinet ad illud philosophandi genus, quod progreditur ex puris conceptibus abstractis intellectus, atque ab iis *realitatem objectivam* rerum a priori educit. Hinc *comprehensionem* cujusque rei scientiamque *absolutam* exigit; *logicam* demonstrationem in primis ipsis principiis ac internis factis requirit; certitudinem omnem præter *mathematicam* rejicit; quidquid positivum ac historicum est, repudiat. *Philosophicus* iste rationalismus, qui vel ad idealismum vel ad pantheismum ducit, cum rationalismo *theologico* intime connexus est, ut per se patet. Atque hæc de vero *rationalismo*. Nil enim opus est dicere de pessimo illo maximeque dolendo abusu, quo ejusmodi vox ætate hac nostra usurpata est in illos, qui *legitima* rationis jura circa veritates metaphysicas ac morales, nec non circa credendi motiva revelationis vindicant. Ex quo consequeretur, Patres ac doctores Ecclesiæ *rationalistas* fuisse, ac Ecclesiam ipsam per plura sæcula in scholis suis philosophicis ac theologicis *rationalismum* ubique doceri impune tolerasse!

(1) Cfr. Maret, *Essai sur le panthéisme dans les sociétés modernes*,

Paris 1841, Préf. pag. 16, in quo quidem opere plura sunt valde utilia et commendanda, licet non omnia nobis probentur. Maximum porro argumentum pantheismi ætate hac nostra invalescentis sunt præconia, quæ impius Spinoza ejusque atheismus philosophicus tum in Germania tum in Galliis extollitur. Recte dixeris, hanc esse veluti normam quamdam infallibilem, qua de pantheistica tendentia scriptorum judicare possumus. Sane Schleiermacher vocat Spinozam *Sanctum repudiatum... qui ideo solus relictus est, quia plenus erat religione ac Spiritu Sancto*, etc. Hæc aliaque ejusmodi habet in *Reden über Religion*, seu *Sermones de religione*, 1841, IV edit. Sic Ahrens, *Cours de philosophie*, Paris 1838, Spinozam ab atheismo ac pantheismo mordicus defendens, hanc accusationem ab iis proficisci dicit, qui *s'enfoncent dans une ignorance complète sur la nature de Dieu, et qui veulent ainsi attaquer de l'ignorance dans les choses divines le savoir de Spinoza, ou qui, comme Hegel dit très-bien, veulent combattre avec leur rêve de Dieu Spinoza éveillé en Dieu*. tom. 1, pag. 237. Lerminier suspicit in Spinoza sublimem divinitatis adoratorem. Quis demum non miretur, cum audiat Cousin ipsum (de cujus doctrinis nullam ferre volumus judicium),

porro sunt formæ, sub quibus modo aperte se prodit, modo occulte se tegit, semper tamen idem deprehenditur velut fidei eversivus, ejusque irreconciliabilis hostis. Ejus enim characteristicæ notæ sunt identificatio finiti cum infinito, cujusvis limitatæ intelligentiæ cum absoluta, confusio Dei cum mundo, unitas substantiæ, etc. Ex quo suapte natura dimanant necessitas ac fatalismus, boni ac mali moralis destructio, aliæque ejusmodi non minus absurdæ quam impiæ consecutiones. Ad tres præcipuas species revocari pantheismus potest; est enim aut *rationalisticus*, aut *historicus*, aut *mysticus*.

124. Pantheismus rationalisticus, ex principiis rationalibus *a priori* procedens, sese per *immediatam* ac *concretam* intellectualem intuitionem illico transfert in *Esse* realissimum absolutum, in quo invenire sibi fingit identitatem absolutam omnium entium, naturæ ac spiritus, τὸ *Ego* et *Non-Ego*, subjecti et objecti, puri *cogitare* et puri *esse*. Hinc de scientia rerum omnium *absoluta* ac de ipsius *Esse* absoluti *comprehensione* sibi blanditur. Ad hanc pantheismi speciem facile jam inducebat systema *absoluti Ego* uti fontis cujusvis realitatis a Fichteo excogitatum; ast notum est, Schellingium illum fuisse, qui, ad oppugnandum idealismum constituendumque realismum absolutum, systema theoreticæ invexit *identitatis*, asseruitque, *naturam esse fundamentum existentia Dei* (1), eandemque in Deo *consubstantialem esse spiritui*, quamvis in externa tantum manifestatione ac forma sit ab illo diversa. Verum materialistica ejusmodi philosophia naturæ, utpote omni philosophico fundamento destituta, uti poësis potius quam philosophia habita a plerisque est, et

in suis *Fragments philos.* Paris. 1838, tom. 2, pag. 164 et seq. dicentem : *Loin d'être un athée, comme on l'en accuse, Spinoza a tellement le sentiment de Dieu, qu'il en perd le sentiment de l'homme... Ce livre est au fond un hymne mystique, un élan, un soupir de l'âme vers Celui qui seul peut dire légitimement : Je suis celui*

*qui suis... L'auteur, auquel ressemble le plus ce prétendu athée, est l'auteur inconnu de l'Imitation de Jésus-Christ.*

(1) Cf. Schelling, *Philosophische Schrift.*, seu *Scripta philosophica*, pag. 429; Baltzer, op. cit. fasc. 1, pag. 42 et seqq.



ab auctore ipso prius varie modificata, demum etiam, saltem ex parte, reprobata fuisse videtur (1).

125. Ast longe subtilior est pantheismus spiritualisticus Hegelianus, qui quoniam magnum adhuc in Germania et in Galliis influxum exercet, nec paucos etiam catholicos sinceros ad quamdam sui admirationem illexisse videtur, absonum haud erit, lineamenta saltem quædam illius hic designare. Hegel itaque non *naturam*, uti Schellingius, sed *spiritum* in Deo quæsit; ipse non spectavit Deum velut *Ens*, quod existit ab æterno in absoluta identitate sua, sed veluti *Ens*, quod evolvitur, quodque in diversis hujus suæ evolutionis gradibus diversos constituit ac successivos existentiae seu entium ordines. Deus in *logica* concipitur *in se*, in æternitate suarum essentialium fundamentalium. Ast, cum in hoc statu consistere non possit, necesse est, ut sese evolvat *extra se* in multipliciæ externa entium naturæ; hinc habetur *philosophia naturæ*. Verum neque potest in hoc statu *exterioritatis* ac transitionis subsistere; sed opus est, ut ex hac multipliciæ se iterum recipiat in unitatem sui *esse*, et *Spiritus* evadat; exinde oritur *philosophia spiritus*. Tunc demum *Ens* absolutum acquirit cognitionem, *conscientiam sui*, fitque personalitas infinita. Talis est *Trinitas logica continua* Hegelii. Deus hoc logico processu prius seu *immediate* revelat se naturæ universæ, deinde *immanenter* in hominis conscientia et hic se complet; ita ut, asserente Hegelio, *sine homine et mundo Deus completus non esset, neque adhuc esset Deus* (2). Pantheismus hujus systematis evidens est, quin illum pluribus evincamus (3).

(1) De variis hisce Schellingianæ doctrinæ vicibus, præter *Revue du Nord*, Paris 1835, Amand Saintes, in *Histoire critique du rationalisme en Allemagne*, Paris 1841, pag. 324, hæc habet: *Dans la suite la doctrine de Schelling a subi diverses transformations; on assure qu'il ne donnera qu'à la fin de ses jours le dernier mot*

*de ses enseignemens. C'est attacher peu d'importance à la vérité que de tarder à en faire jouir ceux qui ne peuvent bien vivre que par elle.*

(2) *Hegel's Religions philosophie*, seu *Philosophia religionis*, opp. tom. xi, pag. 140, tom. xii, pag. 151 et 330.

(3) En quid Germanicus auctor Weisse, a Baltzer relatus, habet de



126. Pantheismus *historicus* est necessaria Hegeliani systematis emanatio. Quippe cum Hegel Deum in continua evolutione sui in mundo et in humanitate spectet, sequitur, historiam hominis complecti necessarias manifestationes Dei ipsius. Hinc historia scientiam omnem continet, totam vitam, moralitatem, religionem, artem, in formis multiplicibus suis consideratas; proindeque errores quoque omnes morales ac religiosi, quos refert historia, non sunt nisi necessariæ Dei evolutiones. Idcirco historia nuncupata fuit *inflexibilis geometria*, in qua omnis epocha omnisque doctrina lege quadam fatali immutabiliter evolvitur. Exinde apotheosis errorum omnium hominis in Deo. Deus est in omnibus, omnia efficit, est omne (1); exinde systema *progressus indefiniti, perfectibilitatis indefinitæ* humanitatis; exinde denique lex jugis transformationum et immutationum, uti mediorum progressus, quam adeo deprædicat Lerminierius (2).

pantheismo Hegeliano : *In Hegeliana philosophia videmus pantheismum ad eum apicem perductum, in quo necesse est, ut ipse se talem, qualis revera est, aperte declaret, dum prius poterat quodammodo se abscondere sive in ideæ (absoluti), quæ ejus fundamentum est, indeterminatione nondum scientifice superata, sive in difficultate partiali eam cognoscendi. Religiöse Zeitschrift, etc. seu Ephemerides religiosæ pro catholica Germania, 1833, tom. 1, fasc. 1, pag. 40. Ipse Ahrens, qui, quidquid de se asserat, pantheistice omnino philosophatur, tale de Hegelio profert judicium, op. cit. pag. 60 : Quand Hegel dit que la nature aboutit à l'esprit, comme à sa conclusion, il ouvre un large champ à l'imagination, après l'avoir fermé à l'intelligence. De quelque manière qu'on veuille représenter cette idée, jamais, si on n'adopte pas les hypo-*

*thèses matérialistes, on ne fera concevoir comment la nature pourra se développer à devenir esprit. Unde patet, omnes istas spiritualisticas doctrinas pantheisticas in abjectam demum materialismum omnino recidere.*

(1) *L'esprit humain (ait Lerminier, qui hanc theoreticam historicam exhibet) est une perpétuelle et nécessaire révélation de Dieu. Dieu ne paraît sur cette terre que dans l'homme et que par l'homme. Dieu renouvelle sa face à des époques fatales, etc. Cfr. Maret, op. cit. pag. 41 et seqq.*

(2) *Le droit, ait ipse, la sociabilité, la science se développent en se détruisant d'époque en époque... La religion est à la fois et successivement une philosophie, un gouvernement, une tradition... Quand la religion s'arrête, la philosophie poursuit et prépare pour les sociétés d'autres croyances et d'autres symboles, etc.*

127. Pantheismus *mysticus* innititur vago et indefinito cui-dam interiori sensui (*sentimento*), quo animus immediate apprehendit vitam suam *consubstantialem* in Deo, qui, utpote infinitus amor, se manifestat in spiritu et natura. Idcirco hæc pantheismi species non in speculatione tantum metaphysica sistit, uti *rationalisticus*, sed sese effundit in mentis entusiasmum atque jugem animi activitatem (1). Ejusmodi pantheismus constituit doctrinam essentialem sansimonianismi, qui in ea fundat novam illam *reconstructionem* seu *reordinationem* societatis humanæ, illumque neo-christianismum, cui jugiter adlaborat (2). Ex sansimonianismi sinu alia prodivit schola, ad pantheismum item declinans, juxta quam vita hominis, constituitur in *traditione vivente et actuali humanitatis*, et in hac traditione fundatur magnum progressus et perfectibilitatis continuæ dogma (3).

Cfr. Maret, loc. cit. pag. 43, qui cl. auctor præterea persequitur ibi theorias historicas, ab eclectismi sectoribus, a Michelet aliisque gallicis scriptoribus adornatas, ac ostendit, eas omnes ab Hegelianis fontibus promanasse, ac pantheistica labe corruptas esse.

(1) Hoc pantheismo mystico infecti fuerunt medio ævo non pauci sectarii, uti Amaurus Carnotensis, David de Dinando, Beguardi, Lollardi, fratres ac sorores *spiritus liberi*, aliique. Cfr. Moëhler. *Symbolique*, tom. 1, pag. 274; necnon seculo xvi, Zwinglius, cujus in hanc rem plura profert luculentissima testimonia hic idem auctor, op. et loc. cit. Eidem doctrinæ adhærere visus est recens Schleiermacher, præsertim si ejus doctrinæ cum iis, quæ de Spinoza prædicavit, connectantur. Cfr. Saintes, op. cit. *Hist. critique*, etc. pag. 362. Moëhler, postquam ostendit Lutherum ad errores Gnosticorum, Zwinglium ad placita pantheistarum declinasse, ac

proinde systemata philosophica gnostica et pantheistica recentius prolata non esse nisi sequelas necessarias principiorum, quæ ab illis reformatoribus constituta sunt, concludit: *Schleiermacher, malgré ses nombreuses déviations de la doctrine de ses maîtres, est à notre avis le seul vrai disciple des apôtres de la réforme*. Ibid. pag. 282.

(2) Cfr. quæ scripsimus de Sansimonianismo, in tract. *De Deo*, part. II, cap. I, prop. III. Cfr. etiam Maret, op. cit. pag. 54 et seqq.

(3) Talis est philosophica et historica doctrina, quæ dicitur *du progrès continu*, quæ prius se prodebat in ephemeridibus sansimonianis, *La Revue encyclopédique*; sed recentius systematice evolvitur in nova encyclopedia, *l'Encyclopédie nouvelle*, a Leroux, Reynaud aliisque redacta, veteris Encyclopediæ Gallorum incredulorum emulatrice. Hoc porro opus est indigestus quidam ac informis syncretismus e placitis philo-



128. Jam vero pantheismus, sub quovis triplicis hujus formæ respectu consideretur, non obstante entusiasmo ac religioso affectu, in quem interdum videtur erumpere, directe ducit ad destructionem divinæ naturæ, proindeque et ad fidei impossibilitatem. Hinc omnia systemata pantheistica hujus ætatis in Germania et in Galliis eo demum tendunt, ut considerent Christianismum tanquam Dei manifestationem, quæ jam præterit, ut locum cedat novæ manifestationi divinæ perfectiori, hominisque indigentia magis accommodatæ. Veritas semper mobilis est, varia et progressiva. Religio novis continenter formis induitur (1).

sophicis neo-germanicis, ex mythicismo ac symbolismo, ex materialismo ac spiritualismo conflatus. Quæ de vita ac evolutione humanitatis, de infinitate ac æternitate mundi, etc. ibidem profertur, purum redolent pantheismus. Vide præsertim artic. *Ciel*. Optime L. Montet, auctor articuli circa opus : *Études sur le Timée de Platon par M. Henri Martin*, Paris 1841, inserti *Bibliothèque universelle de Genève*, n. 73, Janvier 1842, adnotat de pantheisticis placitis universim : *Tous ces systèmes, qu'on les prenne soit en Allemagne, soit en France, soit en Hegel ou dans M. Leroux, ont pour point de départ une hypothèse, et reposent sur un fait... que le fini et l'infini ne sauraient exister en même temps*. Quod principium pantheismi fundamentum, ut notum est, constituit.

(1) Uno verbo, neoterici isti humanitatis instauratores eo spectant, ut ad novam philosophiam, novum bonarum artium genus, novam societatem, novam religionem, christianismum nempe *humanitarium*, creandam perveniant. Horret porro animus referre blasphemias,

quæ in Religionem christianam ab istis evomi solent. Auctores Novæ Encyclopediæ, qui in *traditione* vitam humanitatis collocant, historicam interea veritatem destruunt, omniaque mythis symbolisque complent. Christianam Religionem a *connubio* enatam esse aiunt *orientalium dogmatum cum græca philosophia*, art. *Alexandre*, tom. I, pag. 264; item *ethnicismum incunabula ejusdem fuisse*, art. *Arianisme*, tom. I, pag. 811. Alibi clare decernunt : *La philosophie a triomphé du christianisme en l'attaquant par son côté faible, c'est-à-dire, en pulvérisant ses mythes et ses symboles*, art. *Christianisme*, tom. III, pag. 556. Egregie auctor cit. articuli *Bibliothèque univers. de Genève*, postquam retulisset clamores neoteritorum istorum incredulorum : *Le christianisme est fini, il a fini son temps, il a dépensé ses forces à nous mener au point où nous en sommes*, concludit : *Comme si le soleil, pour l'avoir éclairé six mille ans, ne jetait pas encore au monde ses flots de lumières!*



129. Post levem hanc veri pantheismi adumbrationem, æquitas postulat, ut catholicos aliquos viros a nota vindicemus, quam nonnulli nimia facilitate eis inurunt, tendentiæ ut vocant pantheisticæ, eo quod illi interdum minus caute locuti sint, aut quod illecti præsertim ex systemate Hegeliano, quod fertur immediate in Deum ac Deum ubique intuetur, ad aliquas Hegelii ideas philosophando accesserint (1). Certe majore ipsis cautela ac magis perspicua doctrinarum suarum explanatione opus fuisset, ne suspicionem de se ingererent; verum cum aliunde constet de recta ipsorum fide ac religione, nulla est ratio, quare ob inconsideratas loquendi formulas ubique pantheismum videre debeamus, ac non potius eas ad rectiorem sensum pertrahere (2).

(1) Prof. Baltzer totus in eo est, ut opere suo pluries a nobis citato ostendat pantheismum, præsertim Hegelianum, nunc temporis non modo apud Protestantés, sed etiam apud plures Catholicos in Germania, late grassantem. Hinc pantheisticæ alicujus tendentiæ haud paucos etiam scientia ac pietate commendatos viros, Staudenmayer, Klee, Drey, Oehler, etc. locis eorum in medium allatis, incusat, licet ingenue profiteatur, se nolle quidquam religioni illorum detrahere, sed tantum naturam et consecraria persequi doctrinarum. Nos aliquid damus Baltzerio, uti ex iis, quæ hic proferimus, patet. Attamen illud etiam addimus, plura ex allatis ab ipso locis posse saniori sensu intelligi; ac præterea Baltzerium non aliud philosophandi genus ut legitimum admittere quam suum (ab Hermesio nempe haustum, licet haud parum reformatum), quo fit ut in iis, qui secus philosophantur, facile pantheismum ubique sibi videre videatur.

(2) Certe cum ætas nostra adeo ad

pantheismum prona sit, nil catholicis scriptoribus antiquius esse deberet, quam eas locationes haud satis determinatas, aut etiam placita devitare, quæ pantheisticæ huic tendentiæ ansam præbere possunt. Ut aliquid hac de re singillatim attingamus, nobis satis probari non possunt affirmationes hujusmodi, quæ in aliquibus egregiis Germaniæ ac etiam Galliæ scriptoribus catholicis occurrunt. 1<sup>o</sup> Quod conscientia *nostræ Ego finiti* identificetur cum conscientia *infiniti et absoluti*, nempe Dei, ita ut, nisi percipiamus *immediate absolutum*, ne quidem percipere possimus *nostrum Ego*. Hoc recidit in principium philosophiæ eclecticæ, quod in primo actu perceptionis anima percipit se, mundum et infinitum, veluti *Trinitatem quamdam in unitate*. 2<sup>o</sup> Quod *finitum* non sit nisi *mera negatio infiniti*, ac proinde *Non-ens*, quo innui videretur finitum ac conditionale ne existere quidem, atque hinc ad placitum neo-Germanicæ philosophiæ deveniretur, quæ nempe, confundens rē

130. Sic ab omni pantheismi suspicione multo magis alieni dicendi sunt, qui cum Petavio præsertim ac Thomassinio (1) tenent, Deum seu Spiritum Sanctum conjungi cum anima justi *ὁμοιωδεις*, ipsa nimirum substantia, non autem efficientia dumtaxat ac gratia, uti qualitate quadam creata. Hæc enim *substantialitas*

existere *per se* et existere *a se*, affirmat, quidquid non existit *per se*, id est, *absoluto* modo, non esse, unde consequitur, unam tantum substantiam *per se* existere, scilicet *absolutam*. 3<sup>o</sup> Quod naturalis illa revelatio Dei aut Verbi, quo sive per animæ rationalis lumen, sive per opera externa mundi se manifestat, sit *incarnatio* Verbi, τοῦ Λογοῦ, in quovis homine ac in mundo. Hinc nonnulli ex dictis auctoribus loquuntur de una magna et *universalis*, ac de altera *particulari* incarnatione τοῦ Λογοῦ; hinc eo deveniunt, ut asserant, *altitudinem, latitudinem, longitudinem ac profunditatem universi esse magnam illam cosmicam incarnationem Verbi*. Hæc certe intemperantis ingenii seu potius phantasie sunt ac reprobanda. Et quoniam nonnulli variis modis abutuntur hæc naturali revelatione, seu *illuminatione Verbi*, quæ *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, libet præclarum S. Cyrilli Alex. locum describere, qui *Comment. in Joan.* edit. cit. Parisiens. 1638, opp. tom. IV, pag. 75, ita rem explanat: Ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ Λόγος φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενοι εἰς τὸν κόσμον οὐ διδασκαλικῶς, καθάπερ ἄγγελοι τυχεῖν, ἢ καὶ ἄνθρωποι, ἀλλὰ μᾶλλον ὡς Θεὸς δημιουργικῶς ἐκάστα τῶν εἰς τὸ εἶναι καλουμένων σπέρμα σοφίας, ἧτοι θεογενώ-

σίας ἐντιθησι, καὶ ῥίζαν ἐμφυτεύει συνέσεως, λογικόν τε οὕτως ἀποτελεῖ τὸ ζῶον τῆς οἰκείας φύσεως μέτοχον ἀποδεικνύων, καὶ τῆς ἀφραστοῦ λαμπρότητος ὥσπερ τινὰς ἀτμοῦς φωτισθεῖς ἐν εἰς τῶν νῶ, καθ' ὃν αὐτὸς οἶδε τρέπον τε, καὶ λόγον... φωτίζει τοιγαροῦν δημιουργικῶς μὲν ὁ Υἱὸς. *Dei Verbum*, inquit, *illuminat omnem hominem venientem in mundum, non docendo, ut Angeli, verbi gratia, vel homines, sed potius ut Deus, creando; unicuique rei in ortum eductæ sapientiæ sive cognitionis divinæ semen indit, et intelligentiæ radicem inserit, atque ita rationale animal efficit, naturæ illud suæ particeps reddens, et ineffabilis sui splendoris lucidos veluti quosdam vapores ejus animo immittens ea ratione ac modo, quo ipse novit... Illuminat igitur ut opifex Filius*. Ubi etiam attendendum ex Cyrillo, Verbum non δημιουργικῶς, sed διδασκαλικῶς, id est, non *magistraliter*, sed *creative*, scilicet creando animam illuminare, per naturale lumen rationis. Plures aliæ animadversiones fieri possent circa locutionum saltem intemperantiam, quæ etiam in optimæ mentis scriptoribus offenduntur; sed nec prolixi nec acerbi nimis esse volumus.

(1) Petav. *De Trinit.* lib. VIII, cap. 5, 6, 7; Thomass. *De Incarn.* lib. VI, a cap. 10 ad 20.

ad Deum ipsum, qui se communicat, non autem ad *unionem* refertur, perinde ac si anima fieret *consubstantialis* Deo, aut Deus cum ipsa *hypostatice* uniretur, quæ absurda sunt, et a Patrum ac doctorum mente, qui illam sententiam tuerentur, omnino abhorrentia. Hæc enim quantumvis arctissima unio semper manet et est *accidentalis*. Quapropter immerito nonnulli, qui timuerunt, ubi non erat timor, in adversam forte sententiam prolabi visi sunt, non aliam fere gratiam sanctificantem admittentes, quam quæ consistit in favore quodam Dei ac benevolentia juxta placita Lutheranorum.

131. Neque pariter incusari pantheismi possunt, quos in philosophia sectari delectat aut systema de ideis innatis, aut systema platonicum aut malebranchianum (1). Quidquid porro de ejusmodi placitis philosophicis sit, quorum nostrum non est hic ferre judicium, qui professi sumus, ea nos haud spectare, nisi quatenus relationem habent ad fidem, non possumus tamen eos non

(1) Cum nobis propositum sit eas tantum philosophicas doctrinas attingere, quæ absque fidei dispendio sustineri nequeunt, hic ad rem nostram animadvertimus: 1° Doctrinam, a non paucis etiam theologis olim præsertim defensam, de aliquibus ideis humanæ menti congenitis, nil habere quod vel leviter pantheismi errorem redoleat; Patres etiam quandoque Dei cognitionem *naturalem* dixerunt; etsi ipsorum loca commode explicari queant de facillima ac veluti spontanea hujus notionis acquisitione, juxta S. Thomæ expositionem. 2° Qui ideas saltem universales immediate a Deo ipso animæ exhiberi defenderet, aut unicam in mente hominis universalem ideam existere tueretur, quæ instar cujusdam supremi luminis a Deo inditi ceteris ideis efformandis facem veluti præberet, nil etiam cum pantheismo haberet com-

mune. 3° Malebranchii demum placitum, quodque etiam a Thomassinio jam fuerat defensum, quo res in ipso Deo nos videre contendit, scilicet in ideis ipsis archetypis Dei, si illæ explicationes præ oculis habeantur, quibus Malebranchius ipse suam mentem aperuit, ac præsertim eo sensu quo a Gerdilio fuit explanatum, pantheismo immune est; nec possumus effatum illud Cousinii non improbare, dum vocat Malebranchium *le Spinoza chrétien*. Attamen magna certe cautela ac præcisione idearum opus est, ne, qui tale systema sectantur, pantheismo aditum aliquem aperiant. Certe Malebranchius nunquam docuit, nos absolute Dei substantiam, aut ipsam essentiam videre, quinimmo id a se repulit (Cfr. Gerdil. *Défense de Malebranche*, opp. tom. iv, pag. 164); quod tamen nonnulli recentiores sibi permittunt.



improbare, qui horum systematum obtentu vellent omnes existentiae Dei demonstrationes, quae ex creaturis efficiuntur, veluti *rationalisticas* eliminare (1). In quo isti aperte se opponunt, ut patet ex dictis, tum Scripturis, tum agendi rationi, quam Patres et doctores hactenus tenuerunt. Hoc vere esset philosophiam cum theologia committere, imo cum sensu traditionali sacrae totius antiquitatis, quod christiano philosopho multoque magis theologo cavendum maxime est (2).

## II. De Materialismo.

132. Materialismum, qui totum hominem ad meram, ut vocant, *organisationem* revocat, cum fide haud posse consistere, seu verius aditum omnem fidei praeccludere, evidens est, quin pluribus id persequi sit opus.

133. Materialistica philosophia, si ita licet doctrinam, quae

(1) Hoc porro fere commune videtur iis, qui Hegelianis placitis, etiamsi ad meliorem sensum revocatis, in Germania praesertim adhærent. Cum enim ipsi ex ea, quam vocant *immediata immanentia* objecti seu Entis absoluti ac infiniti proficiscantur, ac tantum ex ea nos posse ad Deum, immo ad quidquam certi cognoscendum assurgere afferunt, hinc argumentum metaphysicum ex creaturis contingentibus ope principii causalitatis deductum, vel etiam argumentum physicum ad Dei demonstrandam existentiam parvi aut nihili faciunt. Hi porro animadvertere deberent, id certe in Hegelio iisque, qui cum ipso pantheismum sectantur, plane cohærere, quippe qui finitum cum infinito, conditionale cum absoluto identificare conantur; unde etiam Ahrens, *Cours de Philosophie*, tom. 2. pag. 159-266, illa argumenta infr-

mat, ac nonnisi ex analysi ideæ absoluti ac necessarii cum Krause vere ad Deum ascendi posse contendit. Ast in catholicis philosophis ac theologis, qui certe verum inter Creatorem et creaturam *dualismum* admittere debent, ac quamvis pantheismi speciem exhorere, quid magis incongruens esse potest, quam illorum argumentorum vim cum Kantianis atque Hegelianis elevare? Certe qui unquam inter catholicos vel ideis innatis adhæserè, vel etiam platonica aut malebranchiana placita aliquo modo amplexi sunt, non ob id demonstrationes illas existentiae Dei repudiarunt, sed eas uti validissimas adhibuere. Possent hic recenseri inter ceteros Bossuet, Fenelon, Du Hamel, Gerdil, etc. aliique permulti, ut de Patribus, ac praesertim Augustino, sileamus.

(2) Cfr. superius dicta.

omnem destruit philosophiam, appellare, longe lateque seculo elapso dominata est, illique innitebantur systemata fere omnia, quæ religioni christianæ erant infensa eamque oppugnabant. Quamvis porro ob tendentiam spiritualisticam, quæ obtinuit præsertim in Germania, ætate hac nostra minus diffusa sit materialistica doctrina, non idcirco tamen destitit ab omni progressu atque a fructibus exitialibus producendis. Circumvallavit se quippe in scientiis naturalibus, saltem in physiologia ac medicina; hinc istæ identificare se omni ope vellent cum ipsa psychologia; quo fit ut adhuc in non paucis ejusmodi disciplinarum libris purus doceatur materialismus (1). Progressus insuper cranilogiæ ac phrenologiæ, sub specie novi cujusdam fontis scientifici parum aut nihil hactenus comperti, haud parum contulerunt ad doctrinas materialisticas disseminandas. Cum igitur valde intersit juniores theologos præmunire adversus influxum, quem pessime exercent novæ theoriæ physiologicæ ac phrenologicæ, juverit hic aliquid summis saltem labiis ex illis attingere.

(1) *Sous l'empire du matérialisme philosophique, la médecine elle-même, depuis une vingtaine d'années, est devenue toute matérialiste, tout anatomique.* Ita cl. Debreyne, *Pensées d'un croyant catholique, ou considérations philosophiques, morales et religieuses sur le matérialisme moderne*, Paris 1839, pag. 44. Cfr. præsertim *Introduction*. Consonat ipsi cl. Forichon: *Le matérialisme ne fut jamais aussi positif qu'aujourd'hui; il a ses chaires et ses feuilles publiques; il veut contribuer à l'enseignement du peuple et participer aux progrès de la science. Le matérialisme et la phrénologie combattus dans leurs fondemens*, etc. Paris 1840, Préface, pag. 100 et seqq. Cæterum, ne opera Darwinii, Richerandi aliorumque nominemus,

utpote jam nimis antiqua, in *Manuel de chimie organique* de Raspail sermo est *du fluide qui alimente la pensée et détermine la volonté; la volonté est le résultat d'une combinaison atomistique entre deux élémens subtils et impondérables.* In *Magazin für Seelenkunde*, seu *Collectio pro scientia psychica*, a doct. Friedreich redacta, 1830, fasc. 3, pag. 57, legitur: *Ce qu'on appelle âme n'est que l'activité du cerveau, et en général des parties supérieures du système nerveux; le cerveau pense comme l'estomac digère.* Sed ne nimis prolixus sim sat est citare *Journal des applications de la physiologie animale à la physiologie sociale par l'observation exacte*, periodicas ephemerides trimestriales, Parisiis editas ab an. 1837.



134. Errores omnes physiologiæ materialisticæ proveniunt imprimis ex eo, quod ejus cultores nolint distinguere 1<sup>o</sup> inter *sentire et intelligere*, res nimirum essentialiter diversas (1), 2<sup>o</sup> inter *impressionem ac sensationem*, 3<sup>o</sup> inter principium *sensiferum* et principium *sentiens*; quo fit ut permisceant physiologiam cum psychologia, facta item istius cum factis illius, id est, facta simplicia et immaterialia spiritus cum factis materialibus materiæ organicæ. Jam vero physiologia attingere nequit nisi *observationem externam*, ac medium, quod recipit impressionem eamque utpote *sensiferum* transmittit; ast nullo pacto potest attingere *observationem internam*, facta *conscientiæ*, *sensationem* proprie dictam, quæ propria est principii sentientis, quod scilicet nequit nisi simplex esse ac immateriale. Totus proinde hic secundus rerum ac elementorum ordo spectat ad psychologiam. Verum quidem est, ambos ordines juvare se invicem posse ob arctam communicationem et commercium, quo duæ substantiæ, unde oritur humanum compositum, inter se copulantur. Hinc damus, physiologum ac medicum sedulo posse effectibus ac habitudinibus studere, quas super organicam substantiam interiores affectiones facultatesque animi intellectuales producant; ast id non nisi *indirecte*, quoniam *directa* cognitio, exclusive deferenda ad psychologum est. Sic etiam utiliter potest psychologus iis studere, quæ pertinent ad physiologiam, quippe ex variis habitudinibus ac functionibus corporis organici cognoscere valebit relationes, quas illæ habent, et influxum, quem possunt super functiones intellectuales ac morales spiritus exercere; ast pariter hoc non nisi *indirecte*, quia cognitio *directa* physiologo exclusive est

(1) Nonnulli e recentioribus a Kantio repetunt accuratiorem distinctionem inter *sensum* et *intellectum* ac functiones ejusque proprias. Quidquid sit de hac *indirecta* utilitate ex Kantiana philosophia, quæ tamen per se recta ad empirismum ac materialismum ipsum ducit, distinctionem illam accurate ipsi

scholastici doctores tradiderant, sed præsertim S. Thomas: *Imaginatio*, ait ipse, *non est nisi corporalium et singularium, cum phantasia sit motus factus a sensu secundum actum, intellectus autem universalium et incorporalium est. Cont. gent. lib. II, cap. 67, et alibi passim.*



tribuenda. Igitur campus proprius observationis *externæ*, adeoque physiologiæ, est *corpus*; campus proprius observationis *internæ*, adeoque psychologiæ, *spiritus* est; nec debent hæ duæ scientiæ inter se unquam confundi, cum habeat unaquæque objecta adeo essentialiter inter se distincta, immo oppositæ plane naturæ (1).

135. Phrenologia definiri potest *doctrina de multiplicitate organorum cerebralium, ac locatione aut sede facultatum intellectualium ac moralium*. Haud dubium est, quin ea inservierit et adhuc inserviat ad fovendas doctrinas physiologicas materialisticas; siquidem ipsa alligat tot diversis organis functiones ipsas multiplices *intelligentiæ ad eum plane modum*, quo alligatæ ipsis sunt functiones *sensationis*. Quidquid porro de intentione fuerit præcipui hujus doctrinæ fundatoris, doctoris Gall, qui se ab impactis notis materialismi ac fatalismi purgare admissus est (2), nihilominus post egregia opera, quæ circa phrenologiam recentissime edita sunt, insequentes veritates colligi posse videntur (3). Ac 1<sup>o</sup> quod phrenologia, pluribus etiam ex factis, qui-

(1) Vide Rosmini, *Origine delle idee*, sect. v, part. v, cap. 16, art. 4, *Linea di confine tra la fisiologia e medicina e la psicologia*.

(2) In opere *Fonctions du cerveau*, tom. 1, pag. 231 et seqq. Certe principia a Gall posita saltem periculi plena sunt. *Les facultés spirituelles*, ait ipse, *n'agissent que par le moyen de la matière*. Quamvis igitur has facultates ab organismo distinguat, ita tamen pendentes ab illo facit, ut nullam immaterialem operationem præstare eæ posse videantur; quemadmodum vis attractionis, vis vegetativa, etc. Alibi affirmat, *que la liberté morale ne saurait exister qu'avec la pluralité des organes*. *Fonctions du cerveau*, tom. 1, pag. 307. Siquidem Gall necessarias voluntati ad

agendum impulsiones organorum existimat, ac sine iis eam nullo se pacto ad quidquam determinare posse; addit præterea, quod istæ impulsiones *finissent par l'emporter*, ibid. pag. 281, aliaque hujusmodi, quæ nisi mentem auctoris, doctrinam saltem ejus valde suspectam reddunt.

(3) Inter opera recentiora, quæ phrenologicum systema refellunt, eminent tum illud cl. Debreyne tum illud cl. Forichonii jam a nobis commemorata; qui quidem auctores, cum scientiam anatomicam ac physiologicam apprime calleant, imo profiteantur, iidemque sincero religionis studio præsent, magnæ hac in re esse debent auctoritatis. Recensendum etiam est opus doct. L. Cérise, *Exposé et examen critique du*

bus innititur, admissis, non existat uti *scientia* (1); 2<sup>o</sup> quod naturalistæ præstantiores ætatis nostræ nihili eam fecerint (2); 3<sup>o</sup> quod veris adversetur sanæ psychologiæ principiis, atque ipsis observationibus pathologicis evertatur (3); 4<sup>o</sup> quod stulta sit

*système phrénologique*, in quo plura utilia habentur; attamen auctor sansimonismo addictus falsa ac absurda principia sua ibidem admiscet, unde et a Debreyne, et etiam in articulo inserto in *Journal historique et littéraire de Liège*, fasc. 1, Nov. 1838, ob id opportune censura notatus fuit. Demum etiam Ahrens, cujus philosophiam pantheisticam vehementer cæterum improbamus, habet satis validam refutationem systematis phrenologici, in op. cit. tom. 1, pag. 221 et seqq.

(1) Aliud est enim loqui de singulis factis, aliud de modo illa explanandi, ac de legibus constantibus universalibus, necessariis, quas phrenologi velent inde colligere. Cæterum ex ipsis factis observatis plura legibus istis temere confictis refragari ostendunt citati auctores.

(2) *La phrénologie... comme système psychologique, c'est une conception contradictoire, comme théorie anatomico—physiologique, c'est une hypothèse complètement dénuée de preuves... Il est notamment remarquable qu'aucun des zoologistes français de ce siècle, qui ont si profondément étudié l'organisation des êtres vivants et la haute physiologie, ne s'en soit occupé. Cuvier n'en a jamais parlé qu'avec dédain. MM. Blainville, Geoffroy Saint-Hilaire, Serres, Flourens, Dutrochet, Dumeril, tous les physiologistes enfin dont le nom est connu*

*en Europe, y sont restés étrangers. En Angleterre il en est de même, sauf M. Combe... En Allemagne, berceau de l'organologie, cette prétendue science n'est guère connue que de nom. Ita Gazette médicale de Paris 1836, apud Debreyne, op. cit. pag. 260, ubi vide etiam præclarum aliud testimonium celeberrimi physiologi Magendie, qui phrenologiam vocat *pseudo-scientiam*, eamque lepide irridet, *Physiologie*, Paris 1836, tom. 1, pag. 246 et seqq. Potest etiam alius addi egregius physiologus Bérard, *Doctrine des rapports du physique et du moral*, etc. qui saltem indirecte eam refellit.*

(3) Quantopere phrenologica facultatum intellectualium ac moralium divisio, juxta varia organa cerebralia, arbitraria sit ac anti-psychologica, ostendit egregie Forichon, op. cit. pag. 112 et seqq. nec non Ahrens, *Cours de philosophie*, tom. 1, pag. 246 et seqq. Ad facta pathologica quod attinet, plura afferuntur ab eodem Forichon, quibus probatur: 1<sup>o</sup> Læsionem contigisse organorum cerebralium sine læsione facultatum intellectualium; 2<sup>o</sup> Facultatum istarum amissionem accidisse cum læsione organica, sed aliis plane punctis ab iis, quibus organa respectiva a phrenologis assignantur, ibid. pag. 138-148. Vide etiam ap. Debreyne, epistolam ad ipsum D. Spurzheim conscriptam de quodam singulari facto systemati phrenologico directe adversante, loc. cit. p. 261.

phrenologorum præsumptio, dum se contendunt posse tali systemate veram construere scientiam humanæ naturæ, novam ethicen creare, melioremque humanæ societatis institutionem atque ordinationem adducere (1); 5° quod ejus tendentia facile sit fatalistica ac materialistica, cum adeo prona sit ad confundendam passivatem organicam cum intellectuali et morali hominis activitate (2); 6° demum quod, si ex fructibus de arbore judicandum sit, aperte pateat, in manibus recentiorum phrenologorum eam omnino materialisticam effectam esse, ab ipsisque spectari veluti scientificam quamdam materialitatis animi demonstrationem (3).

136. Quæ cum ita se habeant, quamvis nos haud velimus quidquam a theologo rejici, quod vere scientificum sit, aut ad utilitates scientiarum etiam naturalium quovis modo conferre valeat; quamvis vehementer optemus, ut facta quæque observationis et experientiæ, quum certe de ipsis constet, libentissime excipiantur, nihilominus inclinamur in judicium saniorum scriptorum, qui in eo conveniunt, ut systema phrenologicum, complexive spectatum, veluti falsum ac perniciosum traducant.

### III. De fatalismo ac determinismo.

137. Cum animæ humanæ libertas totius moralitatis fundamentum sit, cumque ipse salutaris assensus divinæ revelationi ab ea procedere cum divina gratia debeat, satis per se patet,

(1) Ipse Ahrens ait de hoc systemate: *Ses prétentions... ne sont qu'un témoignage de son ignorance profonde sur les choses qu'il veut réformer*, loc. cit. pag. 246.

(2) Fusc hæc tractantur in opp. citt. tum Forichon tum Debreyne, nec non apud ipsum Ahrens, qui præterea addit: *La phrénologie tend à faire de l'homme un pur animal, en animalisant presque toutes ses facultés*. loc.

cit. pag. 240. Cl. Forichon eam appellat *Cette doctrine, mortelle pour la science autant que pour la morale*, préf. pag. 16.

(3) Sat est nominare doct. Broussais, ejusque scholam. Contra recentiores istos phrenologos præsertim insurgunt egregii duo auctores galli memorati, eorumque putidum materialismum in lucem adspectumque proferunt.



quamcumque doctrinam scientificam, quæ illam quoquomodo labefactet, fidem divinam impossibilem efficere. Sed in hoc accurate attendendum. Systema enim illud, quod fatali hominem necessitati subdit, quodque *crassus fatalismus* audit, utpote nimis absurdum, haud plures forte, præsertim recentioribus ætatibus, nactum est sectatores. Ast aliud est fatalismi genus, subtilius quidem ac latentius, quod *deterministæ* profitentur, qui nempe animum immunem tantum a *coactione* agnoscunt, sed cum rationibus internis, queis resisti non possit, semper et necessario determinari volunt. In hoc haud pauci philosophi vel animi perversitate vel inconsulto inciderunt (1). Nil porro de absurda dicemus Kantii et Kantianorum sententia, qui dum animum, ut *phænomenon* spectatum, liberum practice dicunt, utrum tamen ut *noumenon* consideratum seu theoretice liber sit, ignotum plane aiunt; quo fit ut libertatem *metaphysicam* ac *transcendentalem*, quam ipsi vocant, veram nempe libertatem, nisi subtrahunt animæ, *problematicam* saltem relinquunt (2).

138. Nimis igitur interest cum catholici hominis tum præcipue theologi, ut in quavis quæ profertur philosophica doctrina apprimè dispiciatur, utrum natura humanæ libertatis recte sit definita ac statuta, utrum vera eligendi vis ac *ἀνταξίωσια* in tuto posita.

(1) Essentialis in hoc est, ut suo loco probavimus, distinctio inter actus spontaneos, voluntarios ac liberos, quam qui neglexerunt, libertatis humanæ naturam funditus everterunt. Hinc merito improbata est definitio libertatis tradita recenter ab italo Romagnesio, *Introd. al diritto pubblico*, part. 2. cap. 1, § 115: *Activitas entis intelligentis quatenus in actibus suis ab obstaculis immunis est*. Hoc enim libertatis genus *necessitatem internam* minime excludit, optimeque aptari posset voluntati in bonum universim, seu in propriam felicitatem tendenti, quæ certe in hoc vere libera haudquaquam est. Inter de-

terministas fuit germanicus Basedow.

(2) *Distinguere animam*, ait apposite Imre, *in phænomenon et noumenon*, ac ita ut supra de ejus libertate statuere mihi idem videtur, ac animæ, *in quantum noscitur, libertatem denegare, attribuire vero, in quantum non noscitur; anima enim, qua noumenon, est = x; est aliquid indeterminatum, quod tantum cogitari per prædicata negativa, sed cognosci nunquam potest; et tamen ut substratum suo phænomeno, quod liberum non est, invenitur*. P. III. *Metaph. applic.* pag. 236.

Id eo magis necessarium evadit ob pessimas ac absurdas novatorum seculi XVI doctrinas, quæ magnos ubique influxus habuerunt. Ipsi enim veluti ex conducto libertatem animæ humanæ tanquam errorem philosophicum adorti sunt, indeque tot errorum monstra deduxerunt. Id præsertim Lutheri proprium fuit, id Melanchthonis, licet suam postea sententiam revocarit (1), id Calvinii ejusque asseclarum; atque ex hisce corruptionis fontibus nunc aperte nunc latenter in Bajana, Janseniana, Quesnelliana placita virus dimanavit; quæ omnia suo loco fuerunt a nobis disputata (2).

139. E recentioribus vero philosophis sunt, qui ita libertatem animæ humanæ cum Dei præscientia committunt, ut, si logice procedere vellent, alterutram negare dicendi essent (3). Sunt qui, dum libertatem homini vindicant, in Deo tollere videantur (4). Ab aliis adnotandis supersedemus, quippe auditores nostros ad saniores philosophos, qui ex professo hoc de argumento tractant, remittimus.

(1) Cfr. Möhler, *Symbolique*, tom. 1, pag. 56 et seqq.

(2) In tract. *De Deo Creatore*, part. III, cap. 5, n. 482 et seqq. nec non in tract. *De Gratia*, part. II, cap. 1, n. 472 et seqq.

(3) In hunc scopulum impegisse videtur recens eclecticæ scholæ sectator, Damiron, *Psychologie*, tom. II, pag. 75, qui *hominem* ac societatem, quibusdam, quas vocat, *epochis fatalibus* subjicit, quæ nempe divinæ præscientiæ subsunt; in iis contra, quæ homo libere agit, independenter omnino a divina præscientia eum agere affirmat, ac Deum juxta humanas operationes successivas consilia sua moderari. Cfr. quoad hoc systema atque consecraria, quæ inde manant, egregium opus cl. P. Aloisii Taparelli, Soc. Jes. *Saggio*

*teoretico di diritto naturale*, Palermo 1840, vol. 1, pag. 25 et 164, ubi etiam auctor optime ac philosophice veram libertatis indolem explanat ac a variis erroribus tuetur.

(4) Creatio divina rerum in tempore ex nihilo absoluto est haud paucis, qui nunc philosophantur, magna errorum occasio. Siquidem isti non distinguentes activitatem ac vitam essentialem ac necessariam Dei *ad intra* et activitatem liberrimam vitamque ejus extrinsecam in operibus *ad extra*, timent, ne, si Deo libertatem in mundo creando tribuant, omnem illi auferant vitam atque activitatem; itaque non nisi *necessitatem* in omnibus actibus divinis agnoscere volunt. Accedit, quod iidem nolint secernere libertatem in se, quæ simplex perfectio est, ab iis imperfe-

## § II.

*De placitis philosophicis, quæ indirecte Fidei susceptioni obsistunt.*

140. Jam satis declaravimus, quid nos per ea systemata, quæ *indirecte* christianæ fidei viam præcidere possunt, intelligamus. Nunc ut de iis aliquid singillatim attingamus, ne ex una parte nimis prolixi simus, ex altera vero, quod nostrorum temporum ratio postulare videtur, non omnino omittamus, animadvertiones nostras ad tria tantum philosophandi genera coarctabimus, nempe ad sensismum mysticum, ad empirismum, ac demum ad hermesianismum philosophicum.

I. *De sensismo mystico.*

141. Ex satis abunde in priori articulo vindicatis liquet, *scepticismum religiosum* aut *mysticum*, illum scilicet, quo nativa rationis vis aut extenuatur aut penitus destruitur, quasi nempe facilius hac via fidei acquisitio ac susceptio redderetur, e converso tendere ad evertenda fundamenta probationesque christianæ revelationis (1). Quapropter opus non est diutius immorari in ejusmodi *nihilismo*, quem ostendimus, originem suam ex fon-

ctionibus, quæ libertatem comitantur in homine, et proinde ne aliquid imperfectionis in Deo admittant, libertatem ei sustollunt. Cfr. de his erroribus Galluppi, *Lettere filosofiche*, Napoli 1838, pag. 307 et seqq. sed præsertim egregius articulus philosophi siculi, Salvatoris Mancino, in *Ephem. Siculis*, n. 76, Januar. 1840, pag. 23, circa sententiam Cousinii, de libertate divinæ voluntatis.

(1) Placet hic egregiam Leibnitii locum afferre, quo nil opportunius: *Comme l'on peut dire que la raison est une révélation naturelle dont Dieu*

*est l'auteur, de même qu'il l'est de la nature, l'on peut dire aussi que la révélation est une raison surnaturelle, c'est-à-dire, une raison étendue par un nouveau fond de découvertes émanées immédiatement de Dieu; mais ces découvertes supposent que nous avons le moyen de les discerner, qui est la raison même; et la vouloir proscrire pour faire place à la révélation, ce serait s'arracher les yeux pour mieux voir les satellites de Jupiter à travers un télescope. Nouveaux Essais sur l'Entend. hum. liv. iv, chap. 19.*



tibus trahere priorum reformatorum. Juverit proinde agere potius de alio systemate, de *sensismo* nimirum, seu potius (sit venia verbo) *sentimentalismo mystico*, de ea videlicet doctrina, quæ, intellectus ac rationis viribus diffidens, constituit certitudinem veritatis, præsertim *suprasensibilis*, cujusmodi est existentia Dei, immortalitas animi, lex moralis, etc., ac proinde veritatum ad religionem spectantium, in interiore quodam ac religioso animi sensu.

142. Ut ea tamen, qua par est perspicuitate progrediamur, præmittimus, nos haud ablegare ex homine interiores illos sensus (*sentimenti*), quos beneficis generis humani Conditor indidit hominum cordi ad illud facilius suaviusque perducendum in id omne, quod verum, rectum ordinatumque est. Admittimus sensum quemdam *rationalem*, vi cujus animus ad veritatem impellitur, in ejusque acquisitione vehementer delectatur; admittimus *moralem* sensum, quo suapte natura approbat sibi que complacet de actionibus intrinsece rectis et honestis, ac pravas aversatur ac damnat (1); admittimus sensum, ut ita dicam, *æstheticum*, quo homo pertrahitur ad amandum ac gustandum quidquid pulchrum, decorum, debitisque proportionibus dispositum est. Hinc qui ex humano corde hos sensus convellere niteretur, quos Deus ipse inseruit, quique oriuntur a duabus iis generalibus ac insuperabilibus propensionibus, quas homo secum fert in *verum* ac *bonum* (2), næ ipse humanam naturam parte sua essentiali destitutam ac veluti mutilam redderet. Ast ex altera parte pro certo tenendum est, si ejusmodi sensus utilia subsidia sunt, haud tamen esse criteria, seu *normam suprenam semperque tutam* cognitionis et operationis humanæ. Rationi quippe atque intelligentiæ divinus Conditor impressit participatione sui

(1) Ad rem aiebat Augustinus: *Habemus enim alium interioris hominis sensum, isto (scilicet sensu corporeo) longe præstantiorem, quo justa et injusta sentimus... Ad hujus sensus officium non acies pupillæ, non foramen auriculæ, non spiramen narium, non*

*gustus faucium, non ullus corporis tactus accedit. De Civit. Dei, lib. 1, cap. 23.*

(2) Nemo magis philosophice ac luculenter id ostendit, quam cl. Gerdilius, in satis nota *Dissertazione sull' origine del senso morale*, etc. opp. tom. 2.

divini luminis, ut loquitur S. Thomas, imaginem ac similitudinem suam (1). Hæc proinde solum esse possunt criteria suprema ac tuta in ordine naturali, quæ dirigere hominem debent circa verum et honestum; atque etiam in ordine supernaturali Deus intelligentiæ ac rationi proponit revelationem suam, tot characteribus seu motivis credibilitatis præditam, ut illam istorum ope cognitam, cum divini gratiæ subsidio, rationabili obsequio amplectatur. Quapropter *sensismus mysticus*, qui alia via incedit, tantum abest ut faveat susceptioni fidei, ut ejus fundamenta planè labefactat.

143. Sane 1<sup>o</sup> *sentimentalismus mysticus* res est cæca, subjectiva, instinctiva; idoneus proinde non est ad certo agnoscendum quod *objectivum* est, multo vero minus cum agitur de veritatibus non immediate evidentibus, cujusmodi sunt veritates, quas memoravimus. Hæ siquidem exposcunt ratiocinium, quod constare debet ex pluribus etiam factis contingentibus. 2<sup>o</sup> In *sentimentalismum* phantasiæ vis immediatum exercet influxum, qua nihil validius reperitur ad mentis illusiones procreandas confovendasque. 3<sup>o</sup> Ipse *se solo* nequit probare validamque reddere veritatem, quam sentit, quippe qui proprius eum sit subjecti,

(1) *Ipsam enim lumen intellectuale*, ait D. Thoma, *quod est in nobis, nihil est aliud quam quædam participata similitudo luminis increati, in quo continentur rationes æternæ.* p. 1, q. 84, art. 5. *Ab ipso (Deo) anima humana lumen intellectuale participat, secundum illud: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* p. 1, q. 79, art. 4. Illud porro adnotandum, nunquam S. Thomam scientiam ex *instinctu* aut cæco interiori sensu repetere, sed semper assurgere ad *intelligendi* facultatem, ad *lumen* nempe *intellectuale*, ad notitiam *primorum principiorum*, quæ sunt quasi *quædam seminaria scientiarum, Deve-*

*rit.* q. xi, iii; *ad conceptiones universales, quæ statim lumine intellectus agentis cognoscuntur, per quas sicut per universalia principia judicamus de aliis, et ea præcognoscimus in ipsis.* ibid. q. x, art. 6. Quæ quidem aliaque id genus innumera, quæ afferri possent, etiam ex aliis doctoribus sanctisque Patribus, ab iis perpendi vellemus, qui se putant veritatis causæ tunc demum prospexisse, cum *intellectum* humanum, nobilissimam nempe potentiam, divinique intellectus imaginem, non modo *infra rationem*, perinde ac si ista *realiter* distincta ab illo esset, sed *infra instinctivam* quamdam *sensationem* depresserint.

quod eam sentit, utpote individualis, nequit eam sensui alterius communicare. 4<sup>o</sup> Idem consequenter efficit veritatem mere relativam ac mutabilem, viamque propterea scepticismo, etiam cum agitur de revelatione, latissimam sternit.

144. Hæc quidem rationibus intrinsicis assumptum evincunt. Ast facile esset id ipsum experientia multiplici confirmare. Liceat nobis ad ipsum provocare Joan. Fredericum Jacobi, qui, uti alibi innuimus, veluti princeps hujus *sentimentalisticæ* doctrinæ haberi potest (1). Hic porro statuit veluti principia: 1<sup>o</sup> quod *instinctus*, utpote *rationis energia*, ad Deum tanquam *suam personalitatem habentem* agnoscendum impellat; sed *intellectus* impellat directe ad *pantheismum* ac *nihilismum*; 2<sup>o</sup> quod scientiæ intersit dissolvere atque *annihilare realitatem*, cum hæc sola possibilis sit via vere ad hanc perveniendi; siquidem *objectum* e medio tollatur oportet, ut *sciri* illud possit (2). Ex his porro principiis in *nihilismum* et *idealismum* etiam religiosum idem

(1) Haud nos fugit, quæ de Jacobi dicturi sumus, haud paucis præsertim in Germania permolesta fore, qui nempe philosophum hunc in deliciis habent. Nec vero nos eidem omne meritum demere volumus; scimus, illum haud parum contulisse ad excitatam in Kantium ac criticismum admirationem evelendam; scimus, eum præclaræ indolis optimique ingenii fuisse, ac sincero animo philosophatum esse. Sed hæc omnia naturam systematis sui minime immutant. Nos porro, quoniam opera Jacobi ad manum habere nequivimus, loca ex eo allata decerpimus ex opusculo germanico, cujus titulus: *Aphorismen über Nichtwissen und absolutes Wissen in Verhältniss zur christlichen Glaubenserkenntniss*, seu *Aphorismata circa nihil scire et absolutum scire in nexu cum cognitione christianæ fidei*, auctore Carolo Frid.

G.... 1, Berolini 1829. Neque vero ob id hujus auctoris Berolinensis doctrinam probare ullo pacto intendimus.

(2) Jacobi, *Von den göttlichen Dingen*, seu *De divinis rebus*, pag. 152; item epist. *Jacobi ad Fichte*, pag. 14, opusc. cit. pag. 18. Ut res clarior fiat, juvat animadvertere, quod, cum scientia ex nexu inter *subjectum* et *objectum* exurgat, philosophi neo-germanici contendunt, non posse dari scientiam nisi *subjectum* et *objectum* simul compenetrentur, sed in hoc oppositam inter se viam ineunt. Alii enim volunt *objectum destrui* debere in cognitione, ut transeat in *subjectum*, atque ita Jacobi; alii e contra, *subjectum* debere destrui ac transire in *objectum*, ut cum illo identificetur, ita Schelling, Hegel, etc. Inde tot absurda utrinque sive *nihilismi* ac *idealismi* sive *pantheismi*. Certe si *objectum* ac *subjectum* iden-



ipse, logica saltem consequentia, dilapsus est. Hinc asseruit veram religionem destitui debere quavis *exteriore forma* (1); indifferentem plane rem esse, utrum Christus realis fuerit necne (2); hinc pariter fidem historicam christianismi confregit (3); Deumque se manifestare extra animam hominis potuissè, negare visus est (4), aliaque id genus plura. Habes porro hic totidem assertiones christianismi essentiae eversivas; quæ quidem undenam suapte natura profectæ sunt nisi ex eo mysticismo, quo egregius aliunde iste philosophus rationalem instinctum in perpetua ad intellectum oppositione constituit, negavitque, posse rationem, prout intelligens ac ratiocinans est, sibi Dei existentiam ejusque attributa, animi immortalitatem, credibilitatem positivæ revelationis, aliasque ejusmodi veritates demonstrare?

tificari deberent in cognitione, cognitio impossibilis redderetur, quippe quæ dicat per se *dualitatem*, nempe distinctionem inter subjectum cognoscens et illud quod cognoscitur.

(1) Jacobi, *Von den göttlichen Ding.* pag. 61 et seqq. En ejus verba: *Veræ religioni tantum abest ut describi possit externa aliqua forma sicut forma unica et necessaria, quin e contra pertinet ad ejus essentiam, nullam talem formam habere.* Opusc. cit. pag. 22.

(2) *Utique, quantum ad essentialem veritatem meæ conceptionis, est mihi indifferens, quid Christus per se fuerit extra me, utrum conceptui meo in realitate responderit vel non responderit. Quid in te sit, hoc est quod tantum interest; ac in te est Ens vere divinum, quia, quidquid homo divini intueri potest, Christus imagine ac nomine id repræsentat.* *Von den göttl. Ding.* pag. 63, opusc. cit. pag. 23. Ubi hæc præterea ex Jacobi

doctrina deducuntur: *Homo revelat Deum sicuti Jesum, dum se spiritu supra naturam extollit, uti Jesus; ast Jesus non est Deus ipse; in ipso habitavit plenitudo divinitatis, uti in unaquaque creatura Dei, quæ nequit negare Creatorem suum.* Citatur ob hæc assertiones Jacobi, *Von den göttl. Ding.* pag. 189, 63.

(3) Jacobi in epist. ad Lavater, vol. II, 55: *In quantum christianismus est mysticismus, est ille mihi unica religionis philosophia, quæ concipi potest; ast eo minus ego in fide historica invenio unde proficiam.* Alibi fatetur, se omnem theologiam in sua parte mystica pro æque vera, in parte sua non mystica pro æque erronea habere, aut etiam in alio respectu pro æque insulsa ac perniciosa. vol. II, pag. 146, conf. 558, opusc. cit. pag. 28.

(4) *Tam parum potest Deus falsus esse extra animam humanam, quam Deus verus potest extra ipsam apparere.* Cfr. opusc. cit. pag. 32.

145. Idem contigit recentiori alteri scholæ *sentimentalisticæ* sectatori, Schleiermacher, qui ex suis principiis inductus est ad affirmandum, religionem esse *infinitam*, nec sub aliqua forma determinata concipi oportere, sed sub quacumque nobis illa demum appareat, religionem cujusvis individui expressionem esse sublimis veritatis, eo quod statum actualem sensus interni exprimat in homine religioso (1). Nec aliter evenit De Wette, alteri *sentimentalistæ*, juxta quem *revelatio* universim non est nisi *præsensio* quædam regiminis illius, quò Deus gubernat mundum in evolutione historica religionis; quod vero christianismus sit manifestatio religiosa divina est mere receptus fidei articulus, id est, *judicium pure ideale*, quod nulli rationali fundamento potest inniti (2). Alia recentiorum Germaniæ scriptorum adduci possent exempla, qui Christum *historicum* nonnisi in sensu interno mystico quærent, atque ita in rationalismum theologicum præcipites ruunt (3).

146. Ad hanc *sentimentalistarum* classem, præter Joan. Jac. Rousseau revelationis hostem acerrimum, pertinuit etiam Benjaminus Constant, qui conflictum perpetuum instituit rationem inter et interiorem mysticum sensum (4), contenditque, sen-

(1) Cfr. quoad Schleiermacher, op. cit. *Histoire critique du rationalisme*, pag. 364 et seqq. ubi auctor varias persequitur phases, quas illius doctrina subiit, seu varia potius *velamina*, quibus *Schleiermacher* suam doctrinam obduxit.

(2) Cfr. *Histoire critique du rationalisme*, pag. 382 et seqq. ubi doctrina rationalistica ipsius De Wette expenditur, ac adnotatur, eum fuisse discipulum philosophi Fries, cujus placita philosophica *se rapprochent de ceux de Jacobi par la valeur qu'il accordait à la foi et au pressentiment de l'éternelle vérité*. Subditur porro, quod De Wette *place le sentiment au-dessus de*

*la certitude scientifique*.

(3) Cfr. op. cit. *Histoire critique*, etc. cap. 21, 22, *Théologie spéculative fondée sur le sentiment*; ex quo patebit, non solum ex nimia virium rationis exaggeratione, sed etiam ex nimia illarum depressione viam ad rationalismum patere.

(4) In op. *De la religion considérée dans sa source, dans ses formes et ses développemens*, ubi scribit: *Tout ce qui est du ressort du raisonnement est variable et contestable par son essence. La logique fournit des syllogismes pour et contre toutes les propositions*.



sum istum religiosum homini connaturalem principium esse religionum omnium; eas proinde omnes totidem esse hujusmodi sensus formas, qui suapte natura evolvitur in homine, tenditque ad suam perfectionem. Hinc homo haud recepit religiones ex rationali animi persuasione, aut quia sunt *objective* certæ ac veræ; sed eas sibi creat, quia illis indiget, et veluti naturale germen ex illo interno sensu necessario efflorescunt (1).

147. Ex eodem plane principio profluxit jampridem *pietismus* inter Protestantas (2), ac *quackerismus* quoque ad illum veluti ad fontem suum revocatur (3). Jacobus Böhme, Schwedenborg aliique visionarii hoc mysticismo permoti sunt ad religionem christianam modo suo construendam (4). Ex quo evidenter patet, mysticismum sentimentalem nimis esse veræ fidei non minus quam ipsi scientiæ infensum. Vera siquidem scientia omnes complecti debet hominis facultates, neque quod magis est essentialiale ac præstans, cujusmodi intelligentia est, excludere (5). Cæterum quæ de mysticismo hactenus scripsimus, falsum, ut

(1) Ibid. pag. 83 : *Les dogmes, inquit, les croyances, les pratiques, les cérémonies sont des formes que prend le sentiment intérieur, et qu'il brise ensuite.* Deinde subdit, ibid : *Observez comme toutes les notions se groupent autour du sentiment religieux, et dociles à un moindre signe se modifient et se transforment pour le servir.* Hoc systema refellit cl. Rosmini, in op. *Frammenti di una storia dell'empietà*, quod fuit gallice translatum, Lyon. 1837.

(2) Vide *pietismi* historiam, in op. cit. *Histoire critique du Ration.*

(3) De hoc Cfr. Mühler, *Symbolique*, tom. II, lib. 2, cap. 2.

(4) De Schwedenborg cfr. Mühler, *Symbolique*, tom. II, lib. II, cap. 4, nec non quæ alibi de eodem scripsimus.

Jacobus Böhme vir fuit plane singularis, e sutore philosophus. Ejus scripta rudi, sed ingenuo stylo exarata, ac mysticismo plena (sic tamen ut fidei mysteria præsertim Trinitatis eleventur), fuerunt recentiori hac ætate in Germania iterum in lucem prolata ac valde decantata. His delectatus est vehementer F. Baader, qui et ipse ex mysticismo suo a recto religionis tramite late aberravit.

(5) Apposite, quamvis protestans, auctor cit. *Hist. crit. du ration.* pag. 384, ubi de rationalismo *sentimentalístico* disserere incipit, scribit : *C'est sur l'ensemble des facultés humaines qu'il faut élever l'édifice de la vérité, si l'on ne veut pas qu'il s'écroule d'un côté, pendant qu'on l'édifie de l'autre.*



per se patet, *mysticismum* impetunt; nec quid habent commune cum religioso animi affectu, qui scripta etiam philosophica maxime decet; nec cum vera mystica theologia, seu *Sanctorum scientia*, quam Patres etiam tantopere coluerunt, quæque rationem non tantum non destruit, sed supra seipsam mirifice attollit.

## II. De empirismo.

148. Dum empirismum improbamus, haud certe mens nobis est quidquam detrudere propriæ dictæ *experientiæ* ac sedulæ factorum observationi, quam non modo utilem, sed necessariam esse sæpe diximus ad philosophiam constituendam, cum hæc non ex meris notionibus abstractis, sed ex amico fœdere rationem inter et experientiam debeat exurgere. Unde gratulandum est recentioris ætatis philosophis, quod magis accurate ad hanc experimentalem philosophiæ speciem, non modo in scientiis naturalibus, sed in rationalibus etiam, animum applicuerint.

149. Itaque hic tantum reprehendimus, veluti religioni saltem *iudirecte* noxium, illud philosophandi genus, quod in meris factis experimentalibus sensus sive externi sive interni sistit, in iisque totam scientiam collocat, abstractas autem ac *ontologicas* notiones ac principia universalia rationis veluti futilia ac nullius roboris ablegat; quo fit ut facile confundat *intelligere* cum *sentire*, ac proprietates sensus ad cognitionem transferat; omnia ratiocinia *a priori* aut excludat, aut cum ratiocinio *a posteriori* permisceat; ratiocinia, e conceptibus abstractis ac axiomatibus in principiis identitatis fundatis eruta, de noto ad ignotum detegendum ducere unquam posse neget; atque, ut verbo dicam, exinde fit ut quævis *ontologia* implicite aut explicite a philosophia eliminetur.

150. Ad saniores philosophos, qui data opera hujus philosophiæ intrinseca vitia persequuti sunt, auditores nostros remittentes, ad rem nostram adnotamus, empirismum hujusmodi, 1<sup>o</sup> humanæ rationi dignitatem omnem demere, quæ nempe non in meris factis sensibilibus percipiendis consistit, sed in intrinsecis

idearum nexibus detegendis, in principiis universalibus intuendis factisque applicandis, ac novis inde veritatibus deducendis; quæ omnia in alio sublimiore ordine quam experimentalis sita sunt; 2<sup>o</sup> scientiam proprie dictam e medio tollere. Facta enim etsi innumera ac sedulo observata semper in *individuo* versantur; nequeunt ergo nec universalitatem nec necessitatem illam gignere, quæ ad veram scientiam omnino requiruntur (1). 3<sup>o</sup> Ex quo etiam consequitur, veritates maximi momenti metaphysicas de anima ac de Deo ita in hujusmodi empirica philosophia constitui, ut facili negotio concutiantur ac concidant. Quid vero de morum scientia dicendum? Illud certum est, omnia moralitatis systemata, quæ inde prodeunt, morales leges earumque obligandi vim ex mera utilitate, ex hujus vitæ felicitate, ex amore socialitatis, ex societatis perfectibilitate dimetiri, nunquam altius assurgere; ordinem intrinsecum ac immutabilem, in ipsis rerum essentiis constitutum, absolutum humanæ voluntatis bonum, positum in ordinatione etiam naturali ad Deum veluti principium ac ultimum finem suum, in iis empiricis systematibus plane ignorari. Quod sane nil aliud est, nisi veram et intrinsecam moralitatem ac naturalia hominum officia specie tenus adstruere, re penitus eliminare (2). 4<sup>o</sup> Quam facilis demum ex hoc empirismo ad materialismum ipsum sit descensus, jam fuit a nobis

(1) Cfr. quæ diximus in *Prænotandis*. Addimus, in ipsis scientiis physicis, quæ ab experientia totæ pendent, non, qui plura facta observarunt, optime de illis meritos fuisse, sed qui, notionibus ontologicis ac logicis criteriis melius utentes, leges naturæ universales ex factis colligere ac recte stabilire poterant. Quanto autem id magis in scientiis, quæ *rationales* vocantur, contingere opus est!

(2) Certe si doctrinæ morales eorum omnium, qui audiunt *utilitarii* ac *socialistæ*, expendantur, uti Benthami,

Romagnosii, etc. eas in *theoretico* empirismo, de quo loquimur, fundatas comperies. Hoc sensu verum est, quod gallicus explanator Kantii, idemque kantianus, Villers profert: *Dès qu'on eut placé les sens sur le trône de la métaphysique, l'analogie conduisit l'intérêt sur celui de la morale. Philosophie de Kant. Metz 1801, pag. 159*; licet hoc improbemus in sensu *puristarum* Kantianorum, qui virtutem moralem destrui docent, si homo ex proprio, licet *veræ*, felicitatis suæ amore, non ex mera legis reverentia honeste agat.

adnotatum; hinc in ipso Kantio empirismus suus phænomenalis cum materialismo arctissime copulatur (1).

151. Quantopere porro Ecclesiæ Patres ac doctores ab hac tam abjecta philosophandi ratione abhorruerint, compertum est. Augustinus sane, qui tum ingenii acumine tum diuturno veterum studio in rebus philosophicis adeo valebat, si ad observationem factorum interiorum solerter provocat, scientiam tamen tum metaphysicam tum moralem non ex illis tantum, sed præsertim ex principiis et notionibus ontologicis repetit, ac rationis in eo præstantiam et cum divina mente veluti cognationem ostendit (2). Inter Græcos Basilius in primis, Athanasius, Damascenus, etc. quoties vel de anima, vel de Deo, vel de morum lege philosophantur, eidem insistunt viæ; inter Latinos posteriores doctores Anselmus in *Prosologio* et *Monologio*, S. Bonaventura (3), atque ut ceteros omittam, S. Thomas, licet magis Aristotelis quam Platonis placita sectaretur, semper principia rationis ac universales notiones ontologicas veluti necessaria scientiarum rationalium elementa adhibet (4). Detur igitur psychologię empiricę, quod revera ipsitribuendum est; sed vera ontologia non sejungatur ab ea, nisi non tam philosophiam quam philosophię umbram habere quis velit, quæ proinde christianę ipsi fidei exitialis existat.

(1) Hoc jam attigit Baldinottus, op. cit. *Tentam. Metaph. Appendix de Kantii philosophandi ratione*, § 925. Sed intimos nexus inter Kantianismum et materialismum in apertissima luce collocavit cl. Galluppius, *Saggio critico*, etc.

(2) Cfr. lib. x, *De Trinit.*, libri III, contra *Academicos*, sed præsertim lib. II, *De libero arbitrio*, cap. 7, 12, ubi Augustinus, in dialogo cum Evodio, de numerorum ac unitatis ideis philosophando, ostendit, scientias morales ac metaphysicas æque incommutabilibus ac æternis principiis inniti ac res geometricas.

(3) *Retinet*, ait egregie S. Bonaventura, (mens) *scientiarum principia et dignitates, ut sempiternalia et sempiternaliter, quia nunquam potest sic oblivisci eorum* (dummodo ratione utatur), *quin ea audita approbet et eis assentiat, non tanquam de novo percipiat, sed tanquam sibi innata et familiaria recognoscat. Itin. mentis*, etc. cap. 3.

(4) Cfr. supra pag. 452, nota 3. Haud inficiamur, aliquos e scholasticis esse conceptibus abstractis abusos, ac ontologiam sæpe non tam realem quam *nominalem* sectatos fuisse; sed abusus rei veritati minime officiant.



III. De *Hermesianismo philosophico*.

152. Nimis jam comperta est historica genesis illius philosophicæ doctrinæ, quam Georgius Hermesius haud multis abhinc annis invexit (1). Hermesius enim superiorum philosophorum ac theologorum scientiam pauci aut nihili faciens, cum theologiam omnem in tenebris jacere putaret (2), ac in gravissimis jamdiu de anima, de Deo, de revelata religione dubitationibus versaretur (3), cumque ex philosophicis scriptis Kantii et Fichteï, quibus inprimis delectabatur, acrius se ad ejusmodi dubia excitari persentiret, novam philosophandi viam, nullius ante pedem tritam, pertentare aggressus est. Post diuturnas plurium annorum commentationes emersit e dubio (4), ac systema tandem illud philosophiæ confecit, quod scientiæ metaphysicæ ac morali iterum construendæ, revelationi christianæ et catholicæ religioni demonstrandæ, ac demum ipsis theologicis dogmatibus ædifican-

(1) Quoad Germanicos, plures jam de hoc argumento conscripserunt. Quoad Italos, cfr. si lubet articuli duo jam a me editi ac inserti in *Annali delle scienze religiose*, vol. VII, fasc. 19, et vol. IX, fasc. 27.

(2) *Philosoph. Einleit.* seu *Introductio philosophica*, Monasteri 1819, præf. pag. 4.

(3) *Ibid.* pag. 4, 5. *Et tamen ego, inquit, nondum fundamentale dubium (Grundzweifel), utrum reapse Deus sit, mihi professus eram, usque dum tandem conscientia mea, aut quocumque tandem aptiori eam modo appellare quis velit, vis illa insuperabilis interior, quæ me impellebat, ita me iterum iterumque atque acriter increpabat de mala fide, quæ ego me super fundamento rerum omnium illudere volebam, ut me tandem determinarem ad hanc ipsam etiam quæstionem*

*aperte aggrediendam, etc.*

(4) *Et nunc tandem, ait, (gratiæ ob id sint Deo meo, quem iterum invenì) persuasionem illam nactus sum, quam tantopere expetebam ac querebam: ego nunc tandem certus sum, Deum existere, me extitutum ac vitam habiturum æternam; certus nunc sum, christianismum esse revelationem divinam, et catholicismum esse verum christianismum.* *ib.* pag. 12. *Sed dum ego doceo ac vindico fidem meam, nunquam ullo modo illam existimationem, quæ debetur cæteris diversis confessionibus, violabo. Quum aliquis sine ulla requie obhuctatus est per viginti et amplius annos, ut persuasionem acquireret, eamque coram tribunali rationis firmiter stabiliret... iste sane indulgens erga omnes evadit.* pag. 13, 14.

dis unice aptum ac firmum judicavit. Illud porro in sua *Introductione philosophica* fuse exposuit. A ceteris hujus doctrinæ philosophicæ vicibus commemorandis, utpote jam notis, hic supersedemus; sed quoniam tractationis nostræ ratio id postulat, nonnullas animadversiones instituemus 1° circa *methodum*, 2° circa *naturam*, 3° circa *applicationes* hujus philosophici systematis, quod ex nativa origine ac instituto suo arcte cum fide ab auctore ipso conjunctum est.

153. 1° *Methodus*. Quoad methodum incipit Hermesius a *dubio*, per *dubium* perpetuo progreditur, ac perseverat in *dubio*, quousque vel minima dubitandi ratio supersit. Dubium porro istud hermesianum est 1° *universale*, quippe complectitur quamcumque veritatem, nulla excepta, etiam primitivam, etiam evidentissimam sive facti sive rationis; respicit ipsum principium contradictionis, ipsam existentiam ac realitatem objectivam nostri *Ego*, factum ipsum *immediatum conscientiæ*, etiam *subjective* tantum spectatum (1). 2° Est *serium* ac *positivum*, quia de ejusmodi dubio expresse loquitur Hermesius; profitetur, se ex tali *serio* dubio philosophando processisse; declarat, se pro iis scribere, qui eodem *serio* dubio (2) laborant; hortatur alios ad *hoc ipsum* dubii genus in seipsis data opera excitandum (3). 3° Est *illimitatum*, siquidem dubia in omnibus et undequaque conquirenda sunt, per *omnes dubii ambages* transeundum (4), eaque retinenda ac fovenda, nisi omnino *necessitas absoluta rationis* tandem cogat ad aliquid pro vero admittendum vel tenendum; secus nihil unquam verum ac certum esset, sed omnia æquo jure affirmari negarive possent (5). Hoc igitur *dubium*, quod basis ac fundamentum systematis hujus est, limites prorsus omnes excedit illius *dubii* mere *hypothetici*, seu potius illius

(1) Id ex doctrinæ hermesianæ analysis inferius patebit.

(2) Ibid. pag. 11, 14.

(3) Ibid. pag. 15.

(4) Ibid. loc. cit. ubi affirmat Hermesius eum, qui præceptor religionis

esse debet, prius in *labyrintho dubii* per omnes suas ambages oberrare oportere.

(5) Pag. 10, 11. Hermesii loca afferuntur in artic. 2° nostro italico jam citato, ad quem remittimus.



*methodicæ ignorantiae*, qua philosophus ad cognitionum analysim instituendam, easque suo in ordine collocandas, fingit, se nescire, quod inquirendo tandem detegit ac demonstrat. Hermesius contra data opera intendit ad omnes posibles ac serias dubitationes quoscumque, qui secum philosophantur, de quibuscumque veritatibus impellere. Et quamvis demum ex dubitatione ad dogmatismum assurgat, ita tamen methodo suæ dubitativæ mordicus adhæret, ita res evidentissimas omnibus dubii ambagibus obnubilat, ita dum aliquid certi te arripere putas, in dubii pelagus iterum te demergit, ut, qui ejus premit vestigia, perpetua dubitatione fluctuet oporteat. Hinc ex hac methodo factum est, ut Hermesius ipse in iis, quæ de veritatis ac certitudinis criteriis se demonstrasse putat, contradictiones haud effugiat, ac in *circulo vitioso* circumagatur, id quod probaturi sumus. Nimis igitur evidens est, nihil esse hac methodo ad scepticismum fovendum aptius. Quid vero, si cogites, hanc *methodum* ipsam dari tanquam *necessariam conditionem et radicem christianæ fidei*, eamque ad revelatæ religionis veritatem demonstrandam ab Hermesio ordinatam fuisse (1)?

(1) *Introd. phil.* præf. pag. 17. Certe ex hoc ipso cernitur discrimen inter dubitationem methodicam Cartesii, de qua superius locuti sumus, et eam ab Hermesio statutam. Cartesius professus est, se methodo sua quidquid ad fidem pertinet sartum tectum plane relinquere velle; Hermesius a sua methodo *rationalabile* ipsum *obsequium fidei* pendens omnino facit. Cartesii dubitatio revera fuit philosophica quædam, vel etiam verius dixeris, velut *poëtica* fictio, quam ipse statim deserit, ut veritatem avidè arripiat firmiterque stabiliat. Hermesius in omnibus dubii ambagibus serio diuque circa omnem etiam primitivam veritatem versatur, teque ita hærentem ac suspensum detinet, ut quo tandem evasurus sis nescias; ita vero tandem

ad aliquid firmi pervenit, ut dubitationes omnes ex animo ita jam ad dubitandum assueto minime dispellantur. Cartesius ad Deum citissime ascendit; Hermesius non modo *mundum internum*, scilicet nostrum *Ego*, sed etiam *mundum externum*, ac legem ipsam moralem perfecte obligantem jam demonstrata exigit, antequam de existentia Dei loqui quisquam possit. Plura alia urgeri possent; non quod nos omni ex parte velimus defendere methodum Cartesianam, quæ abusibus obnoxia esse potest, sed ut eluceat, quod, etiamsi Hermesius suam dubitationem a Cartesio hauserit (nisi ea verius *indigena* hermesiani criticismi planta dicenda sit), eam certe extra omnes cancellos protruderit, ac maxime saltem



154. 2<sup>o</sup> *Natura systematis*. Ad hanc dignoscendam opus omnino est paucis exhibere summam primæ illius inquisitionis, quam veluti ceterarum basim Hermesius instituit. Cardo versatur in eo, an detur pro humana mente *certitudo proprie dicta de veritate ac realitate objectiva rerum* (1)? Duplex juxta Hermesium hujus certitudinis psychologica origo esse potest: vel enim determinatio animi circa veritatem nobis *necessario* imponitur, et dicitur *tenere pro vero*; vel *libere* a nobis admittitur, et dicitur *admittere pro vero* (2). De utraque ergo in duplici sectione inquirat Hermesius.

155. Porro *tenere pro vero* (3) est ex *necessitate immediata*, si enascitur in mente ex mera repræsentatione subjecti ac prædicati et nexus inter utrumque, quin tamen intelligatur realitas talis nexus, quin ulla intercedat *cognitio*; est vero ex *cognitione* (4), ac proinde ex *necessitate mediata*, si illius nexus realitas intelligatur, quod tamen contingere potest ex vi aut *intelligentiæ* aut *phantasiæ*. Prius ergo quærit Hermesius, utrum detur *tenere pro vero* tutum ac firmum ex *cognitione*, quæ procedat ab *intelligentia* aut *evidentia* rei (5). Cum autem hæc *intelligentia* aut

periculosam effecerit. Ex hoc factum est, ut Prof. Baltzer vitium hujus methodi in præceptore suo Hermesio aliqua ex parte dissimulare non potuerit. *Qui vult Hermesium considerare, debet principia ejus, non formam assumere... Forma apud Hermesium debet absolute ob plures rationes dici gravis ac implexa (schwerfällige), id quod necessario consequi opus erat ex methodo euristico-analytica ita severe persecuta, quemadmodum in Hermesio contingit oblectante cum reliquiis Kantianæ hæreditatis.* op. cit. fasc. 259. Quod attinet ad *principia* Hermesii, posthac videbimus, aliasque ab ipso Baltzerio confessiones ingenuas excipiemus.

(1) Hermesius ita rem proponit: *Estne pro homine determinatio aliqua super veritate, quæ tuta sit - per quas vias enascitur illa - ac una ex illis potest necne aptari ad demonstrationem christianismi?* *Introd. Phil.* p. 83.

(2) *Ibid.* pag. 86. Illud nobis imponitur, ita ab Hermesio effertur, *wird uns angethan*.

(3) *Tenere pro vero* (das Fürwahrhalten) *consistit in hoc, quod nos teneamus* (non tantum cogitemus) *judicium nostrum consonare cum veritate, ac proinde realiter existere relationem cogitatam inter subjectum et prædicatum.* *ibid.*

(4) *Aus Erkenntniss.*

(5) Hermesius vere exorditur inquiri-

*evidentia* possit esse vel *immediata*, scilicet *intuitiva*, vel *mediata*, scilicet *demonstrativa*, quæstio de utraque occurrit (1).

156. Tota vero hæc quæstio post longas ambages hac conclusione absolvitur : e sola *cognitione intellectiva* seu ex *evidentia*, sive sit *intuitiva* sive sit *demonstrativa*, nullum omnino dari posse *tenere pro vero tutum* ( certitudinem ) nec *objectivum* nec *subjectivum*. Quippe non datur 1<sup>o</sup> ex cognitione seu evidentia, quæ ab intuitione sensibili externa procedit ; 2<sup>o</sup> nec ex illa, quæ ab intuitione sensibili interna dimanat ; 3<sup>o</sup> nec ex illa, quæ exurgit ex intuitione necessariarum inter ideas relationum ; 4<sup>o</sup> nec demum ex illa, quæ profluit ex testimonio propriæ conscientiæ circa sui ipsius immediatam existentiam (2). Ratio juxta Her-

sitionem a *cognitione* ex vi *phantasiæ* ; sed quoniam eam statim rejicit, quippe nullam, ut per se patet, certitudinem veram gignere potest, eam partem inquisitionis omittimus. Cfr. hic articulus nostro 2, pag. 36.

(1) Quam nos dicimus *intelligentiam*, seu etiam *evidentiam* rei, dicitur ab Hermesio *Einsicht*, atque ita alibi eam explicat : *Einsicht est ea cognitio, qua perspicimus (einsehen) rectitudinem aut non rectitudinem alicujus judicii, estque vel mediata vel immediata, prouti ad sciendam illam rectitudinem vel non rectitudinem requiritur aliud scire vel non.* pag. 130 (nota). Potest illa fortasse ad *claram ac distinctam ideam* Cartesii revocari. Quidquid sit, nos *intelligentiæ* aut *evidentiæ* vocibus eam exprimimus, sic tamen ut sensum Hermesii hic determinemus. Ceterum ex *immediata intelligentia* nos juxta Hermesium putamur tenere pro *veris* cognitiones *intuitivas* (*Anschauungen*) tum a *posteriori*, uti

intuitiones *sensus externi* aut *sensus intimi*, tum a *priori*, uti *axiomata* geometrica, pag. 89. Contra vero ex *mediata intelligentia* putamur tenere pro *veris theoremata* geometrica, et quidquid demonstratione indiget, unde *demonstratio* dicitur *medium intelligentiæ* seu *evidentiæ*. Tota porro hæc psychologica divisio ex neo-philosophia Kantiana et Fichtiana desumpta est. Hinc axiomata ipsa geometrica ex *necessitate* non immediata, sed tantum *mediata*, pro veris haberi deberent. Cfr. animadversiones, quas fecimus de hac re in artic. nostro secundo.

(2) *Verbo*, ait Hermesius (per hanc viam) *nos nequimus tuto admittere uti realem, ne quidem existentiam nostræ immediatæ conscientiæ, nec nostrum necessarium scire et cogitare de illa,* ibid. pag. 130. Si quis avet cognoscere totum processum, quo Hermesius ad hanc conclusionem devenit, consulat artic. nostrum secundum de Hermesii philosophia.

mesium apodictica hujus conclusionis hæc est, quia, tametsi in cognitione *directa* illa intelligentia seu evidentia determinet mentem ad *tenendum pro vero*, tamen in cognitione *reflexa*, seu accedente reflexione, *evidentia* illa nunquam nos reddit certos, utrum illa *directa* cognitio, sive *objectiva* sive etiam *subjectiva*, necessaria sit. Itaque, cum quivis actus *reflexus* cognoscatur per alium actum *reflexum*, daretur progressus actuum reflexorum *in infinitum*, quin unquam ad *necessariam* cognitionem, quæ determinaret ad aliquid *tenendum pro vero*, perveniretur.

157. Hæc pars Hermesianæ inquisitionis, quæ omnis videtur certitudinis destructiva, est quædam veluti machina ab Hermesio contra Kantium admota. Kantius enim, posito principio, quod nulla detur certa cognitio nisi sit *necessaria*, nulla autem *necessaria*, nisi hæc necessitas *intelligentia* percipiatur, *logicam* demonstrationem *a priori* in omnibus exigebat. Hermesius contra, cum ex vi *cognitionis* et *intelligentiæ* nihil certi nos tuto tenere posse psychologice se demonstrasse putet, gloriatur, se hoc pacto principium *logico-syllogisticum* Kantii suis ipsis armis profligasse (1). Verum hic plura contra Hermesium occurrunt.

158. 1º Ille idem, qui principium Kantii, *logicam* demonstrationem in omnibus quærentis, refellit, in hujus principii laqueos se conjicit, quippe omnia reapse logice *demonstrare* vult, factum ipsum *immediatum* conscientiæ, ipsam actualitatem nostri *Ego* ut melius ex insequentibus constabit.

159. 2º Hinc procedit contra Kantium semper *problematicè*, nimirum supponendo *factum immediatum* conscientiæ, sed nunquam admittendo ejus realitatem sive *objectivam* sive *subjectivam*;

(1) Hinc Hermesius certitudinem rerum etiam geometricarum, quatenus ex intrinseca illarum *evidentia* provenit, eliminat, easque nullum *objectivum valorem* habere, sed tantum *purum* ac *subjectivum cogitare necessarium* esse statuit. Ita vero se putat causam christianæ theologiæ contra Kantium plane

vindicasse; siquidem, ipse ait, si certitudo ex sola vi *intelligentiæ rei* haberi non potest, nec in metaphysicis nec in mathematicis ipsis rebus, nil habet Theologia unde illis cedere debeat, si hanc certitudinem assequi non potest. Sed vide art. nostrum secundum citatum.



quinimmo in dubium identidem revocando, ut suæ universali dubitationi semper adhæreat (1).

160. 3<sup>o</sup> Kantianus posset in Hermesium facile regerere : si tuum argumentum, quo probas, ex *intelligentia* et *cognitione* non dari ullam certitudinem, validum sit, jam hoc ipso probatur, aliquid certi posse e sola *intelligentia* et *cognitione* probari (2).

161. 4<sup>o</sup> At quod caput est, Hermesius 1<sup>o</sup> inutilem plane operam in Kantium suscepit (3); etenim principium *rationalisticum*

(1) Absurdum certe est disputare philosophice, vel dubitando de veracitate testimonii *immediatæ conscientiæ*, vel illam tantum *problematicè* supponendo; quidquid enim ratiocinando effeceris, cujusnam valoris erit nisi *dubii* aut *problematici*, quale est testimonium, unde illud deducis? Hic aptari potest illud præclarum Augustini: *An aliter scires te habere rationem, nisi id ratione perciperes? De lib. arbitr. lib. II, cap. 38.*

(2) Hanc instantiam eludere vellet Hermesius, dum, pag. 134, fatetur, hanc ipsam demonstrationem suam nullum prorsus habere valorem *objectivum*, sed tamen pro iis saltem valere debere, qui (uti Kantiani) admittunt *tenere pro vero* certum ac firmum ex *intelligentia* (*Einsicht*). Sed isti iidem ipsi urgebunt semper, quo jure tu potes evertere certitudinem *intelligentiæ*, nisi ex *intelligentia*? Et si revera efficis, quod contendis, ergo aliquid certi *intelligentiæ* per se necessario deprehendet.

(3) Fatetur candidè ipse Baltzer, Hermesium in tota hac parte inquisitionis suæ oleum et operam perdidisse. *Hoc potest sufficere ad patefaciendam primam Kantianam reliquiam in Hermesio manentem; ex ea quippe ipse*

*adactus fuit ad criticas inquisitiones, quas ipse ceterum ex via puri facti paucis paginis absolvere potuisset, loc. cit. pag. 122. Quum igitur Hermesius, admissa suppositione Kantiana, se confert ad refutandam Kantianam philosophiam ope proprii hujus (philosophiæ) principii, fuit hoc, si rei substantiam spectes, labor inutilis et parum meritorius... ac eo minus meritorius, quod iste ipse secundus articulus, modo non adeo explicatu facilis, talem subiit interpretationem, ac si Hermesius vellet ibi ad exitum perducere suam ipsius philosophiam, dum tamen ipse tantum intendit refellere principium Kantii. Ita Baltzerius, pag. 164, ac inter cæteros, qui ita Hermesium interpretati sunt, me etiam ibi recenset in meo secundo articulo Anti-Hermesiano. Ego vero Baltzerio, quoniam ipse sincero procedit animo, reponam, non me quidem fugisse, Hermesium in ea parte inquisitionis suæ, dum tenere pro vero necessarium ex vi *intelligentiæ* (*Einsicht*) adeo acriter impugnat, Kantium impugnare velle. Id apertis verbis tradidi non uno in loco; ac scriptum meum ita absolvebam, ut monerem lectores, Hermesium post illud opus destructionis, ad*

Kantii satis per se concidit, dum ostenditur Kantium ipsum ex facto *immediato* conscientiæ tanquam indubitato profectum esse, atque super hoc totum suum systema *formalismi* superstruxisse, unde ipse etiam convincitur aliquid *rationaliter* ac *rationabiliter* admisisse, etiam sine *rationali* demonstratione (1). 2<sup>o</sup> Non tam Kantium refutavit, quam scepticismum juvare videtur Hermesius. Ex eo enim, quod falsissimum sit principium Kantii, nil certi nisi per logicam demonstrationem *a priori* admittentis, non sequitur, non dari ullam *necessariam* cognitionem, ex cujus *intelligentia per se* animus tutissime ad verum determinetur. Cum enim *evidentia* immediate fulget, cum animus *ultimam* rationem propositionis pervidet, cum in factis internis *immediatis*, in ipso perceptionis facto cognoscit, rem aliter se habere non posse, (quippe, dum sentit aut percipit animus, fieri nequit, ut non sentiat, aut non percipiat) habetur certe *necessaria* cognitio metaphysica, sive absolute et *a priori*, sive hypothetice et *a posteriori*, sed quæ firmissimam ac rationabilem, nullo autem modo mere *cæcam* ac *subjectivam* certitudinem de veritate rei gignit (2). Quærere vero in actibus reflexis

*ædificium suum philosophicum construendum* demum accedere. Igitur omnes animadversiones meæ eo tantum spectabant, ut ostenderem, Hermesium, quo Kantium profligaret, ad ipsam *legitimam intelligentiæ* ac *evidentiæ vim* profligandam progressum esse; id quod et nunc iterum affirmo ac enucleatius declaro. Scio, ne hoc quidem Baltzerio arridere posse, quippe qui in *necessitate credendi*, seu in *necessaria fide*, omne criterium veræ certitudinis reponit; sed illa *fides* aut ex ipsa *evidentia* rei oritur, et tunc saltem esset *improprietas* loquendi (vide *Prænotand.* n. 28 et seqq.), aut est *cæca* et *subjectiva*, et illam plane rejicimus.

(1) Rem quoad Kantium egregie jam

anotarat Galluppius: *Kant esplicitamente non ammette l'aliquid inconcussum, poichè egli pretende che la sua critica sia una scienza assolutamente a priori; ora non sarebbe tale se ella partisse dai dati sperimentali della coscienza, ma essendo intrinsecamente impossibile di filosofare, senza ammetter il fatto della coscienza, egli implicitamente ammette l'aliquid inconcussum, poichè questo filosofo non ha alcun timore delle contraddizioni. Lettere filosofiche, etc. pag. 296.* Vide, si opus est, versionem latinam hujus loci ad calcem voluminis.

(2) Necessitas quippe illa oritur ex *immediato intuitu* veritatis; nec aliud quam ipsa *cognitio veritatis* potest hu-



perpetuo ulteriorem rationem illius ipsius rationis, in qua mens immediate *veritatem* intuetur, seu quærere *rationem eorum quorum non est ratio*, hoc humani intellectus et rationis non est, sed delirantis ingenii. E contra Hermesius, dum ad alterum extremum deflectit, dum ex ipsa *intelligentiæ*, ex ipsa *evidentiæ* vi suum tenere pro vero tutum exurgere nunquam posse, nequidem de testimonio immediato conscientiæ, contendit, quo alio poterit certitudinem omnem, nisi in cæco quodam ac subjectivo facto, seu *fide* invenire, quo nil scepticismo opportunius. Rem porro ita esse inquisitionis Hermesianæ progressio ostendet.

162. Profligata quoad certitudinem, seu tenere pro vero tutum, omni *cognitionis* ac *intelligentiæ* vi, aggreditur Hermesius alteram inquisitionis partem, an scilicet ea certitudo detur ex *necessitate* saltem *immediata*, e subjecti nempe et prædicati eorumque nexus mero conceptu, sine ulla cognitione aut iudicio de nexus ejusmodi veritate, ita tamen ut etiam in actibus reflexis talis *persuasio perseveret* (1). Adnotat hic porro, quæstionem hanc, post philosophicam Kantii crisin, versari totam circa principium *rationis sufficientis* (2), unde inquirendum, an istud

manam mentem necessario ad assensum determinare. Præclare id declarat Gerdilius : *Quando è lo spirito consapevole a se stesso della evidenza con cui conosce una verità, egli non può non dirsi a se stesso riflettendo, che la cosa è realmente quale egli la vede, poichè non si può conoscere intuitivamente ciò che non è. Laonde riguardo a quel particolare oggetto si acquieta perfettamente la voglia che ha lo spirito di sapere; voglia che nasce dalla inclinazione che lo spinge a rintracciare il vero, finchè l'abbia scoperto, che vale a dire, finchè gli rimane qualche cosa da conoscere... La conoscenza è dunque la norma natu-*

*rale del giudizio : cioè la conoscenza è ciò che naturalmente determina il giudizio. Dell' origine del senso morale*, pag. 278, tom. 2, opp. Roma. Ad calcem voluminis datur hujus loci versio latina.

(1) Hoc efformat objectum *articuli tertii Intr. Phil.* pag. 145 et seqq.

(2) Germanice *Der Satz von Grund*, seu *Principium fundamenti*, quod continet in se, juxta Hermesium, veluti principia *subordinata*, tum principium *substantiæ*, tum principium *causæ efficientis*. Hinc nos pro *ratione sufficienti* usurpabimus quandoque vocem *fundamenti* (*Grund*).



talem certitudinem revera ex *necessitate immediata* progignat (1). Quærit ergo Hermesius in hoc principio : *Omne, quod existit, debet habere fundamentum, unde sit*, 1<sup>o</sup> quid cogitemus, 2<sup>o</sup> quomodo cogitemus (2). Detegit porro, quod hæc mentis functio, qua cogitatur *fundamentum* seu *ratio sufficiens* alicujus entis percepti, non pertinet ad *intellectum*, quia jam supponit, hanc facultatem suam intelligendi actum plene *implevisse*, et illi *supervenit* ad hoc, ut ens perceptum *reale* reddatur ac *tutum* contra *negationem* realitatis (3). Ergo ea functio pertinet ad aliam plane diversam facultatem, nempe *rationem*, cujus propria est *synthetica* operatio *fundandi* seu *stabiliendi* (4). Hinc ratio cogi-

(1) Adnotat Hermesius, quod ante Kantianam instaurationem etiam alia principia, uti illa *identitatis, contradictionis, exclusi medii, communiter existimabantur* nos determinare ex *immediata necessitate* ad ea pro *veris* habenda, tum in cognitione *directa*, tum in *reflexa*. Ast post Kantium non amplius ea philosophice spectari nisi veluti *meras leges cogitandi*; hinc, ait Hermesius, eos, qui adhuc illa appellant *principia formalia veritatis*, verbis ludere; quia *principium formaliter verum non est nisi recta cogitatio sine ullo respectu ad veritatem, ac principium veritatis formalis nil nisi lex cogitationis*, loc. cit. pag. 150. Ex quo patet, hæc *rationis principia* nullum *valorem objectivum* juxta Hermesium habere; de quo alibi. Tantum de *principio causali*, pergit Hermesius, est adhuc quæstio inter *realistas*, qui valorem illi *objectivum* ac *realem* tribuunt, et *idealistas*, uti Kant et Fichte, qui etiam illud inter *formalia principia* seu inter *meras leges cogitandi sub-jectivas* amandant. Ergo de hoc tan-

tum, concludit, potest hic quæstio institui. Ibid. pag. 151.

(2) *Intr. Phil.* p. 153.

(3) *Hæc nova igitur cognitio non est ullus actus intellectus (des Verstandes), quia nil in ea intelligitur, nec etiam ullus intelligendi actus per illam procuratur aut promovetur; sed ea præsupponit rō intelligere, et quidquid pertinet ad illud veluti completum (Vollbracht), et supervenit tunc ejusmodi actui cognoscendi completo veluti novus omnino ac ab eo diversus cognoscendi actus, ad hoc ut ens seu objectum in primo actu jam cognitum reddatur subsistens, ac tutus fiat a non-esse, uno verbo, ut fundatum sit (damit es begründet werde)* loc. cit. pag. 154.

(4) *Ratio seu facultas fundandi est Vernunft. Ratio, ait Hermes, est facultas absolute distincta ab intellectu, etsi cum isto adhuc a tam magnis philosophis ætatis nostræ quoad substantiam (dem Wesen nach) fuerit identificata*, pag. 159. Licet porro aliqua *distinctio* inter has facultates admitti

tat diverso omnino modo ac intellectus. Iste *analytice* ac *logice*, illa *synthetice*. Iste *intelligit*, et *plene* quidem intelligit; illa nihil intelligit, et tamen *fundat* ens, ut vere sit. Iste cogitat necessario objectum aliquod; illa necessario cogitat *fundamentum a priori*, *superaddendum* objecto, quod cogitat intellectus. Quid vero compellit rationem ad illud fundamentum cogitandum? Est necessitas naturæ rationis, quæ, ut admittat aliquid existere, debet posse cogitare, *quomodo illud esse queat*. Hoc vero non est *cogitare logicum*; est *comprehendere*, ex quo sequitur, rationem ad id impelli ex necessitate *comprehendendi*, ac proinde ratio definiri etiam potest *comprehendendi facultas* (1). Ast hic porro detegitur, rationem tunc solum adstringi ad fundamentum cogitandum, si prius admittat *ens*, necessario cogitatum ab in-

possit, ut alibi diximus, an hæc tamen *substantialis* distinctio, in ipsa illarum *essentia* posita, detur, sanioribus philosophis iudicandum relinquimus. Ceterum *functionem rationis*, dum *enti fundamentum superaddit* (*hinzudenkt*), esse *syntheticam* juxta Hermesium, evidens est ex ipsis terminis. Baltzer, Hermesium explanans, plane *syntheticam* vocat, loc. cit. pag. 225. Hinc Hermesius hoc sensu *actum cogitandi* rationis vocat *creativum* (*das schöpferische Denken*), loc. cit. pag. 157, quia nempe *a priori ex suo fundo* educit *fundamentum* illud (*Grund*), scilicet conceptum *realis* substantiæ aut *realis* causæ, quo *fundat*, *stabilit* ac *reale* reddit objectum seu *ens illud* necessario perceptum ab *intellectu*, quod secus in mero *formalis cogitationis* statu maneret.

(1) *Ratio*, ait ipse, *debet cogitare posse, quomodo illud (ens) esse possit. Patet, hoc non significare ullam logicam cogitationem.* (Et quinam

aliunde, prosequitur Hermesius, posset hæc fieri possibilis per superadditam cogitationem alicujus *fundamenti*? Aliquid *logice* non est cogitabile solum propterea, quia continet in se contradictionem, et *logice* cogitabile fit per *meram remotionem contradictionis*). *Significat ergo intime perspicere* (*einsehen*), *comprehendere* (*begreifen*), loc. cit. pag. 161, 162. Hic iterum Hermesius excludit, quod ratio, adhibendo principium *causale*, *analytice* iudicet; sed interim animadvertit *contradictionem* Hermesii, quam inferius melius patefaciemus. Ratio debet *intime perspicere*, juxta Hermesium, quomodo *possibilis* res sit, et *possibilem* non iudicaret, *nisi haberet rationem seu causam sufficientem unde sit*. Ergo ratio hoc iudicium efformat ex *principio ipso contradictionis*, ergo *per remotionem contradictionis*, ergo *logice* et *analytice a priori*, quamvis *realiter*. Cfr. Prænot. n. 35 (nota).



tellectu, esse jam *reale*. Ergo necessitas rationis est tantum *conditionata* et *mediata*; id est, pendet a prævio iudicio rationis *tenendi* seu *admittendi* aliquid *pro vero* ac *reali*. Posito hoc, jam ratio non modo cogitat, *necessaria fundamentum* supperaddendum objecto, sed hoc *fundamentum* ipsum *pro vero* ac *reali tenet* (1). Itaque Hermesius rejicit, quod principium *rationis sufficientis* determinet ad *tenendum pro vero* ex necessitate *immediata*. Nihil igitur adhuc, concludit Hermesius, circa objectum præcipuum inquisitionis, nempe certitudinem de *objectiva* veritate, effectum est. Quippe ratio nil potest efficere, nisi jam admittatur, *realiter* esse, quod *cogitatur* existere. Quid ergo restat? Hoc unum: quod nempe in nobis determinatio ad *tenendum pro vero* ac *reali* existat jam *ante reflexionem*, atque ita ut post reflexionem per quoscumque actus *reflexos irrevocabilis* omnino maneat (2). Hæc est unica conditio, a qua exitus totius pendet inquisitionis; in eam ergo in quarto distincto articulo toto animo incumbit Hermesius, realitatem aliquam, sicubi dari potest, tandem arripere cupiens (3).

163. Quoties, sic ille fere argumentatur, videre mihi videor aliquid *necessario cognoscere*, sive *immediate* sit sive *mediate*, me ipsum in sensu intimo *persuasum* invenio de realitate objecti; dum e contra, si *cognitio necessaria* non est, sed aut a phantasia aut a voluntate dimanat, *cognitionem* utique invenio, ast *persuasionem illam* non item (4). Hæc porro *ante reflexio-*

(1) *Intr. Phil.* pag. 178 et seqq. Semper insistit Hermesius in hac distinctione inter *necessarium cogitare* et *necessarium tenere*. Ast hic posset urgeri adversus illum: si ratio *tenet* *pro vero* et *reali* fundamentum, quod ipsa *necessario cogitat*, estne hoc ob aliud *fundamentum*? Et hoc aliud estne iterum propter aliud *ulterius*? Atque ita in infinitum. Quod si affirmet, rationem *tenere pro vero* ac *reali* illud *fundamentum* per se, quia scilicet *comprehendit, perspicit intime (Einsicht)*, illud *fundamentum* esse intrinsece ne-

*cessarium*; ergo, aliquis concluderet, datur *tenere pro vero*, id est *persuasio* tuta ex vi *perspicientiæ*, seu *evidentiæ* rei (*aus Einsicht*), quod Hermesius omnino negat.

(2) Loc. cit. pag. 181.

(3) Loc. cit. pag. 184.

(4) Semper *germanice* est *Fürwahrhalten* seu *tenere pro vero*. Nos tamen, ne semper hybridis his vocibus utamur, quandoque claritatis ergo dicimus *persuasionem*, quæ idem fere significare videtur.



*nem omnem* mihi indita est, quippe cum illo conscientiae actu, quo *primum cognosco me cognoscere*, jam simul conscientiam habeo, me *persuasum* esse de objecti cogniti realitate. Ergo est *necessarium tenere* sive *persuasio*, non autem *sic volita admissio*. At enim, instat Hermesius, num ego debeo tantum *scire* et *cogitare*, me habere ante quemcumque actum *reflexum* illam *persuasionem*, aut revera *necessariam persuasionem* habeo *illam* habendi (1)? Nam si primum esset, jam ego in secundo actu conscientiae haud amplius determinare ad illam primitivam *persuasionem* uti *existentem* habendam, sed illam uti mere *phaenomenicam* spectare possem, ac nihil proinde nacti fuissetus. At enim in secundo illo actu conscientiae non ego *scio* tantum et *cogito* necessario existentiam illius *persuasionis*, sed invenio simul in me conjunctam novam *persuasionem* de *realitate* ejus, quod *scio* et *cogito*. Et sic actus iterando invenio semper *persuasionem* de *persuasionem*, quod mihi ante quemcumque actum reflexionis *persuasio* de realitate objecti data fuerit, idque in infinitum (2). Ergo jam sumus circulum *necessariae cogitationis* emensi, et sumus *necessariae persuasionis* campum assecuti.

164. Verum *persuasio* ista, qua objectum *habeo pro reali*, est mere *subjectiva*, et ceterae *successivae persuasionis reflexae* circa *illam* usque in infinitum non sunt nisi *subjectivae*; quinam ergo certitudinem de *existentia objectiva* dare queunt (3)? Fateor, reponit Hermesius, sed quid inde? Num alia potest ab homine aut quæri aut obtineri quam *maxima certitudo subjectiva de realitate* objecti? Amplius homini datum non est, imo plane esset repugnans. Inde vero non sequitur, *necessarium illud tenere*

(1) Loc. cit. pag. 187.

(2) Loc. cit. pag. 188, 189. Quod ego transfero *persuasionem* de *persuasionem*, est apud Hermesium *das Halten des Haltens*, seu *tenere de tenere*, nimirum iteratio actuum reflexorum circa primum *tenere* directum. Verbo, tota rationalis certitudo juxta Hermesium circa objectivam realitatem illius

*directae* persuasionis est in hoc progressu posita: *teneo, quia teneo*, et sic in infinitum. Baltzerius hic loci vitio dat Hermesio, quod *formale* cum *reali*, *subjectivum* cum *objectivo* confuderit, loc. cit. pag. 240 et seqq.

(3) Hoc sibi objicit Hermesius ipse, pag. 189 et seqq.

(persuasionem) nullam majorem certitudinem dare, quam det *necessaria tantum scientia, cognitio, aut cognitio rei*; quippe cum *necessaria cognitione* stat adhuc possibilitas *tenendi contrarium*; at cum necessario illo *tenere* nequaquam. Et quamvis denegare haud valeam *possibilitatem, quod aliter in se res se habeat*, imo quod ipsum meum *tenere* seu persuasio *nonnisi apparens* sit, tamen ego illam et istud pro *reali omnino tenere* cogor, et hoc debet sufficere (1).

165. Est ne igitur confecta inquisitio? Minime subdit Hermesius; nil aliud hactenus nacti sumus quam *persuasionem reflexam*, quod nos habuerimus ante reffexionem *persuasionem directam de realitate rei perceptæ*. Sed num necessitatem habemus in *reflexionis statu* agnoscendi, quod illa *directa persuasio* fuerit *revera necessaria, seu vera ac realis*, aut non potius a *phantasia* aut a *voluntatis arbitrio* promanans? Uno verbo, estne illa *directa persuasio* per actum *reflexum revocabilis* aut *irrevocabilis*? Hæc erat altera pars inquisitionis, qua infecta, nil esset factum omnino. Igitur ad ultimum inquisitionis stadium devenimus, a quo nimirum pendet, utrum meta attingi tandem possit necne (2). Ita porro rem ad syllogismum revocando, conficit Hermesius.

(1) Nimis interest afferre verba ipsa Hermesii: *Cum ego*, scribit in *Introd. Philosoph.* pag. 191 et 192, *aliquid debeo tenere* (habere pro vero) *non possum tunc certe denegare possibilitatem, quod res se habeat in se aliter ab eo quam ego eam teneo; attamen ego non habeo possibilitatem tenendi, quod res aliter sit, aut possibilitatem ipsam non tenendi, quod ita sit. Eo autem modo quo ego illam tenere debeo, taliter illa mihi est, et talis debet pro me manere, quousque illam ego debeo habere pro tali, quidquid demum res esse possit in semetipsa. Hoc vero non contingit circa cognoscere necessarium.* — *Istud ipsum necessarium te-*

*nere* (persuasio) *potest utique in se esse merum phænomenon (Schein); nos non possumus oppositum demonstrare, aut cognoscere; sed quævis oppositi cognitio æquivaleret non-cognitioni, et illud unice, quod supra non-cognitionem se extollere posset, esset necessarium tenere de re cognita in illa; et hoc nobis datum est.* Jam prius, pag. 147, dixerat: *Utrumque sit in se verum aut falsum id, quod ego pro vero debeo tenere, si ego invenio, quod ego illud pro vero debeo tenere, atque aliter nequeo, tunc est et manet verum pro me.*

(2) Loc. cit. pag. 192, § 36.



*Major* : ad hoc , ut in reflexione possimus illam persuasionem de realitate objecti revocare , opus est inquirere in nobis fundamentum seu causam illius , ac expendere , utrum revera nos adstringat ad ita tenendum , aut utrum mere phænomenica necessitas illa fuerit , sic ut nos huic apparentiæ ante reflexionem ex mero defectu cognitionis nosmetipsos tradiderimus (1). *Minor* : atqui non possumus in nobis hoc fundamentum seu causam invenire ac expendere nisi fidentes immediatæ conscientiæ nostræ ; id quod nullo modo fieri potest , siquidem probavimus , dictamen immediatæ conscientiæ ante quamvis aliam persuasionem non posse certum esse , ac proinde ne persuasionem quidem de hoc dictamine tutam esse posse (2). *Consequentia* : ergo ne quidem possumus valido modo sive invenire sive expendere in actibus reflexis fundamentum seu causam persuasionis illius , quæ nobis ante reflexionem data est ; ac proinde ea persuasio manet certe irrevocabilis. Quod erat demonstrandum.

166. Ita demum sibi gratulatur Hermesius se basin metaphysicæ invenisse : primam scilicet realitatem ac primam veritatem , nempe realitatem rei , cujus immediatam conscientiam habemus , et veritatem dictaminis immediatæ conscientiæ , testantis id quod in nobis est (3). Habes optime lector , totam hujus inquisitionis summam ; nunc ex pluribus , quæ animadverti in illam possent , pauca hæc accipe.

167. I. Argumentum postremo allatum , cui tota innititur machina , duplici vitio laborat. 1<sup>o</sup> Primum hic Hermesius , qui psychologica investigatione , non logica demonstratione , uti Kantius , procedere se profitetur , in ipsum principium Kantii palam incidit , dum demonstratione syllogistica probare contendit factum ipsum de irrevocabilitate reflexa persuasionis directæ immediatæ conscientiæ. 2<sup>o</sup> Quod magis est , circumagitur aperte in

(1) Undenam major hæc constat Hermesio , nisi ex testimonio immediatæ conscientiæ ? Ergo fidem , implicite saltem , ejus veracitati habet.

(2) In hac minori iterum subtrahit

Hermesius fidem omnem , jam implicite præstitam immediatæ conscientiæ ; et consequentia ipsa ex vi tantum hujus negationis deducitur.

(3) *Intr. Phil.* pag. 198.



*diallelo*, seu vera *petitione principii* (1). *Major* nititur *veracitati* conscientiae immediatae; *minor* et *consequentia* fundantur in eo, quod nulla potest *tuta fides* huic ipsi testimonio haberi. Argumentum praeterea eo recidit: nos debere fidere *immediatae conscientiae directe* percipienti, ac persuasionem habenti de *realitate objectiva* ex hac proprie ratione, quia *reflexe* non possumus ullo pacto fidere *immediatae ipsi conscientiae*. Quisquis porro totum *Hermesii* processum rimetur, videdit, eum in perpetuo circulo versari, dum nunc testimonium immediatum conscientiae pro-

(1) Ut res luculentius pateat adsciscimus hic testimonium ipsius Baltzeri, qui de hac petitione principii fase agit, in § 64 op. cit. ubi scribit: *Si vir vetuli Hermesii, qui utpote empiricus psychologus circulos vitiosos in philosophicis principiis systematum Kantii et Ficti detexerat, ac ita suam psychologiam viam primus straverat, si talis vir nihilominus, in principio fundamentalis sui proprii systematis... philosophice constabiliendo, in petitionem principii prolabitur; potest inde colligi, quam proditorius esset labyrinthus ille, in quo Germanorum mens debebat punctum saliens philosophiae invenire, posteaquam ipsa perdidisset filum ariadnaeum empiricae psychologiam, atque inter ambages logici arbitrii se oberrare sivisset. Ita vero pressius ad rem, pag. 252: Eodem prorsus pacto, inquit, persuasio illa de persuasionem (das Halten des Haltens) ab Hermesio declarata, non est nisi phaenomenica, minime vero realis, id quod Hermesius ob furtive in eo illapsam illusionem non vidit. — Postquam ergo ita ostendisset Hermesius illam persuasionem de persuasionem veluti (supposititiae) realem, procedit ad quaestionem de irrevocabilitate reflexa, atque hic infidelis evadit principio suo psychologico, et necessitate impulsus iterum in logicam de-*

*monstrandi methodum Kantianam precipitat. Erat quippe ipsi impossibile, illam persuasionem de persuasionem in interiori immediata conscientia veluti irrevocabilem invenire, quando hujus conscientiae certitudo (seu veracitas) adhuc ipsi problematica erat; hinc volens nolens debuit quaerere illam irrevocabilitatem ope alicujus argumenti, id quod fieri non poterat quin recurreret ad principium causale. Attamen argumentum ipsum ope illius principii poterat vicissim tantum institui per immediatam internam conscientiam, quae illud comitatur; ac proinde, cum istius (conscientiae) veracitas nondum stabilita esset, solum uti argumentatio in circulo versans poterat se exhibere; id quod Hermesium effugit. Iste error eo notabilior est, quia in formanda hac argumentatione habetur in Majori fiducia implicita interiori immediata conscientiae, et statim postea in minori insistitur in illius veracitate veluti non probata, ad inferendam inde consequentiam syllogismi. Ergo hic unum idemque medium cognitionis adhibetur diversis sibi plane contradictoriis modis, et sumitur tanquam probans pro fine positivo et negativo in una eademque re. Postea rem uberius adhuc declarat.*

*blematicè* sumit, ut *ambiguum* vel *gratuitum*, nunc *scepticè* ut *fallax*, nunc *dogmaticè* ut *irrevocabile* et *infallibile*.

168. II. Quum philosophus aliquis post suas omnes inquisitiones eo deveniat, ut declaret, se talem humanæ cognitioni ac realitati objectivæ rerum certitudinem tutari, quæ firmissimam persuasionem tibi pariat, sed ita ut *res possint* nihilominus *esse in se aliter* omnino, nempe *non existere*, dum tu tamen debeas *persuasus esse illas existere*, ac ipsa eadem hæc *persuasio*, quæ te cogit ad ita et ita tenendum, *possit esse merum phænomenon*, num hoc non est *certitudinis objectivæ* causam tibi plane desperatam declarare? Hoc porro agit Hermesius (1).

169. III. In *objectivitate facti* immediatæ conscientiæ primam *veritatem* ac *realitatem* locat Hermesius. Optime; sed quænam est *objectivitas* illa, nisi animus in ipsa habeat *actualitatem* ac *realitatem* proprii sui *Ego*? Atqui hoc negat mordicus Hermesius, qui nimirum id ad alteram plane distinctam quæstionem rejicit, ubi longam ac implexam demonstrationem conficit, ut probet, istud *Ego* esse *reale* et *objectivum* (2). Ergo quidquid hactenus

(1) Recolantur superius exposita pag. 474, nota (1).

(2) *Intr. Phil. Secunda Inquisitione*, ubi ad conficiendam demonstrationem existentiae Dei prius fusc demonstrare aggreditur Hermesius *realitatem mundi* tum *interni* tum *externi* (der Innen-und Aussenwelt). Ita porro in *articulo primo* quæstionem proponit: *Debet ne ratio reflectens habere pro reali internum mundum nobis apparentem?* quam ut resolvat, nimirum ut *fundet realitatem nostri Ego*, fere quadraginta pagellas insumit. Objicit sibi porro in limine ipso, quod posita *necessaria realitate objectorum*, qualia *apparent* in conceptu nostro, deberent etiam uti *reales* admitti *modificationes* τὸ Ἔγῳ, ac implicite proinde

videretur etiam admitti debere ipsum *Ego* uti *reale*. Subdit tamen: *Qui huic apparentiæ credit, debet etiam judicare, jam illico simul inventam esse realitatem τὸ Ἔγῳ... Neque rarum est ita judicari ex tali apparentiæ (Schein) valde revera deceptrice. Cui nota non est illa celebris adeo demonstratio pro realitate τὸ Ἔγῳ: Ego cogito, ergo existo. Et quid aliud hæc est nisi illa illusoria demonstratio? Utique jam ista... eo vitio laborat, quod assumitur actualitas cogitationis ex testimonio immediatæ conscientiæ, quin prius necessaria certitudo istius testimonii per aliquid aliud fuerit ostensa. Sed, hoc etiam vitio seposito, semper admitteretur propter definitam realitatem cogitationis, id est, propter realitatem modificationis τὸ Ἔγῳ, realitas ipsius Ego... Ad detegendam hanc fallacem*



de *objectivitate reali* conscientiae ac de *principio causae* probavit, in *Ego* mere *phænomenico* fundatur. Et quomodo *Ego phænomenicum* potest ad quidquam, quod non sit mere *phænomenon*, jure concludere (1)?

170. IV. Principium *causale* hermesianum, de cujus *realitate* contra Kantium detecta maxime gloriatur Hermesius, sibi ipsi repugnat. Nam 1° est *judicium syntheticum a priori*; siquidem asseritur, esse functionem plane *syntheticam*, qua ratio producit, ac ex ipsa *natura sua creat fundamentum*, quod ipsa *superaddit* enti *percepto necessario* ab intellectu, idque sine ulla *objecti cognitione*; ergo *superadditur a ratione caeco modo*, quin cognoscat, utrum *prædicatum* illud *fundamenti* subjecto conveniat necne. Ergo *synthetice* omnino et a priori *Kantiano modo*. 2° Est simul *judicium analyticum a priori*; siquidem asseritur, rationem *superaddere fundamentum ex necessitate comprehendendi, quomodo res, cogitata necessario ut realis ab intellectu, possibilis sit*. Ergo ratio cognoscit *impossibilitatem oppositi*; ergo videt, quod principium, *nil est sine fundamento*, revocatur

*illusionem*, etc. pag. 280, 281. Plura inde patent: 1° Hermesius exigit demonstrationem pro ipsa *immediata conscientia*. 2° *Illusionem* existimat, ex *realitate affectionis* nostri *Ego* statim concludere ad *realem nostram existentiam*. 3° Nullum *sensum* sui ipsius animo *essentialem* agnoscit. 4° *Duo Ego* admittit, *phænomenicum* unum, alterum *substantiale*. 5° Ut fiat legitimus ex primo ad alterum transitus, longam ac implexam ratiocinationem exposcit, deductam ex *successivis permutationibus* nostri *Ego*, ex principio *substantiae*, ac ex principio *causalitatis*, quæ jam admitti debent uti principia *non formalia* sed *realia* ante *realitatem* ipsius *Ego*, qui illa perci-

pit. Istane est philosophia, quæ incipit a *realitate*; aut non potius (*Philosophie des Verstandes*) *philosophia illa abstracti intellectus*, quam tamen Hermesius se primum valide oppugnasse præ se fert?

(1) Videtur hoc Baltzerium non effugisse, si mentem ejus rite assequimur, dum ait: *Ita Hermesius in cognitionem venire potuisset, quod illud Ego, a se præsuppositum in interiori veluti animi fundo, non solum debeat esse Ego formale seu Ego-subjectum, sed etiam Ego reale seu Ego-objectum; quia secus in se non posset habere potentiam detegendi fundamentum aliquod reale et formale, id est, aliquod Non-Ego substantiale, objectum simul et subjectum*, loc. cit. pag. 236.



ad principium *contradictionis*; est ergo iudicium *identicum*, ac proinde *analyticum a priori* (1). Quæ major pugna?

171. V. Hermesius nedum *essentialiter* rationem ab intellectu distinguit, sed perpetuam inter illa pugnam inducit. Intellectus, Kantiano modo, non est per eum nisi facultas conceptuum, mera facultas *necessario cogitandi*, ac est *per se fallax*, quæ nihil potest *tenere* ut *verum* ac *reale*. Ratio contra est *unica* facultas *realitatis* et *veritatis*; quæ debet *necessario dubitare* de *realitate* cuiusque rei, quæ ab intellectu ut *realis* percipitur (2); quæ sola potest *tenere* ac *admittere* aliquid ut *reale* ac *verum*. Quid magis anti-psychologicum?

(1) Recolantur tum quæ in *Prænotandis* de hoc principio *causali* monuimus, num. 35, tum quæ de principio causali Hermesiano jam adnotavimus paulo ante, pag. 449, not. (1). Ex his et ex præcedentibus potest colligi, quanti faciendum sit meritum, quod tribuitur Hermesio a suis sectatoribus, quod nempe primus omnium principium *causale* psychologicæ demonstraverit ut vere *reale* adversus Kantium. Quid? quod Baltzerius ipse, qui magnas ob id Hermesio grates habendas proficitur, in § 63, fasc. 2 cit. expresse ostendendum assumit propter alias rationes, quas non est hujus loci referre, *Hermesium principia sive existentia* (vom Seyn) *sive causæ* (vom Grund), *quæ veluti realia prius invennerat, postea ob psychologicum errorem inter objectum formale et reale scientificæ perdidisse, et solum uti principia formalia in sua metaphysica construenda adhibuisse*. Quod quidem semper recidit in vitium fundamentale Hermesiani systematis, quod in circulo mere *formali* ac *subjectivo* perpetuo versetur.

(2) *Statim* ac, ait Hermesius, *accedit reflexio, ac ratio investigat cogitationem intellectus, ens uti reale exhibentem* (das realisirende Denken), *tantum abest ut ratio debeat amplius pro reali habere illud, quod intellectus cogitat ut reale, quin potius necessario dubitare debet de realitate hujus cogitationis intellectus... Atque ista dubitatio potest utique repelli per actum voluntatis rationi ipsi contradicentem, ac proinde coram ejus tribunali repudiabilem, sed nunquam tolli*. pag. 181. Etiam hoc loco possumus provocare ad testimonium Baltzeri, qui eandem psychologicam *antilogiam* in magistro suo Hermesio inter intellectum et rationem dolet; tametsi ipse ex *aliis principis* ad hoc deveniat. Vide op. cit. §§ 65, 66, ubi ostendit, Hermesium *locupletasse rationem cum præjudicio intellectus, dum ex altera parte intellectum modo Kantiano cum dispendio rationis locupletavit*; ac præterea functiones *intellectus* ac *rationis* non tam *logice distinxisse*, quam *psychologicæ* contra naturam rerum ab invicem *separasse*, aut potius hostiles effecisse.

172. VI. Hermesius, modo item plane Kantiano, *intellectui formas seu categorias suas a priori vindicat*; solum *intuitiones sensibiles spatii et temporis*, quas Kantius *a priori* item admirerat, rejicit Hermesius, easque *a posteriori* esse posse asserit; minime tamen ostendit id, quod ad Kantismum refellendum præcipuum caput esse videbatur (1).

173. VII. Magnum psychologikum inventum, quo Hermesius se metaphysicæ basim detexisse putat, est distinctio illa inter *necessarium cogitare et scire*, et *necessarium tenere*; dum necessario cogitat ac scit *intellectus* objectum *uti reale*, nondum, ait ipse, illud est *verum ac reale* pro me; est *logica cogitatio*, cujus *oppositum* possum *tenere*. Ast cum *ratio* necessario tenet pro *vero ac reali* objectum, impossibile plane est, me aliter illud *tenere* (2). Age vero, ad analysin revocetur illud *tenere* Hermesii. Quid est nisi necessaria *persuasio* animi *rem ita et non aliter esse*? Et ea persuasio a quonam gignitur, nisi a necessario *assensu* alicui necessariæ propositioni seu iudicio? Nunc quærimus: neces-

(1) Satis est consulere Hermesium, *Intr. Phil.* pag. 156, ubi scribit: *Etiam intellectus efformat a priori puros conceptus suos realitatis, qualitatis, substantiæ ac cæteros* (nempe Kantianas categorias). Mentem Hermesii explanat Baltzerius, ac queritur de hac Kantianismi reliquia in illo pluribus locis. *Intellectum*, ait, *considerat Hermesius, Kantiano plane modo, uti meram facultatem cogitandi, et quidem a priori*, pag. 262. Si quis porro congereret omnia loca, in quibus Baltzer, amore veritatis ductus, profiteretur, Hermesium *laqueis Kantianis irretitum adhuc fuisse, reliquias Kantismi veluti hæreditarias conservasse, Kantismum nonnisi dimidiatè superasse, subjectivum pro objectivo, formale pro reali assumpsisse, demum nonnisi semirealismum assecutum esse*, is certe

plures paginas ex iis conficeret. Ita auctor iste, qui omnes hujus systematis rimas perlustrarat.

(2) Hinc Hermesius, referente Baltzer, affirmare solitus erat, philosophiam Kantii esse philosophiam *cognoscendi*, suam vero esse philosophiam *tenendi*. Hinc idem Hermesius collaudat Fichteum, eo quod solus hoc philosophicum dictamen protulerit: *A scientia seu scire* (Wissen) *ad objectum scientiæ transire, impossibile plane esse; idcirco aut nos debere statim a realitate incipere posse, aut nunquam nos posse ad realitatem pervenire*. Sed num Hermesius huic principio fidelis existit, dum demonstrationem exigit pro realitate testimonii immediatæ conscientiæ, multoque magis pro actualitate objectiva nostri *Ego*? Cfr. quæ modo adnotavimus.



sarius *assensus* ille perficitur ex *cæco* impulsu et instinctiva lege, an vero a cognitione veritatis. Si primum dicit Hermesius, ergo illud *tenere suum* non est nisi *cæcum* ac *subjectivum*, quod nullam certitudinem legitimam tutari potest, planeque cæcis Reidii *instinctibus* æquivalet; si alterum, ergo cognitio *veritatis* est causa generatrix omnis assensus, omnis persuasionis ac certitudinis: æquid reapse nisi *veritas* mentem potest ad assensum necessario determinare? Admittimus ergo, quod certitudo ex tribus elementis *logice* distinctis constet, cujusmodi sunt 1<sup>o</sup> veritas in objecto, 2<sup>o</sup> persuasio firma in subjecto, 3<sup>o</sup> motivum, seu *ratio evidens*, quæ illam persuasionem de veritate gignit (1). Sed cur *psychologice* res scindit Hermesius? Quia nempe, regerit ipse, si *necessario cogitamus* tantum, semper possumus *tenere* oppositum saltem *reflexe*. Atqui negamus plane; etenim, si vere *necessaria* est cognitio ac iudicium, talis erit etiam in actu *reflexo*; quia nimirum veritatis intuitus semper æque invincibiliter determinabit assensum nostrum, nisi nobis ipsis vim maximam inferre, ac ipsi possibilitati cogitandi valedicere velimus (2).

(1) Hic vero adnotandum quod, cum veritas in propositione, seu intuitione aliqua immediate fulget, tunc ipsa veritas objecti et motivum, quod in nobis persuasionem firmissimam gignit de illa, identificantur; quia tunc veritas ipsa est ultima ratio logica, in cuius immediato intuitu non possumus non plene conquiescere eidemque non firmiter adhærere.

(2) Sane quid sibi vult *psychologica* sua distinctione Hermesius? An quod, dum quis necessario cogitat ac cognoscit tantum, impossibile idem simul esse et non esse, aut effectum non posse sine causa existere, oppositum *tenere* possit? An quod, dum ex testimonio immediato intimi sensus cognoscit, necessario se cogitare, sentire, velle, ac proinde existere, possit tamen sibi con-

trarium persuadere; aut dum se *passive* affectum sentit, se non ab aliquo objecto, quodcumque tandem sit, a se distincto affectum *tenere*? Quis hoc affirmabit? *Nullus*, aiebat hoc sensu S. Thomas, *potest cogitare veritatem non esse*. *De Verit.* q. 10, art. 12. *Ea, quæ naturaliter rationi sunt insita, verissima esse constat, in tantum ut nec ea esse falsa sit possibile cogitare*. *Contra Gent.* 1, 7. *Scire est causam rei cognoscere; et quoniam impossibile est aliter se habere*. *Ibid.* *De verit.* q. cit. art. 10. Fatemur, in certitudine morali, ut jam monuimus in *Prænotandis*, n. 27, posse voluntatem majorem habere influxum, ita tamen ut quandoque æque rationalis ac ineluctabilis inde persuasio exurgat. Sed quid præterea significat illud Her-



174. Plura adhuc superessent adnotanda de empirismo hujus systematis (1); aliisque non paucis; sed hæc satis pro re nostra dicta sint. Aliqua tantum de altero certitudinis hermesianæ fonte, de *admittere pro vero*, brevissime attingamus.

175. *Tenere pro vero*, de quo hactenus, est persuasio illa, quæ oritur ex *ratione theoretica*; *admittere autem pro vero* est, quæ enascitur ex *ratione* mores præscribente, seu *practica* (2). Dictamen legis moralis exurgit juxta Hermesium ex ea facultate, qua quisque approbat illud omne quod *vis* est (3), seu quod ratio

mesii? *Cum ego teneo aliquid pro vero ac reali, jam impossibile est quod ego oppositum teneam.* Certe, scholasticus reget, in *sensu composito* verissimum est, quia, dum assentior, non possum non assentiri. Sed quæstio est, utrum quis debeat necessario in eo assensu in eo *tenere* perseverare. Atqui, si admittitur, illum, qui necessario tantum aliquid cognoscit, posse semper contrarium hujus *tenere*, jam poterit etiam revocare necessarium assensum sive quodcumque *tenere*. Quid porro aliud sceptici efficere saltem conantur? Sed nos hisce reponemus cum Joan. Duns Scoto: *Si quis proterve neget, illos actus inesse homini, non est cum eo ulterius disputandum, sicut nec cum dicente: Non video colorem; sed illi dicendum: Tu indiges sensu, quia cæcus es. Ita quia quodam sensu interiori experimur istos actus in nobis, si istos neget, dicendum est, eum non esse hominem, quia non habet illam visionem interiorum, quam alii experiuntur se habere. In lib. iv, Sent. dist. 43, q. 2.*

(1) Remittimus nos ob id ad articulum nostrum secundum jam cit.

(2) Distinctio rationis in *theoreticam*

et *practicam* antiquissima est, et cum ab ipso Aristotele tum sæpe a S. Thoma ac scholasticis cæteris usurpata; sed illud etiam verissimum, *unam* tantum rationem ab iis agnitam fuisse, quæ nempe, si in mera contemplatione speculativa veri sistit, *theoretica*, si autem cognitionem veri ordinat ad opus, ac mores proinde moderatur, *practica* dicta est. Hinc, quidquid a ratione practica decernitur, semper in ipsa ratione theoretica suum debet fundamentum habere. Instaurationi vel eversioni Kantianæ debetur ea essentialis distinctio, qua ratio humana in duas veluti partes est scissa, quæ simul confligant oportet, dum ratio *practica* illud debet admittere ex officio morali ut postulatum, aut practice verum, quod *theoretica* ratio aut respuit, aut de cæjus veritate æquo jure dubitare potest. Hermesium porro non reprehendimus, quod eam scholasticam distinctionem sectatus fuerit, sed quod, Kantianis principiis indulgens, saltem ex parte in vitia illa, uti nunc ostendemus, delapsus sit.

(3) Germanice est *Kraft*. loc. cit. pag. 204.

necessario agnoscit uti *reale*, ac maxime illas *vires*, quæ dignitatem hominis supra cetera entia terrestria ostendunt, ut *intelligentiam*, *libertatem*, *beneficentiam* in ceteros, etc. et reprobatur contraria. Hinc ratio practica suum supremum *imperativum categoricum* ita profert: *Exhibe pure et serva in te et in aliis dignitatem humanam* (1). Hinc imponit fines practicos seu morales *necessarios*; hinc *necessitatem* moralem, strictam scilicet obligationem parit; quippe ratio est *legislatrix* legemque suam sanctione communit, nempe *reprobatione* vel *repudiatione sui ipsius* in eos, qui illam violant (2).

176. Nunc igitur quærit Hermesius: num detur *tutum admittere pro vero ex motivis finium moralium necessariorum*, seu clarius: *num ex practica ratione obligante possit unquam dari necessitas admittendi aliquid* (aliquam cognitionem) *pro vero, quod theoretice sit dubitabile*; en hujus secundæ sectionis objectum. *Affirmative* quæstionem resolvit Hermesius ex istis principiis: Omne *imperativum* seu officium *absolutum* rationis *practicæ* exigit observantiam, ac proinde omne id, sine quo observari *non posset*; atqui sunt plura principia seu officia moralia universalia *absoluta*, quæ, nisi *admittas pro veris* illas circumstantias *licet theoretice dubitabiles*, in quibus unice illa obligant, seu officia *absoluta* sunt, jam non possent impleri; ergo ratio *practica* imponit in iis casibus *necessitatem admittendi pro veris circumstantias* illas (seu illam cognitionem) *licet theoretice dubitabiles* (3).

(1) Adnotat Hermesius, quod, si agatur de *perficienda* hac humana dignitate, tunc ratio practica non imperat, sed hortatur et consulit.

(2) *Practica ratio*, ait, est *legislatrix* (Gesetzgeberin); *sensualitas autem nequaquam*, pag. 210. *Ipsa imperat: Tu debes... Per accedentem pœnam repudiationis sui ipsius* (homo quippe reprobatur se ipsum) *accipiunt imperia rationis practicæ sanctionem*

*legum, aut... quod idem est, imponunt nobis moralem necessitatem ea implendi*, pag. 209. Plura hic occurrerent notanda de hoc morali systemate hermesiano, ubi ratio est *autonoma*, educit e fundo suo legem strictamque obligationem, imperat sibi ipsi et obedire debet. Quid moralem Kantii doctrinam exhibet fidelius? Sed innuisse sat esto.

(3) Longam disputationem Hermesii



177. Nimis præstat expendere exempla, quibus rem illustrat Hermesius. Exposito supremo moralitatis principio (quod continet etiam *obligationem* adhibendi media necessaria ad illum finem) suapte consequitur, 1<sup>o</sup> *officium absolutum*, quo tenemur ad vitam proximi præsertim periclitantem omni ope servandam, puta, si quem videamus in aquis jamjam se submergentem; atqui nisi tunc *admitteretur pro vero testimonium sensuum externorum*, quinam illi unquam posset officio satisfieri? Ergo licet *theoretice dubitari semper de ejusmodi testimonio queat*, ratio *practica* imponit tunc officium *admittendi pro vero* illud testimonium (1). 2<sup>o</sup> *Officium absolutum* vitam nostram *mediis omnibus* conservandi; atqui, nisi quis, dum infirmatur, *admitteret pro vero, medicum habere scientiam necessariam*, ac *nullam voluntatem necandi*, nunquam posset satisfacere officio, quo alienam opem eo in casu tenetur adhibere. Ergo, tametsi semper *theoretice* dubitare queat de scientia ac honestate medici, debet ex *practicæ* rationis imperio utrumque *admittere pro vero* (2).

ad hunc syllogismum revocari facile posse, nobis visum est. Hic porro primum adnotes velim, rationem *moralem* seu *practicam* nunquam esse criterium posse certitudinis ac veritatis, sed hoc jam præsupponere. Omnis quippe *certitudo*, cum a persuasione firma ac rationabili, sine formidine oppositi, producat, debet a ratione *theoretica* manare; et quidquid demum ratio *practica* directe vel indirecte præscribit, eatenus *validum* esse potest, quatenus *theoretica* ratio illud uti verum ac reale habet; secus homo nunquam se moraliter obstrictum sentiret. Ergo ratio *practica* nil per se addere potest circa veritatem objectivam rerum, quæ nempe aut *certa*, aut *dubia*, aut *probabilis* manet, prout ratio *theoretice* judicat. Ac ipsam judicium *re-*

*flexum*, quo *theoreticum* seu speculativum dubium directum sæpe tollimus et *practica* securitate operamur, num non *theoreticum* est, et in ipsa *theoretica* ratione vim exerit persuadendi?

(1) Loc. cit. pag. 227. *Vere*, ait Hermesius, *ratio theoretica in hoc casu ob suam necessitatem comprehendendi est jam necessitata ad tenendum pro reali illud, quod nos per externum sensum intuemur. Sed*, addit, *hoc non excludere necessitatem admittendi illud pro vero ex morali officio, quia in iis circumstantiis semper potest rationaliter (mit Grund) dubitari theoretice de veracitate illius sensationis, ac utrum ea sensibilis cognitio non sit nisi mera illusio*, pag. 228.

(2) Hoc aliaque hujus generis exempla, quæ affert Hermesius (ex. gr. nos



3<sup>o</sup> *Officium absolutum*, quod nos confugere obstringit, ut finem moralem assequamur, ad *experientiam* aliorum in subsidium nostrum adsciscendam. Sed quoniam exigentia mediorum non potest mensuram excedere necessitatis, exigentia alienæ *experientie* dimetienda ex necessitate est. Hinc si satis alicui sit *experientia cœvorum*, *ratio practica* hanc tantum præscribit; si vero quis etiam *experientia ætatum anteactarum* indigeat, *ratio practica* imperat illi, ut ad hanc etiam assurgat. Sed quomodo posset hoc medium necessarium adhiberi, nisi *admitteretur pro vera* cognitio temporis anteacti? Et quid est ejusmodi *cognitio*, nisi *historia*, quæ scilicet temporum omnium monumenta servat? Ergo ex imperio rationis *practicæ* iis in casibus tenemur *admittere pro vero* testimonium *historiæ*, licet *theoretica ratio motiva dubitandi de illo* nunquam non habeat (1).  
 4<sup>o</sup> *Ratio practica* imperat absolute, ad aëris incolumitatem morumque custodiam tuendam, ut sepeliantur aut comburantur corpora defunctorum. At istud præceptum impleri nunquam

debere saltem *aliquos* pro vere *pau-peribus admittere*; secus nunquam satisfacere possemus *præcepto morali* eleemosynæ, etc.) ostendunt, eum *probabilitatem* cum *vera certitudine* confundere. Probabilitas quidem, præsertim si maxima sit, in plerisque vitæ negotiis satis est ad prudenter agendum. Si enim, ex. gr. antequam vescaris, exigeres certitudinem *metaphysicam*, aut etiam stricte *moralem*, quod cibi veneno infecti non sint, eam aut nunquam aut nonnisi longo tempore assequeris, et fame interea perires. Tunc igitur ratio ipsa ex *theoretico* illo iudicio dictat, *practice* prudens esse ex probabilitate illa, præsertim si maxima, agere; quippe aliter fieri non potest. At quid hoc commune habet cum vera certitudine seu physica seu morali, qua *theoretice*, et omni dubio remoto,

certus quis est, se rem sensibus suis rite dispositis percipere, aut a fide dignissimis testibus accipere, quaque in ea evidentia sive physica sive morali tutissime conquiescit?

(1) En hermesianum criterium pro auctoritate historica, pro illa scilicet auctoritate, cui tota posthac inniti debet demonstratio Religionis christianæ. *Theoretice*, ait Hermesius, de omni historiæ veracitate dubitandum est, *practice* tamen admittenda, si officium morale obstringit ad experientiam antiquitatis consulendam. Ergo, qui nullo ejusmodi tenetur officio, nullum validum motivum haberet, unde ex. gr. persuasus esset, Cæsarem olim extitisse; ergo nullam *theoreticæ* rationi ipsi vim inferret, si hoc denegaret? Cetera inferius.

posset, nisi *indubitate admitteremus pro vero*, aliquem *revera esse mortuum*; aliunde vero *theoretica ratio* nunquam adigitur necessario ad *tenendum pro vero*, quod corpus, *mortuum apparens, iterum victurum non sit*. Ergo ex vi *moralis imperativi tenemur admittere pro vero*, illum, qui *mortuus videtur, mortuum revera esse* (1).

178. Ita Hermesius conficit, rationem suam *practicam* sæpe efficere, ut ex *moralis officio* debeamus *admittere pro vera ac reali* aliquam *cognitionem*, quam *ratio theoretica* non potest tenere uti *veram* atque *realem*, sed *semper de illa dubitare potest* (2). Verum, ut totam hanc theoriam plene teneas, magni momenti sunt canones hermesiani insequentes, quibus in subjectis notis brevitatis gratia animadversiones nostras interserimus.

179. 1<sup>o</sup> Homo de nulla re *moraliter certus est*, nisi de eo, quod *ratio moralis obligans* imperat *admitti pro vero*, ut nempe detur locus *possibilitati implendi aliquod ipsi indeclinabile officium morale*. Ista *practica persuasio imperata* reddit hominem *moraliter certum*. Nihil præterea (3).

(1) En hermesianum criterium pro miraculo quovis ac speciatim resurrectionis a mortuis dijudicando. Cfr. *Introd. Phil.* pag. 587 et seqq. : Ita probari debet, Lazarum fuisse revera mortuum, ac postea revocatum ad vitam. Non igitur *theoretica* ratio est, quæ certa sit ex indubiis naturæ legibus, cadaver quatruiduanum extinctum omnino esse; sed *ratio practica* imperat id admittere propter publicam incolumitatem. Sed num *ratio practica* imperaret cadaverum sepulturam, si *ratio theoretica* non haberet ea vere pro mortuis?

(2) Animadvertimus tamen, Hermesium non de quacumque cognitione *theoretice dubitabili* hoc affirmare, sed tantum de iis casibus, in quibus *ratio dubitandi theoretice* exurgit ex motivis

*universalibus*, ad ipsam rei naturam generatim pertinentibus, non vero si exoritur ex aliquo *peculiari* motivo superaccedente. Ex. gr. si haberes *peculiarem* rationem dubitandi, quod iste vel ille medicus omni scientia careat, aut malo animo sit contra te comparatus; tunc enim Hermesius negat, moraliter posse a ratione practica imperari admissionem scientiæ et honestatis in eo medico contra illud dubium *theoreticum*. Hoc porro vocat *criterium generale admittendi pro vero*, pag. 237 et seqq.

(3) Novum *moralis* certitudinis genus invehit Hermesius, ad quam nempe debet ipsa *physica* certitudo revocari, quæque non adest, nisi *urgeat morale præceptum*, quæ hanc persuasionem imperet. Ergo quoties præceptum tale



180. 2<sup>o</sup> *Admittere* aliquid *pro vero* plane distinctum est a *tenere pro vero*. Est nempe purum *admittere* hoc, ut possimus agere in reflexione, perinde ac si *teneremus* rem *pro vera*. Hinc potest semper *dubitari* de illa *theoretice*, licet nunquam haberi illa possit *pro falsa* (1).

181. 3<sup>o</sup> In ea *practica* persuasione nulla urget nos necessitas physica ( ut contingit in *persuasione theoretica* ); sed necessitas est mere *moralis*, id est, *obligamur* (2).

182. 4<sup>o</sup> Neque *immediate* obligamur, sed *mediate*, scilicet ut aliquid velimus. Hinc, si *præscindere omnino* possimus a veritate *cognitionis*, ac interim in *theoretico dubio* manere, licitum id nobis est; sed tamen *practice* ita debemus *velle et agere* sicut in casibus, in quibus habemus *theoreticam* indubitatum persuasionem (3).

183. 5<sup>o</sup> Nos possumus utique eam *practicam* persuasionem

non datur, dubitabit quisquam, ex gr. an existat Roma, quam nunquam vidit, aut etiam si vidit, quia sive de testimonio quocumque aliorum, sive de testimonio sensuum externorum semper *rationabiliter* (mit Grund) *theoretice* est dubitandum.

(1) Ita Hermesius, qui jam *rationem* et *intellectum* ab invicem sciderat, nunc iterum *rationem* ipsam in se scindit, Kantiano semper modo. *Theoreticum dubium* de reali veritate in una rationis parte; *practica acquiescentia*, perinde ac si veritas certa esset, in altera parte rationis. Dico *partes*, quia si non nisi diversæ functiones ejusdem identicæ facultatis essent, quinam hæc posset simul de eadem re dubitare et conquirere?

(2) Sed num non quandoque talis est evidentiæ sive alieni testimonii sive historicæ auctoritatis, ut moralis certitudo inde enascens *metaphysicæ* plane

æquiparari possit? Num non eandem quandoque vim, si eam oppugnare velimus, rationalitati nostræ inferre debemus, sive certitudinis motivum *intrinsecum* sit sive *extrinsecum*?

(3) Tunc igitur *practice* operaremur, manente dubio *theoretico* speculativo; at quid si hoc dubium respiceret honestatem moralem actionis? Quid si spectaret veritatem *Fidei*? Ergone sufficeret *practice* velle et agere, ac si christiana fides haberetur *pro vera*, et tamen dubium *theoreticum* in mente habere, an ea vera sit? Et potest ne unquam præscindi a *veritate* cognitionis, si *theoreticum* dubium de illa perseveret? Meminerint, qui talia defendunt, nunquam licitum esse operari *moraliter* cum dubio speculativo de licitate actionis; ac assensum fidei stare non posse cum mera *probabilitate* speculativa, quod Deus sit locutus.



*imperatam* a ratione *practica*, sicut quodvis aliud morale officium, repudiare, eo ipso quod opus libertatis est; sed repudiatio ejusmodi est violatio *officii*, ac proinde inseparabilis ab illo est sanctio *reprobationis sui ipsius* (1).

184. 6<sup>o</sup> Demum, concludit Hermesius, ista persuasio *practica* validissimum criterium *certitudinis* est. Quippe talis est, 1<sup>o</sup> si tantum spectetur veluti *securitas practica*; nam quomodo magis absolute *tuto* agere possumus, quam id agendo, ad quod *moraliter* tenemur (2)? 2<sup>o</sup> Si referatur etiam ad *objectivam* veritatem rerum; nam si in reflexione velim cogitare, quod ratio *practica* me decipiat, et quod e contra *dubium* illud *theoreticum*, quod ex ejus imperio *practice* contemnere debeo, rerum veritati respondeat, jam deberem admittere simul istam sublmissimam facultatem finium moralium, etiam dum *moralis* necessitate dirigit, me contra *objectivam* rerum *veritatem* ducere (3). *Hoc certe*

(1) Ex hoc sequeretur, quod quicumque certitudini morali refragaretur, *quæcumque* tandem sit *res* de qua agatur, et in *quocumque* casu graviter *peccaret*. Verum tamen est, quod juxta Hermesium hoc non esset *peccatum* nisi *philosophicum*, nempe contra *rationem autonomam*, ac infligentem pœnam *reprobationis* sui ipsius (*der Selbstverwerfung*)!

(2) Aliud est *securitas practica moraliter bene* agendi, aliud *certitudo* de veritate et realitate objecti. Illa exigit tantum persuasionem, quod actio hic et nunc *licita* sit; ista persuasionem firmam ac rationabilem, quod *res ita et non aliter* sit. Illa quandoque cum probabilitate, præsertim maxima, de veritate rei stare potest, quin imo sæpenumero agendum est, quin *certitudo* possit haberi; hæc vero plane distincta a *probabilitate* est, et veluti in *indi-*

*visibili posita*. Cfr. *Prænotand.* n. 21 et 26. Ex quo consequitur, quod, ubi *certitudo* et non mera *probabilitas* exigitur ad *moraliter* agendum (uti ubi agitur *de veritate Fidei*), *securitas* illa *practica* non esset nisi falsa securitas.

(3) Sed si revera ratio *practica* quidquam præscribit directe vel indirecte, refragante ratione *theoretica*, quid prohibet, quod illa uti deceptrix habeatur? Atqui juxta Hermesium, qui conflictum inducit inter utramque, res ita plane se haberet. Si igitur supponi nequit, quod ratio *practica*, dum aliquid imperat necessitate *moralis* præstandum, nos ducat contra veritatem *objectivam* rerum, idcirco est, quia nil ipsa edicit, nisi ratione *theoretica* suffragante, seu ut clarius loquamur, quia ratio *una metaphysice* est, nec sibi ipsi pugnare potest, quod Hermesius effugit.

*possibile est* (1); sed ego nequeo illud *admittere*; quemadmodum quoad persuasionem *rationis theoreticæ*, *possibile est contrarium*; sed ego illud *tenere* nequeo. Hactenus Hermesius, cujus theoriam paucis sed fideliter retulimus (2).

185. Jam vero si quis hanc doctrinam de *moralī certitudine* sedulo scrutetur, si animadversiones illas, quas in notis adjecimus, ob oculos habeat, si consideret hoc *admittere pro vero*, seu *practicam* hanc persuasionem, licet cum *theoretico dubio* de opposito conjunctam, esse demum fundamentum, cui innititur certitudo *miraculorum ac prophetiarum*, certitudo *historica* existentiae realis Christi et Apostolorum, certitudo de ipsorum *veracitate*, certitudo *historica* sacrorum Librorum, uno verbo, certitudo omnium *motivorum credibilitatis* christianae revelationis, ac proinde tota *demonstratio* de hujus revelationis veritate ab Hermesio confecta, is demum agnoscat oportet, quam labili fundamento tota hæc sit machina superstructa (3). Id certe lucu-

(1) En igitur, quo semper recidit tota certitudo Hermesiana, ex duplici fonte rationis sive *theoreticæ* sive *practicæ* hausta. Ratio *theoretica* cogit *physice* ad tenendum aliquid *pro vero ac reali*; sed tamen semper *possibile est*, ut objectum in se *verum ac reale* non sit. Ratio *practica* cogit *moraliter* ad *admittendum* aliquid *pro vero et reali*; sed tamen *possibile semper est*, quod objectum in se *verum ac reale* non sit, nempe quod utraque ratio nos perpetuo illudat atque decipiat.

(2) Totam inquisitionem suam de ratione *theoretica* et *practica* concludit Hermesius, eas ad unitatem principii revocando, nimirum ad *Fidem*. *Intr. phil.* § 44. Siquidem juxta ipsam *Fides* amplectitur tum *tenere pro vero* (persuasionem *theoreticam*) tum *admittere pro vero* (persuasionem *practicam*); ex primo exurgit *Fides neces-*

*saria*, ex altero *Fides libera*; ita ut in omni objecto sive scientiæ sive auctoritatis *Fides* sit *verum motivum* certitudinis; est illa, quæ nobis tutatur veritatem et realitatem objectivam; est, ipse dicit; ultima meta, quo philosophus possit pertingere. De hoc fusius postea; interea tamen cfr. *Prænotanda*, n. 28.

(3) Jam, *Intr. phil.* pag. 121, profitetur aperte Hermesius, se *aliam* plane veritatem doctrinarum christianarum querere ac illam, cui hactenus christiani unice vim tribauerunt. Hanc porro invenit in imperativo *rationis practicæ*, quæ supplet totum id, in quo christiana revelatio deficit *theoretice* a certitudine. Verbo, tota certitudo hujus revelationis *theoretica* non est nisi *probabilitas*, maxima etiam si vis, sed nihil præterea. Veritas historica aut physica miraculorum *summe probabilis*



lentius pateret, si omnem hujus demonstrationis veluti texturam singillatim hic persequi atque enucleare possemus; sed hoc eos limites, quos nobis in hoc volumine præfigere debuimus, longe nimis prætergrederetur.

186. Satis igitur sit principiorum philosophicorum exposuisse naturam; quod idcirco a nobis paulo forte fusius, quam theologice prælectiones expostulare viderentur, præstitum est. Verum cum hæc principia ab auctore ordinata sint ad christianam fidem demonstrandam, debuimus ita referre, ut ex iis posset quisquam arguere, cujusmodi hæc esse debeat demonstratio. Ut tamen aliquid de *applicationibus* hujus systematis philosophici delibemus, pauca de *Theosophia*, seu naturali Theologia, hermesiana juerit postremo exhibere.

187. 3<sup>o</sup> *Applicationes*. Ex *theoretica* demonstrata realitate mundi, quem vocat, *interni* ac *externi*, progreditur Hermesius ad quæstionem: Utrum ratio reflectens debeat *tenere*, quod Deus existat, quæque illi attributa adscribere (1). Et quoniam ratio *theoretica* ac *practica* est, de utraque inquirat. Expeditissima porro res est quoad *practicam* rationem, quippe quæ, cum ex positis principiis *legislatrix* per se sit, omnia moralia officia ex fine necessario *humanæ dignitatis* exigat, *strictè* ac *perfectè* obliget, suasque leges *sanctione* communiat, quid ipsa, inquit Hermesius, Dei existentiam postulare posset (2)? In ratione vero *theoretica* invenit *necessitatem causæ primæ* ob contingentiam rerum; atque hinc demonstrationem suam petit ac fuse evolvit.

est; veracitas Christi et Apostolorum *summe probabilis* est, et ita porro; sed hoc non impedit, ut *theoretice* semper dubitare queamus, num revera illa facta *extiterint*, num fuerint *supernaturalia*, num Apostoli, num Christus ipse *decepti* aut *deceptores fuerint*. Hoc *dubium theoreticum* juxta Hermesium ratio *theoretica* a se depellere non potest. Ideo confugiendum omnino est ad rationem *practicam*, quæ ex *moralis*

imperio nos cogat ad ea omnia uti *vera ac realia* admittenda, frustra ratione *theoretica* obsistente et reluctantante. Ratio igitur *practica* tantum potest demonstrationem de veritate objectiva Religionis christianæ conficere. En clavis totius Hermesianæ philosophiæ ac theologiæ.

(1) *Introd. philos.* Inquis. 2, sect. 2, art. 1.

(2) § 65, pag. 415.



Hoc unum porro argumentum firmum ac legitimum declarat; cetera rejicit; quin imo eos carpit, qui plura congerunt ad Dei existentiam probandam argumenta, quippe quæ nil aliud efficiunt nisi illud etiam, quod firmum est, *suspectum reddere, atque ita irreparabile detrimentum* afferunt (1). Ad argumentum physico-theologicum quod attinet, opus esset, adnotat Hermesius, ut ratio adigeretur admittere, quod iste ordo, ac finium convenientia in universo, non nisi opus *intelligentiæ* esse possit. Atqui hoc nunquam ratio sola satis evincere valebit (2). Ex Hermesii igitur mente *theoreticæ* rationi minime repugnat, quod admirabilis hic rerum ordo, complete spectatus, causarumque finalium constans subordinatio mero casui fortuito adscribatur.

188. Circa divinam *essentiam* exigit ratio, quod Deus sit ens per se existens veluti *substantia; vis creatrix una, unica, æterna, absoluta, personalis*; ac demum quod mundus *mutabilis* nequeat esse *subjectum* vis hujus, neque *substantia* Deus (3). Si quis vero quæreret, subdit Hermesius, utrum divinitatis aliquod *subjectum* detur; et an istud sit *mundus ipse nobis immu-*

(1) Sunt verba Hermesii, pag. 413, ubi præmiserat: *Hactenus a me persecuta hac de re tractatio saltem aperte ostendet, haud certe non esse rem adeo expeditam istud fundamentum omnis theologiæ valide demonstrare, atque hinc, dum aliquis tot probationes putat se habere in promptu, poterit jam suspicionem habere de omnibus, quæ tales existimantur, etc.*

(2) Ita porro argumentatur Hermesius: *Quum urgetur, productionem operum humanarum, veluti ex. gr. domus, nunquam a cæcis viribus operantibus repeti posse, parum inde probatur. In effectione operum humanarum debet natura non suos ipsius, sed nostros fines ad exitum perducere; id ergo quod ipsa non efficit, ubi nos ipsi finem præfigimus,*

*potuit utique eadem efficere, ubi suos proprios fines, si ita loqui fas est, persequeretur; quando quippe non ista vel illa vis, sed tot vires (quantas quis scit?) suam activitatem exercebant. Quis porro nos cogit admittere, quod natura statim, primo veluti jactu, opus suum absolverit? Num ipsa non potuit multas sine numero edere productiones, quæ omnes in ordine ac finium convenientia deficerent, ac proinde nullam firmitatem haberent, quousque tandem una ex illis (et quis dicere posset post quot transformationes?) bene cesserit, quæ nempe hoc ita bene ordinatum aptisque finibus constans universum constituerit, atque hinc in se fundamentum stabilis durationis habuerit?* pag. 411.

(3) Pag. 395 et seq.

*tabilis apparens, tellus hæc nostra, et corpora cælestia, ab omni quod mutabile sit segregata* (1), reponi deberet, id *nunquam demonstrari posse* (2). Attamen illud etiam verum est, quod ratio talem hypothesim, si quidem gratuito in medium proferretur, ne quidem omnino posset ob aliquod peculiare fundamentum uti *erroneam* repudiare! *Revelatio* nobis ostendet, quod, *quidquid extra Deum est, est creatura Dei* (3), atque ita quamcumque indeterminationem, quæ superest hac in re, tollit e medio (4). Sed estne Deus in *tempore* ac in *spatio*? Negat Hermesius omnino quoad *tempus*; utrum vero non *compleat spatium*, ratio nil habet, unde hoc negare cogatur. *Revelatio* tamen ostendet, Deum esse *spiritum* in oppositione ad *corpora* et ad omnem extensionem, id est, eum esse *puram vim*, atque ita demum spatium ab existentia ejus eliminatur (5). Ex istis Hermesii locis sequitur, rationem *theoreticam impossibile* omnino non invenire, quod Deus non sit *purus spiritus*, non *omni extensione careat*, non *occupet spatium*, etc.

189. De attributis vero Dei quid statuit Hermesius? Considerat ratio *theoretica* Deum 1° relate ad creationem mundi, 2° ad ordinem et causas finales in operibus suis, 3° ad felicitatem creaturarum, præsertim hominis (6). Hinc necessario agnoscit in Deo: 1° *potentiam incomprehensibilem*, 2° *scientiam incomprehensibilem*, 3° *incomprehensibilem bonitatem*. Sed, an hæc attributa in Deo *infinita* sint, ratio juxta Hermesium non docet. Nescit ergo, utrum Deus *omnipotens* sit; sed hoc unice scit, *Dei potentiam* longe humanam omnem potentiam superare (7). Itidem

(1) Num id, quod *contingens* natura est, a toto eo, quod *mutabile* est, segregari posse putat Hermesius?

(2) Verba sunt omnia Hermesii, pag. 399.

(3) Ibid. pag. 400.

(4) Ergo ne revelatio tantum? Ratio ergo per se *possibile* agnoscit, quod aliquid *extra Deum* non sit creatura Dei?

(5) Ibid.

(6) Pag. 451 et seqq.

(7) En locum opportunissimum Hermesii: *Si quisquam quærat a me, an Dei potentia sit infinita aut omnipotentia, fateri cogor, me sine revelatione supernaturali id probare non posse; quia mundus creatus finitus, unicus cognitionis fons, quem hic habeo, nullum necessitans motivum huic affirmationi præbet... Vere vis creatrix debet mihi infinita*



nescit *theoretica* ratio, utrum *omnisciens* sit, sed solum scit, scientiam ejus humanam longe transcendere (1). Quoniam vero Deus voluntate sua mundum creavit, hinc ejus seu creaturarum naturam intelligere debuit, ac proinde etiam *ordo* et *finium convenientia* in ipsis velut opus intentum a Deo haberi debet (2). Sed tamen *ratio theoretica* non cogitur hoc *tenere*, nisi relate ad *ordinem* et *convenientiam* finis inter diversas partes cujusque *singularis entis*, non vero relate ad *connexionem finiumque subordinationem* unius entis ad alterum. Etenim fieri absolute potuit, ut Deus intenderit *res ipsas* et *intrinsecas* earum relationes; *extrinsecæ* vero rerum inter se sint opus plane *fortuitum*, nullimode intentum a Deo (3). Nihilominus ratio *practica* nobis imperat, ut eas etiam *extrinsecas* relationes admittamus pro effectu intelligentiæ divinæ (4). Demum ratio *theoretica* non potest affirmare, quod Deus *futurum omne* sciat, sed tantum illud *quod spectat creaturas suas* (5).

*apparere, quippe omnes meos conceptus transcendit; sed num idcirco ista realiter infinita est?... Ego igitur ita me cohibeo, ut nil hac de re sciam, nisi quod... potentia Dei ratione extensionis quidem suæ maximam admirationem excitet, et quod ob intimam naturam suam, siquidem potentia creatrix est, est illa maxime sublimis, cujus hominis ratio habeat ideam, sed respectu cujus intellectus hominis nullum amplius habet conceptum, pag. 456.*

(1) Si etiam hic quærat, inquit, an facultas cognoscitiva Dei infinita sit, ac utrum ejus cognitio sit omniscientia, deo iterum, sicut feci de potentia Dei, respondere, me id sine supernaturali revelatione probare non posse, idque ob eandem rationem ut supra, pag. 462.

(2) Ibid. pag. 457. Ex eo quod hic affirmat Hermesius de necessitate spectandi mundum velut opus profectum ex intelligentia Dei, minime revocat,

quod supra asseruit de infirmitate argumenti physico-theologici. Ibi enim agebatur de probatione existentiae ipsius Dei deducenda ex *ordine cosmico*; hic vero, posita jam existentia Dei, deducitur tantum, quod debuit creare mundum voluntate et intelligentia.

(3) Ibid. pag. 458.

(4) Gravissimam rationem affert Hermesius. Si namque, ait ipse, nos non modo in aliquo speciali casu, sed in amplis naturæ regnis universe ac sine exceptione... admitteremus tales fortuitos effectus, contradictorium esset exigere usum intellectus et rationis in arcto circulo practicæ nostræ vitæ ad similes effectus longe tenuiores obtinendos, illumque præscribere veluti indispensabilem ad instituendam et ordinandam moralem conformationem animi nostri, pag. 458.

(5) Pag. 463. En rationem Hermesii: Quia hoc (futurum) si reale fiat, sciunt



190. Atque hæc in Deo attributa exigit *theoretica* ratio ; *practica* vero quid ? 1<sup>o</sup> *Sanctitatem*, quæ quidem natura *absolute* perfecta in Deo esse debet, sed *extensive* tamen *limitibus circumscripta* esse potest (1). 2<sup>o</sup> *Amorem* liberum et *bonitatem* erga alios, quæ item absolute in se *perfecta* sunt, sed *extensive limitata* esse queunt (2). Ex hisce attributis *practica ratio* determinat in Deo, seu potius moraliter præscribit Deo finem, quem ipse sibi præstituere debuit in creatione ac destinatione hominis. Nimirum Deus creare debuit *hominem propter hominem*, et quidem propter istius felicitatem (3), eandemque maximam possibilem (4); si vero Deus ullo pacto gloriam suam in creatione mundi intendisset, hoc *philautiam* in Deo argueret, ac propterea ratio *practica* id nequit admittere (5).

191. Hæc theosophiæ veluti lineamenta ex sola introductione philosophica Hermesii desumpsimus. Quid si in illud dogmaticæ christiano-catholicæ pelagus ingredi voluerimus, in quo multo fusius de Deo ejusque proprietatibus pertractatur (6)? Interim

*etiam homines; quanto magis ergo debet illud cognosci a Deo, cujus cognoscitiva facultas adeo longe humanam exsuperat, quiq; creator est!*

(1) Ita Hermesius, pag. 475. *Sanctitas Dei est, ut vidimus, juxta naturam suam intrinsecam absolute perfecta; sed extensive potest utique esse limitata* (beschränket). *Siquidem demonstratum est, Deum velle omne morale bonum, quod ipse cognoscit; sed illimitationem cognitionis suæ nos probare non possumus. Hinc possibile semper est, quod hæc sit limitata, et consequenter quod aliquid moraliter bonum foret pro ipso (Deo), si illa esset illimitata, quod nunc non datur pro Ipso.*

(2) *Quoad extensionem*, pergit ipse, *possunt illa (amor et bonitas) semper limitata esse, quia possibile quidem est, quod cognitio Dei limitata sit,*

*et quia proinde possibile utique est; quod Deus non cognoscat omnem felicitatem, cujus ens extra eum capax esse possit.* pag. 476. Cfr. etiam pag. 490, ubi fusius id ipsum declarat Hermesius.

(3) Pag. 479.

(4) Ibid. pag. 495.

(5) Cfr. quæ hac de re diximus in tract. *De Deo creatore.*

(6) In *Introduct. phil.* Hermesius declarat, se non attingere Dei attributa, nisi quatenus id inservit scopo suo revelationis veritatem demonstrandi. Cetera ad dogmaticam remittit. Ex dictis porro patet, quam merito ab Apostolica Sede Hermesii doctrinam damnata sit circa Dei essentiam, sanctitatem, justitiam, retributionem præmiorum et pœnarum inflictionem, circa Dei libertatem, etc. etc.

tamen quæ de methodo, de principiis, de applicationibus hujus systematis *philosophice* spectati persecuti sumus, satis, ut arbitramur, esse queunt ad probandum, utrum nos æquo jure hoc systema iis accensuerimus, quæ *objective* seu *per se* (nil enim *subjective* seu de personis decernere volumus) veræ fidei susceptioni saltem *indirecte* obsistunt.

## CAPUT II.

### DE RATIONE CUM FIDE.

192. Rationem humanam hactenus ante fidem consideravimus; vidimus quippe quid illa recte adhibita ad hanc capessendam conferre valeat, quoque illa pacto viam divinæ fidei sternere, atque ad ejus, ut ita dicam, vestibulum ducere possit ac debeat. Nunc quæ rationis partes sint, investigandum, dum ipsum fidei templum ac veluti penetralia ingressa, objecta ejus amplectitur ac profitetur. Ne vero quidquam idearum claritati desit in difficili ac salebroso admodum argumento, caput istud in duos item articulos dispertiemur, quorum alter intrinsecam fidei naturam ac constitutiva persequetur, alter vero de nexu fidem inter ac scientiam ac mutua relatione disceptabit.

## ARTICULUS I.

### *De fide in sua natura spectata.*

193. Tametsi propositi nostri haud sit tractatum de fide conscribere, quod non pauci præclarissimi auctores summa cum laude jamdiu præstitere (1), necessarium nihilominus existimamus ad

(1) Complures ex erroribus, qui quæstiones, quæ tanquam novæ magna etate hac nostra circa hoc argumentum, idearum confusione reproduuntur. quamvis etiam ex optima quandoque Scholastici illi, qui hodie parvi adeo intentione, exorti sunt, profluxerunt fiunt ac negligentur, intimos recessus ex neglectu horum fontium, in quibus hujus materiæ penetrarunt. Inter eos apte pertractatæ reperiuntur pleræque præter S. Thomam, omnium princi-

analysim varia ejusdem fidei *constitutiva* revocare ob multiplices errores, qui etiam in bonum finem postremis hisce temporibus oborti sunt illarum occasione controversiarum, quæ in Germania potissimum et in Galliis agitari cœperunt. Etenim qui humanæ rationis imbecillitatem absolutam adstruunt, quique contendunt, scientias ac veritates rationales a fidei principiis dependere, ecquid efficiunt aliud, quam fidei naturam cum scientia commiscere, et commune veluti quoddam *formale* principium in iis agnoscere? Sic qui a fide ipsa præviam omnem demonstrationem, seu evidentiam credibilitatis objecti excludere connituntur, perinde ac si id libertati assensus objectis fidei præstandi officeret, veram fidei pervertunt naturam. Item qui inficiantur, dari de eodem objecto posse fidem ac scientiam, perniciosas ipsi fidei inde inferunt consecutiones. Ex altera vero parte, qui demonstrationes illas, seu credibilitatis motiva veluti ultima fidei actus *resolutiva* spectant, hanc pure rationalem ac humanam efficiunt. Rem igitur valde opportunam nos facturos judicamus, si in præsentis articulo, continenti propositionum serie veram fidei naturam ejusque constitutorum analysim breviter complectentes, eam a contrariis erroribus pro virili tutemur.

#### PROPOSITIO I.

*Fides, in natura sua ac principio formali spectata, essentialiter a scientia distinguitur.*

194. Vix opus esset hanc propositionem attingere post ea, quæ fuse sumus in primo capite persecuti, legitima rationis jura independenter a fide vindicantes. Sed tamen, quoniam hic directe non rationis sed fidei natura in tuto ponenda est, rem sub alio adspectu breviter tractandam aggredimur.

195. Sic igitur propositam thesim evincimus: *fides* ex dictis est assensus liber, quem præbet intellectus, divina gratia præ-

pem, Suarezius, Vasquezius, Valentia, De Lugo, ceteris omissis, optime

de ea meriti sunt, uti ex dicendis planum fiet.



ventus et adjutus, ex imperio voluntatis, a gratia item excitatæ, veritatibus divinitus revelatis, ob Dei ipsius revelantis auctoritatem; quo fit, ut fides plane supernaturalis sit 1<sup>o</sup> *ex principio* eam gignente, nempe ex gratia, quæ supervenit naturæ, quæque prorsus gratuita est (1); 2<sup>o</sup> *ex objecto*, quod constituitur ex omnibus et solis veritatibus, quas Deus homini patefacere dignatus est modo peculiari, ab eoque plane distincto, quo seipsum in naturæ operibus manifestat; 3<sup>o</sup> *ex motivo*, quod vocant *formale*, quodque aliud non est aut esse potest quam Dei ipsius revelantis auctoritas, quæ includit summam ejus sapientiam, bonitatem ac veracitatem, quibus ipse nec decipi nec decipere potest; 4<sup>o</sup> *ex fine* demum, ad quem datur, qui consistit in supernaturali beatitudine, seu in intuitiva Dei visione ac fruitione, ad quam assequendam fide homo præparatur una cum reliquis virtutibus supernaturalibus, quæ ab ea veluti a radice ac fundamento dependent (2). Contra vero *ratio*, ex qua naturalis scientia acquiritur, 1<sup>o</sup> homini insita est ab ipsa constitutione sua, cum hic natura sua sit ens intelligentia ac ratione maxime præditum; 2<sup>o</sup> objecta habet huic intelligentiæ plane consentanea sibi que propria, id quod a nobis in primo capite pluribus vindicatum est; 3<sup>o</sup> cognitiones ordinis sui acquirit per exercitium intelligentiæ suæ; 4<sup>o</sup> nec tandem se attollit nisi ad abstractivam Dei cognitionem ac naturalem amorem (3). Fides igitur ac ratio, ac proinde scientia natura sua ab invicem toto cœlo discriminantur.

196. Rursum : si fides ac scientia essentialiter non distingue-

(1) Hæc fidei catholicæ doctrina est, quæ adstruitur adversus Pelagianos, uti ostendimus in tract. *De gratia*, et constat præterea ex non paucis damnatis propositionibus Baji, præcipue vero prop. 1, 2, 3, 4, 5, 7, 9.

(2) Cfr. Suarez, tract. *De triplici virtute theologica*, tract. *De fide* disp. 1, sect. 1 et 2; necnon Bolgeni, *L'economia della fede cristiana*, Brescia 1790, cap. 1, art. II.

(3) Huc etiam refertur prop. 34 Baji, qui utrumque ordinem confundebat, dicens : *Distinctio illa amoris* (ac proinde duplicis cognitionis Dei naturalis ac supernaturalis), *naturalis, quo Deus amatur ut auctor naturæ, et gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia, et ad illudendum sacris Litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata.*

rentur, in plura dilaberemur absurda. Etenim 1<sup>o</sup> quoties peccaremus in scientiam, toties in fidem ipsam peccare dicendi essemus. 2<sup>o</sup> Homo sine revelatione facultatibus suis naturalibus uti non posset, atque a dono superaddito et adventitio omninoque gratuito scientiæ mere naturalis principia unice dimanarent.

197. Accedit, quod Ecclesia supponat, dari infideles negativos seu omni prorsus supernaturali revelatione destitutos. Atqui si isti in omnimoda veritatum metaphysicarum ac moralium ignoratione versarentur, id quod consequitur ex sententia, quam refellimus, exleges omnino essent, nec unquam vere peccare possent. Hæc autem rationis non minus lumini adversantur quam sanæ catholicæ doctrinæ.

198. Demum id ipsum conficitur, conditione revelationis supernaturalis inspecta. Post proto-parentum lapsum divino beneficio data est homini revelatio, ut in eo repararetur status ille gratuitus supernaturalis justitiæ, a quo exciderat per peccatum (1). Hæc porro revelatio utpote tota objectiva ac superaddita poterat homini dari vel non dari, data vero ab homine conservari poterat aut amitti, uti plures imo plerique eam reipsa amiserunt aut saltem fœde corruerunt, quin propterea omnis in iisdem naturalium veritatum cognitio defecerit. Quamvis enim primitiva revelatio, præter objecta solius ordinis supernaturalis, plura complecteretur, quæ natura sua ordinis naturalis, sunt, id tamen non *absoluta* necessitate factum est, quasi homo in *physica* fuerit impotentia objecta ejusmodi per se cognoscendi; sed ex divina plane dispensatione, quæ hoc pacto hominum plerorumque consuluit sive ingenii tarditati, sive deceptionis facilitati, qua veris sæpe falsa intermiscuntur, sive impedimentis, quibus major hominum pars a profundo veritatis detinetur studio, aliisque demum ejusmodi difficultatibus aut incommodis benigne prospexit; ex

(1) Quum de revelatione homini lapsa facta hic disserimus, hand intendimus excludere revelationem, quæ facta homini fuerit ante peccatum. Certum enim est, Deum se modo supernaturali manifestasse homini innocenti, eum-

que fuisse allocutum; sed cum illa revelatio non sit ad propositum nostrum, ideo coarctavimus sermonem nostrum ad revelationem homini datam post lapsum, quia hæc sola spectat ad ordinem reparationis humanæ, de quo disserimus.



quibus omnibus jure merito inferunt theologi *moralem* revelationis necessitatem etiam quoad naturalis ordinis veritates. Ceterum revelatio veritatum presso sensu supernaturalium ea est, quæ hominem ex parte objecti ad supernaturalem ordinem elevat, quibusque credendis fide theologica opus est. Cum igitur hæc gratuito supervenerit homini, atque ab eo amitti aut respui possit, aperte consequitur, eam omnino rationalem transcendere naturam, nec ab ea posse veritates illas sive metaphysicas sive morales pendere, quarum si omnis homini detrahatur cognitio, natura ejus rationalis ac intelligens destruat necesse est. Veritates proinde supernaturales homo *credit*, naturales autem *cognoscit etiam*, aut saltem cognoscere potest.

199. Uberrima tum sacrarum Litterarum tum Patrum auctoritate hæc firmare possemus; ast hæc jam a nobis præoccupata fuerunt in superiore capite; ne proinde actum agamus, ad ea loca remittimus. Ob eandem plane rationem, atque ut brevitati studeamus, difficultates, quæ in hanc thesim urgeri possent, omittimus. Eæ quippe in illas fere reciderent, quæ propositæ in citato capite fuerunt, ac satis abunde ibidem solutæ.

## PROPOSITIO II.

*Licet motiva credibilitatis extrinsecam pariant objectorum fidei evidentiam, nunquam tamen constituere possunt motivum formale actus fidei.*

200. Eos impetit propositio, qui perperam prærequisitam motivorum credibilitatis cognitionem et persuasionem ad prudentem præbendum fidei assensum cum fide ipsa confundunt, ejusque *formali* motivo, quasi nempe fides ipsa in se spectata in extrinsecam illam objectorum evidentiam resolveretur, aut *formale* motivum actus fidei ab eadem evidentiâ constitueretur. Porro toto cælo istos a vera fidei notionē abluere, facile colligitur ex iis, quæ in præcedenti propositione de *principio, effectu, motivo formali* ac *sine* fidei theologicæ disseruimus.



201. Etenim cum actus fidei debeat necessario et ab intrinseco *supernaturalis* esse, fieri nunquam potest, ut constituatur aut eliciatur, tanquam ex principio *formali* ex evidentia motivorum credibilitatis, quæ ex se tota naturalis est, et naturalem parit certitudinem aut persuasionem.

202. Insuper actus fidei talis est, ut infallibilem objectivamque certitudinem secum ferat, quæ naturalem quamvis superet certitudinem. Jam vero ejusmodi certitudo fructus esse nequit humanæ cujuscumque disquisitionis aut industriæ, sed nonnisi a divina gratia, seu principio supernaturali produci in nobis potest, innitique prorsus auctoritati debet divinæ.

203. Huc accedit, quod ejusmodi credibilitatis motiva, quæcumque demum sint, nonnisi extrinsecam evidentiam, ut innuimus, efficere queant; actus vero fidei feratur in objecta, quæ non intrinseca modo evidentia destituta sunt, sed sunt nobis obscura ac rationi nostræ impervia, cum eam excedant, cujusmodi sunt mysteria et objecta spei nostræ, quæ in futura scilicet expectatione consistunt. Qua de causa fides ab Apostolo definita est *sperandarum substantia* ( gr. *ὑπόστασις* ) *rerum, argumentum non apparentium*; quibus propterea intellectus noster firmiter assentire debet eisque adhærescere, perinde ac si intrinsecam ipsorum evidentiam haberet, eaque intuitive cerneret.

204. Demum, si fides theologica, de qua disserimus, resolveretur in evidentiam motivorum credibilitatis tanquam in *formale* motivum, conceptus ipse fidei theologicæ destrueretur; siquidem in principium humanum ac naturale resolveretur, ac fides esset prorsus philosophica ac rationalis; hinc jure merito rationalismi neoterica schola, quam impugnamus, accusata est, quin unquam ab ejusmodi accusatione se liberare potuerit. *Credere sicut oportet* non amplius donum Dei esset, secus ac definitum fuerit ab Arausicana synodo; sed esset in cujusvis hominis docti aut philosophi potestate eam sibi propriis viribus comparare, prout Pelagiani hæretici ac Semipelagiani effutierunt.

205. Quæ cum ita se habeant, concludamus necesse est, fidem theologicam resolvi in Dei gratiam tanquam in *principium* suum, et in auctoritatem Dei revelantis tanquam in suum motivum

*formale* seu in totam et *adæquatam* rationem, cur credatur; nunquam vero in evidentiam motivorum credibilitatis, quæ fidei extrinseca sunt, ac solum prærequisita; quæ *varia* pro diversis hominibus esse possunt, quæque demum *absolute* necessaria non sunt, cum fieri queat, ut sine illis vera possit fides haberi, ut identidem contingit, in rudioribus præsertim, qui ejusmodi motivorum examinis saltem accuratioris incapaces plerumque sunt, quibusque gratia supplere potest ac supplet.

## DIFFICULTATES.

206. Obj. 1<sup>o</sup> Fides est quidam status in nobis existens, quo persuasi sumus de realitate objectiva rei cognitæ, et in quo constituimur aut per *necessarium tenere pro vero rationis theoreticæ*, aut per *necessarium admittere pro vero rationis practicæ*, quæcumque demum sit *causa* seu *motivum*, ex quo status ejusmodi in nobis producat; unde sublimi mentis intuitu Apostolus affirmat: *Fides est sperandarum substantia* (id est *realitas*) *rerum, argumentum non apparentium* (1). 2<sup>o</sup> Ergo fides omnis natura sua *rationalis* est, quippe quæ ex necessitate vel *physica* vel *moralis rationis* enascitur, atque hinc fides ipsa in divinam revelationem, quæ una ex *formis* seu *speciebus* fidei est, atque speciale suum *credendi motivum in divina auctoritate* (2) habet, resolvitur in necessarium actum rationis sive *tenendi* sive *admitten-*

(1) Ita Hermes, in *Introd. phil.* § 44. Cfr. quæ superius diximus. Magnifica porro habet Hermesius de hac rationis *fide*, quæ nobis sola *realitatem objectivam* tutatur, sive objectum sit *rationale* sive *supernaturale*, et quodcumque sit *motivum*, unde procedit, nempe aut sensus intimus, aut sensus externus, aut ratio, aut auctoritas vel humana vel divina, etc. Hinc juxta hæc varia motiva exurgunt totidem *species* seu *formæ* diversæ fidei. Itaque Hermesius in hac sua definitione fidem

ipsam *theologicam* comprehendit, ut patet etiam ex verbis Apostoli, quæ allegat; imo acerbè theologos omnes carpit ob communem fidei definitionem, asseritque, eos, qui *fidem* ad auctoritatem coarctant, ejus naturam plane destruere!

(2) Adnota, in hermesiana schola *auctoritatem Dei revelantis* vocari *motivum credibilitatis*. Ita auctor libri *Acta Hermesiana*, pag. 61. Hoc ipsum hausit ex eadem schola Baltzerius. Vid. op. cit. fasc. 1, pag. 89.



*dendi pro vero omne id, quod uti revelatum proponitur. 3° Certe rationalis demonstratio est veræ fidei radix (1) seu generatrix; at vero in quodnam fides debet ultimato resolvi nisi in illud, a quo suam genesim agnoscit? 4° In hoc porro humilitas fidei consistit, quod admittat ea, quæ non videt, hanc solam ob causam, quia ratio id postulat, ac proinde quia homo se totum tradit rationi (2). 5° Necessaria utique est gratia; sed ad quam fidem? Ad eam nempe, quæ efficax est, quæ tantum vere theologica est, quæ nos attollit supra terrestres res, quam sequitur perfecta et libera voluntas diligendi Deum nosque ad perfectum ducit legis et spiritus supra carnem dominium (3). 6° Demum credendi motiva, cujusmodi sunt ex. gr. miracula, cuinam auctoritati inniuntur nisi humanæ? Ergo cum ipsa nos permoveant ad assentiendum fidei, patet, fidem ultimato in humanam resolvi auctoritatem. Quod si contendas, illa divina auctoritate niti, Ecclesiæ scilicet infallibilis, quæ illorum factorum veritatem testatur, necessario in circulum prolaberis, quo veritas et infallibilitas Ecclesiæ*

(1) *Intr. phil. præf. pag. 17. Falsum est, dicit Hermesius, quod inter humilem fidem et demonstrationem dubia studiose conquirentem... adsit oppositio; e contra ista dubia conquirens demonstratio radix et conditio est piæ fidei. Sed neque hic sistit Hermesius; nam non ad veritatem fidei generatim, sed ad singula objecta fidei requirit tanquam fidei radicem, idest, conditionem sine qua non, hanc ipsam demonstrationem. Distinctio obsectorum fidei et demum examen rei propositæ est ergo juxta vestrum proprium judicium (loquitur Hermesius adversariis suis) requisita ad piam fidem possibilem reddendam. Sed quinam poteritis aut audebitis acquiescere uni rei propositæ, atque alteri nequaquam, ac consequenter objectum*

*unum admittere, alterum vero repudiare, quin hanc electionem vestram ope severæ demonstrationis rectam ostenderitis? Ibid.*

(2) Ita Hermes, *Introd. phil. præf. pag. 18.* En verba Hermesii: *Non in hoc, quod credatur sine prævia demonstratione, sed in hoc consistit humilitas fidei, quod assumatur illud, quod non videtur, solum propterea quia ratio exigit illam admissionem; et quod ratio talem admissionem exigat, id ostendit præcedens demonstratio. Ista traditio (Hingebung) sui ipsius ductui rationis, quæ in cogitatione et in actione credentis se prodit (sive ejus fides habeat pro objecto rem religionis, sive quidquid aliud), non est tenuis abnegatio jurium nostræ sensualis naturæ, etc.*

(3) Ita idem Auctor. in *Theol. dogm. III, pag. 469-471.*



per miracula probaretur, veritas autem miraculorum per infallibilitatem Ecclesiæ; quo nil absurdius. Ergo.

207. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Dist. Juxta placitum Hermesii, conc.*; juxta theologos ac philosophos saniores omnes, *neg.* Jam utique improbavimus conatum istud philosophicum Hermesii, *scientiam et auctoritatem, evidentiam intrinsecam et extrinsecam, immediatam et mediatam, visionem intellectualem et proprie dictam fidem* ad unum principium revocandi, nimirum ad *fidem rationalem*, quæ juxta varium motivum distinguitur ab illo in *necessariam et liberam*. Hæc neoterica fidei notio nil facit, nisi *veræ fidei* divinæ naturam permiscere cum scientia, eamque proinde totam *rationalem* reddere (1). Id probat ipse hermesianus abusus auctoritatis Apostoli. Nam, præterquamquod *ὑπόστασις* seu *substantia* vertitur ab Hermesio *realitas*, quum Apostolus ea voce significaverit subsistentiam, basim, fundamentum rerum sperandarum, ut liquet ex orationis serie, ex aliis ejusdem locis, ubi eamdem vocem usurpat, atque ex Patrum et interpretum catholicorum expositione (2); num eam definitionem generaliori illi fidei *rationali* ab Hermesio invectæ unquam aptare cogitavit Apostolus? Num Apostolus non de ea tantum fide locutus est, quæ est *ex auditu* quæque in divina auctoritate revelante unicum suum habet fundamentum?

208. Ad 2<sup>m</sup>, *Neg.* Hic enim omnes veræ fidei notiones pervertuntur. Siquidem 1<sup>o</sup> assensus, quem intellectus, a gratia præventus et adjutus, ex imperio voluntatis a gratia item excitatæ, præbet fidei objectis ob *solam auctoritatem* Dei revelantis, permiscetur cum prærequisitis, seu cognitione illa, quæ *ordinarie* hunc debet præcedere assensum, ut prudenter præstetur. Hæc porro cognitio *extrinseca* prorsus est, ut diximus, actui fidei theologicæ, neque *absoluta* necessitate ad illum requiritur; est tota præterea naturalis, ac humana industria comparari potest; proinde nunquam eam appellaveris actum fidei, aut recte dixe-

(1) Cfr. quæ in *Prænotand.* jam monuimus, num. 28.

(2) Cfr. Estius, in hunc loc. ubi co-

piosissime et erudite totum hunc Apostoli textum exponit et evolvit.

ris, illi inniti actum fidei supernaturalis, quin incidas in doctrinam uti hæreticam ab Ecclesia damnatam (1). 2<sup>o</sup> Persuasio realitatis objectorum fidei in ista sententia proveniret *efficienter ac formaliter*, ut cum schola loquamur, sive ex *ratione theoretica*, sive saltem ex *ratione practica*; cum tamen illa ex Dei gratia velut *principio suo* et ex auctoritate Dei revelantis, uti adæquato *motivo formali*, suam genesim unice habeat. 3<sup>o</sup> Hinc auctoritatem Dei revelantis vocare *motivum credibilitatis* est *motivum unicum formale intrinsecum*, ob quod credimus, confundere cum extrinsecis adminiculis seu prærequisitis, quæ suadent credendum esse, Deum hoc in casu esse locutum, quæque diversa pro diversis hominibus et multiplicia esse possunt.

209. Ad 3<sup>m</sup>, *Dist.* Si talis esset relatio demonstrationis præviæ ad actum fidei, *conc.*; si secus, *neg.* Certe consequentia sua veluti sponte descendit ex præmissa illa hermesiana, qua demonstratio constituitur veluti fundamentum et *radix fidei*. Sed quis theologus catholicus hoc ferat? Num actus fidei est illatio syllogistica, quæ sequitur necessario ex præmissis? Absit. Adde absurditatem illius affirmationis ex eo etiam nomine, quod nonnisi ex *demonstratione* fides pia gigni statuitur, cum nonnisi *propositio sufficiens* ac *motivum* credendi requiratur, quod varium pro variis individuis esse potest; ac nulla præterea ratio habetur de habitu fidei per Baptismum infuso, in iis qui in christiana religione nascuntur, quo fit ut sine *demonstratione*, et tamen rationabili obsequio credant, ac pie firmiterque credant (2).

210. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* In sensu hermesiano, *conc.*; in sensu vere catholico, *neg.* Admittimus certe, hominem ratione ipsa duci ad credendum, eo sensu nempe quod ratio non crederet, nisi cognosceret esse credendum, ut loquitur S. Thomas; sed hoc non

(1) Huc enim spectat can. III, sess. VI, Conc. Trid.

(2) Cfr. quæ scripsimus in tract. *De Baptismo*, cap. IV, prop. II. Id vero non officit, quominus etiam in credentibus motiva ipsa credibilitatis ad fidem

roborandam inserviant. Hoc sensu aiebat Augustinus: *Tenet me in Ecclesia consensus omnium populorum, tenet me veritas miraculorum*, etc. *In Ep. Fundam.* cap. 4.



probat nisi necessitatem adminiculorum seu prærequisitorum ad actum fidei, de quibus hactenus. Nimirum necessaria est propositio sufficiens fidei, necessarium extrinsecum aliquod evidens motivum credibilitatis, aut saltem quod gratia suppleat in rudioribus intellectibus quidquid desit ex parte evidentiae hujus extrinseci motivi. Sed dum aliquis *actu credit*, non sese *rationi totum* tradit, quia secus mere rationalis fidei actum eliceret; sed se totum divinæ infallibili auctoritati ut revelanti tradit atque committit, rebusque ejus nomine propositis, licet in se obscuris atque humanum captum excedentibus, inhæret, tum assensu plenissimo intellectus, tum adhæsione firmissima voluntatis, id quod fieri non potest, nisi divinæ gratiæ afflatu intellectum illustrante ac voluntatem hominis permovente.

211. Ad 5<sup>m</sup>, *Neg.* Ecquis unquam catholicus dixerit ad solam fidem *efficacem* gratiam necessariam esse? Numquid non vera fides erit *fides mortua*, qualis in peccatoribus reperitur? Numquid non erit donum Dei, ac proinde ex gratia proveniens? Quid dicemus de illis omnibus, quæ fidei actum præcedunt, quibus scilicet Deus cor hominis pulsatur, movet et inclinatur (1)? Confunditur igitur in allegatis verbis fides *vera* cum fide *viva* informata a charitate; at hæc duo valde inter se differunt, ut theologis omnibus notum est (2).

(1) Sane quoties non solum infideles verum etiam peccatores tanguntur hujusmodi gratiis actualibus eisdemque resistunt? Quoties saltem illis permoventur ad orandum, ad resistendum cupiditatibus, quia tamen se omnino liberent a statu peccati? Numquid isti actus, siquidem his gratiis peccatores obsequantur, alique ejusmodi, non erunt salutares, ac proinde virtute actualis gratiæ eliciti? Nisi hoc dicemus, in propositiones incideremus quænellianas atque bajanas ab Ecclesia proscriptas.

(2) Hic præstat in medium adducere

verba ipsa Helvenichii, qui in op. cit. pag. 105 et seq. dum contendit liberare Hermesium a pelagianismi aut semipelagianismi macula, hæc scribit: *Omnis quæstio de gratiæ actualis, quam theologî vocant, necessitate, referenda est ad salutis operationem. Operamur autem salutem, si lex spiritalis carnali superior facta in nobis est, idque tam firme et constanter, ut omnes et appetitiones et actiones nostras dirigat ad honesta (moraliter bona) perficienda, hoc est, eo dirigat, ut et velimus omnia, quæ vult Deus, et fugiamus omnia, quæ ab ipso*



212. Ad 6<sup>m</sup>, *Dist.* Credendi motiva, prout prærequisitum, præambulum aut conditionem denotant ad prudenter assentiendum revelationi tanquam divinitus datæ, innituntur auctoritati humanæ, *conc.*; in illa resolvitur fides nostra tanquam in motivum adæquatum *formale, neg.* Nisi enim gratia accedat, qua permoveamur ad actum fidei supernaturalis eliciendum, nun-

*aliena sunt, atque hoc modo, servantes mandata divina nosque ad similitudinem Dei plane conformantes, disponamur et apti fiamus ad adipiscendam salutem seu beatitatem æternam. Ex his jam facile apparet, quid per actus salutares, itemque per opera salutaria intelligendum sit. Videlicet actus salutaris is est, quo sive proxime sive remote efficitur, ut lex spiritualis superior fiat vel etiam superior maneat, majoremque vim accipiat, atque illa disponat nos ad salutem. His propositis definitionibus, Hermesius primum generatim demonstrat ( pag. 449 et seqq. ) gratiam actualem, supernaturalem et internam etiam justificatis omnino necessariam esse ad salutem operandam, et quidem eo modo, ut hæc salutis operatio sine gratia illa neque inchoari, neque continuari, neque perfici queat, id est, ut lex spiritualis sine gratia illa neque impetrare principatum, neque constanter obtinere et exercere possit. Porro ut patet, juxta Hermesii hermesianorumque istorum de gratia theoriam, 1<sup>o</sup> gratia solum afficeret voluntatem, non autem intellectum; ast gratia, quæ necessaria est ad fidem, etiam intellectum, imo potissime afficere debet, cum fidei actus proprie ad assensum intellectus pertineat, quæ firmam in eo ac*

supernaturalem certitudinem persuasivamque gignat; 2<sup>o</sup> confunditur hic et ubique ab his auctoribus gratia, quæ *elevationis* dicitur, cum gratia *medicinali* seu reparationis; 3<sup>o</sup> juxta hanc theoriam, Adæ in statu innocentiae, in quo nullam ille concupiscentiae luctam experiebatur aut alia impedimenta, gratia ad credendum *salutariter* non fuisset necessaria; 4<sup>o</sup> demum, ut cetera prætermittamus, quid sibi volunt ille principatus *superior*, lex illa spiritualis, quæ *superior* fieri debeat *caricali*, etc. de quibus hic constanter sermo est ad mentem Hermesii? Illud vero maxime adnotandum est, quod auctor iste, pag. 68, reprehendit cl. D. Liebermann, eo quod dixerit: *Quamvis fidei nostræ assensus uni nitatur auctoritati divinæ, et propria fidei causa sit interior Dei afflatus, qua movemur ad assentiendum Deo, requiruntur tamen externa adminicula*, etc. En porro censuram hermesianam: *Nam quod credendi actum suspensum facit (Liebermann) ab auctoritate divina, et propriam fidei causam in interiore quodam Dei afflatu positam esse declarat, in eo scilicet a se ipso desciscit, et aut fallaciter agere, aut parum considerate judicandus est.* Itane in Hermesii schola concipitur natura fidei divinæ?

quam in istum erumperemus; persuasio autem aut convictio, quæ in nobis gignitur ex evidentia motivorum illorum, tota naturalis est, nec ad actum fidei spectat, multo vero minus notivum ejus *formale* constituit.

213. Quo præjacto fundamento, jam evanescent, quæ adjiciuntur, tum de fide in vera miracula ob auctoritatem humanam aut auctoritatem Ecclesiæ, tum de circuli vitiosi labyrintho. Etenim juxta analysin fidei ex principiis a nobis constitutis, nos prius perducimur per motiva credibilitatis tanquam præambula et prærequisita in certam cognitionem veræ Christi Ecclesiæ (1), quæ est fidei regula proxima; deinde per Dei gratiam elicimus actum fidei de vera Ecclesia et infallibili ejusdem auctoritate; ab Ecclesia accipimus Scripturam et Traditionem, objecta denique reliqua fidei, quæ in eisdem continentur. Falsum propterea est, nos credere, fide scilicet divina, Ecclesiæ ob motiva credibilitatis; falsum, nos ab Ecclesia certiores fieri de veritate ac divinitate miraculorum; falsum denique, fidem nostram inniti auctoritati humanæ (2).

### PROPOSITIO III.

*Demonstratio, cujus capax est veritas christianæ fidei, aut motivum quodcumque credibilitatis non officit libertati illi, qua voluntas actum fidei imperare debet.*

214. Est adversus eos, qui autumant, si vera detur christianæ fidei demonstratio, assensu, qui ex ea promanat, jam liberum non esse sed plane necessarium; unde inferunt, positivam de veritate christianæ fidei demonstrationem admitti non posse,

(1) Id autem vel *explicite* vel *implicite* contingere potest, ut opportune adnotat Greg. de Valentia, qui ostendit præterea, cum *motivum* seu *inductivum* ad credendum non *unum* sed *varium* sit, propositionem tamen infallibilem Ecclesiæ esse *conditionem*

*necessariam* et quidem *unam* pro omnibus, quia fides *una* est. Cfr. *De fide*, disput. 1, quæst. 1, punct. 4.

(2) Cfr. Bolgeni, op. cit. *L'economia della fede*, cap. 1, art. 10; item Suarezius, *De fide*, diss. m, sect. 1, num. 5.

quin fidei naturæ ac merito derogetur, ac quæcumque motiva credibilitatis posse tantum *obices remove*, ut credatur, non verò persuasionem ullam inducere, quod credendum sit.

215. Ut igitur ad rem ipsam accedamus; quamvis admitteretur proprium scientificæ demonstrationis esse, ut necessario ad assentiendum cogat intellectum, talem nihilo secius vim illa non habet, nisi cum evidentia demonstrationis circa *objectum* ipsum *immediate* ac *intrinsece* versatur, non item vero cum solum ejusdem afficit credibilitatem (1). Porro demonstratio, quæ de fidei veritate in genere fit, aut de fidei articulis etiam singillatim, minime *immediatam* seu *intrinsecam* evidentiam objectorum fidei attingit, sed *extrinsecam* tantum atque *mediatam*, eorum videlicet *credibilitatem*, ac propterea intellectum ad assensum præbendum haudquaquam per se cogere valet.

216. Hoc autem luculentius adhuc firmatur ex eo, quod hic agatur de ejusmodi demonstratione, quæ non parit per se evidentiam *metaphysicam* quamvis in eam quandoque resolvi possit per principia, ut aiunt, *reflexa* (2). Ceterum evidentia, quæ haberi potest per motivorum credibilitatem, non est nisi plerumque *moralis*, aut interdum *physica*, pro iis nempe, qui signa ac prodigia oculis suis usurparunt. Moralis porro evidentia, ex morali certitudine exurgens, pendet, uti alias adnotavimus, ex accurata consideratione plurium factorum contingentium, in qua proinde haud parum valet dispositio ipsa subjecti animum ad rem sedulo applicantis, ac rationum vim rite percipientis (3). Quod si quis signum aliquod suis sensibus immediate percipit, certitudinem quidem ac evidentiam *physicam* factorum illorum acquirit, non ea tamen evidentia videt nexum, qui intercedit inter facta illa ac Deum revelantem, neque videt revelata objecta,

(1) Duo hæc ab invicem discriminanda sunt, cum alia sit *evidentia rei*, alia *evidentia credibilitatis*, ut scite animadvertit Suarez, loc. cit. sect. 7, n. 2, item sect. 5, n. 6 et seqq. Cfr. etiam *Prænotanda nostr.* n. 24.

(2) Re-colantur, quæ scripsimus in tract. *De vera Relig.* part. 1, cap. III, n. 174 et seq.

(3) Cfr. *Prænotand.* num. 27, et quæ paulo ante jam diximus.



quæ inevidentia omnino ac obscura manent. Accedit, quod assensus objectis fidei divinæ præstandus longe firnior sit, ac difficilior proinde, quocumque naturali assensu. Cum igitur tota evidentia aut certitudo, quæ ex fidei extrinseca demonstratione oritur, talis profecto non sit, quæ necessario intellectum ad assensum præbendum pertrahat, voluntatis est ejusmodi assensum intellectui imperare; siquidem sola evidentia metaphysica, uti animadvertimus, ea est quæ immediate rapit intellectum ad assentiendum. Quapropter licet metaphysice evidens sit, Deum esse summe veracem, imo veritatem ipsam, quæ proinde nec falli nec fallere potest; licet etiam metaphysice evidens sit, Deo revelanti fidem esse adjungendam; nihilominus utrum Deus sit reipsa locutus, hoc illudve revelaverit, nobis non constat nisi per motiva credibilitatis, quæ cum possint semper obnoxia esse non paucis neque exiguis difficultatibus, uti ex illorum inspectione et consideratione planum fit, voluntatem etiam rite ad veritatem dispositam requirunt (1). Exinde idcirco sequitur, haud esse necessarium posse *physice* et absolute ejusmodi assensum præbere.

217. Sane experientia jugis id apertissime ostendit. Atque ut ex ipsis sacris Litteris auspicemur, pharisæi certe conspexerunt miracula Christi, nec illa sunt inficiati, immovero quandoque admirati sunt; potuissent propterea ac debuissent Christo credere (2); attamen *Pontifices et pharisæi dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa facit* (3)? Cum præterea ad confirmandam divinam Christi missionem Petrus et Joannes insigne ac publicum patrassent miraculum, iterum iidem dicebant: *Quid faciemus hominibus istis? Quoniam quidem notum signum factum est per eos omnibus habitantibus Hierusalem; manifestum est, et non possumus negare* (4); nec tamen assensum præbuerunt; nempe, ut loquitur S. Augustinus, *collegerunt Pon-*

(1) Satis est oculos conjicere in difficultates, quas attulimus adversus argumenta, quibus ostendimus, dari notas divinæ ac supernaturalis revelationis, in tract. cit. *De vera Relig.* cap. III, et adversus ea argumenta, quibus ad-

struximus existentiam ejusdem revelationis, ibid. cap. v.

(2) Cfr. Luc. v, 24-26; Joan. x, 25, et alibi passim.

(3) Joan. xi, 47.

(4) Act. iv, 16.

*tifices et pharisæi concilium, et dicebant: Quid facimus? nec tamen dicebant: Credamus* (1). Plures nihilominus melius dispositi crediderunt in Christum, *videntes signa ejus, quæ faciebat* (2). Quod si ita se gerebant illi ipsi, qui spectatores fuerunt miraculorum Christi et Apostolorum, quanto magis possunt cohibere assensum ii, quibus miracula non constant nisi per auctoritatem historicam? Id ipsum dic de credibilitatis motivis reliquis, de vaticiniis eventu comprobatis, de doctrinæ excellentia, de Martyrum testimonio, de propagationis modo christianæ seu potius catholicæ Religionis, deque ejusdem inter tot conflictus conservatione, aliisque ejusmodi. Ex quo inferunt theologi, præter evidentiam credibilitatis ad præbendum assensum fidei veluti divinæ opus esse interiori gratiæ subsidio, quo cor docile efficiatur; alioquin, illa non obstante credibilitatis evidentia, homines non assentiuntur.

218. Quare optime S. Thomas in quæstione: *Utrum credere sit meritorium, cum sibi objecisset: Ille, qui assentit alicui rei, credendo, aut habet causam sufficienter inducentem ipsum ad credendum, aut non. Si habet sufficiens inductivum ad credendum, non videtur hoc ei esse meritorium, quia non est ei jam liberum credere et non credere. Si autem non habet sufficiens inductivum ad credendum, levitatis est credere, secundum illud (Eccli, XIX, 4): Qui cito credit, levis est corde, et sic non videtur esse meritorium. Ergo credere, nullo modo est meritorium. Cum hæc, inquam, sibi objecisset S. Doctor, ita respondet: Ad tertium, dicendum, quod ille, qui credit, habet sufficiens inductivum ad credendum. Inducitur enim auctoritate divinæ doctrinæ miraculis confirmatæ; et quod plus est, interiori instinctu Dei invitantis. Unde non leviter credit. Tamen non habet sufficiens inductivum ad sciendum; et ideo non tollitur ratio meriti* (3). Quibus breviter, ut solet, complexus est, quæ nos fusius exposuimus (4).

(1) *Tract. XLIX, in Joan. n. 26.* aliter leguntur hæc verba in edit.

(2) Joan. II, 23; III, 2; XI, 45, etc. Rom. 1586.

(3) 2, 2, q. 2, art. 9, ad 3. Paulo (4) Cfr. Suarez, *De fide*, disp. IV,

219. Concludamus igitur, demonstrationem, cujus capax est veritas fidei, aut motivum quodcumque credibilitatis non officere libertati illi, qua voluntas actum fidei imperare debet, prout ostendendum nobis proposuimus.

## DIFFICULTATES.

220. Obj. Nullatenus consistere potest actus fidei liber cum objecto evidenter cognito. 1<sup>o</sup> Evidentia enim, ipso Suaresio faciente, cogit *convictionem* (1). Jam vero idem dici debet de evidentia, quæ versatur circa credibilitatis motiva. Nam, si evidentia cogit invincibiliter convictionem circa objectum evidenter cognitum, non minus eam coget circa motiva credibilitatis evidenter cognita. Ideo nullo modo potest esse liber assensus, qui exinde emittitur, nec propterea meritorius. 2<sup>o</sup> Deinde, qua ratione fides, seu fidei objectum possit esse evidenter credibile, concipi nequit. Siquidem vel aliquid evidenter credibile dicitur ob fidem humanam seu naturalem, qua quis cognoscit motiva credibilitatis esse in se evidentia, vel ob fidem divinam. Porro si primum adstruitur, actus, qui eliceretur, esset fidei tantum humanæ, qualis nempe de aliis etiam humanis objectis naturaliter habetur. Repugnat autem posterius, quia quod aliquid sit evidenter credibile fide divina nequit supponi, cum hoc donum sit internum, quod proinde esse nequit evidenter credibile. Ergo.

221. Resp. *Dist.* Objecto cognito sub ratione *evidentis in se, conc.*; sub ratione *credibilis, neg.* Et pariter ad 1<sup>m</sup> prob. *Dist.* evidentia objecti intuitive cogniti cogit intellectum, *trans.*; vel *conc.*; evidentia credibilitatis, *neg.* Jam adnotavimus, diversa omnino ratione disserendum esse de evidentia, aut de cogni-

sect. 5, num. 6, ubi inter cetera scribit: *Dico in primis, hanc evidentiam (credibilitatis) non impedire actum fidei circa res sic credibiles, quia semper fides retinet suam majorem certitudinem ac perfectionem; nam in superioribus dictum est, etiam evidentiam*

*veritatis, si sit inferioris ordinis, non impedire verum actum fidei ejusdem veritatis; ergo multo minus impedit evidentiam credibilitatis, quæ semper relinquit obscuram veritatem ipsam.*

(1) Disp. VI, sect. 8.



tione evidenti metaphysica et intuitiva, qualis ex. gr. est illa principiorum seu axiomatum; et de cognitione moraliter evidenti, aut etiam, si cum Suaresio loqui velimus, de mere abstractiva et scientifica (1). Si de priore sermo sit, facile damus, illum extorquere necessario assensum intellectus nostri, neque in his liberum esse hominis assensum, sub quo respectu Suaresius affirmat, solam evidentiam cogere intellectum posse (2). Si vero de posteriore loquamur, negamus, talem esse ejusmodi evidentiam, ut necessario, nempe necessitate absoluta et *physica*, præsertim in rebus fidei divinæ, ei sit adhærendum; in hoc enim intellectus influxui voluntatis haud parum subest, quæ si rite disposita non sit, ac veritatem oppugnare velit, potest facilius lumen intellectus obscurare, ac ad assensum negandum pertrahere. Porro posterioris generis est evidentia, quam gignunt motiva credibilitatis naturaliter cognita. Exinde, ut diximus, et ex natura objectorum credendorum fluit necessitas gratiæ, qua permoveantur intellectus et voluntas ad firmiter assentiendum illis ipsis veritatibus, de quarum credibilitate homini evidentia naturali constat (3).

(1) Etenim prima est *immediata*, quæ consistit in intuitione principiorum, quæ ferunt secum evidentiam immediatam: ex. gr. totum est majus sua parte; impossibile est idem simul esse et non esse, aliaque id genus multa; contra vero altera, nempe scientifica et abstractiva ea est, quæ comparatur ope discursus et ratiocinationis per longam etiam deductionem ex principiis, ac propterea vocatur *mediata*. Cfr. Suarez, disp. 11, sect. 4, num. 9, et disp. 11, sect. 9, n. 3 et seqq. tum disp. 14, sect. 6, n. 5, et alibi passim.

(2) In primis animadvertendum est, verba Suaresii, loc. cit. num. 2, hæc esse: *Sola evidentia cogit intellectum*. Deinde hæc verba præcise profert Sua-

resius inter dubia, quæ proponit; resolvit vero quæstionem, et suam profert sententiam n. 12 et seqq. ubi ponit tres conclusiones, quæ ibidem videri possunt.

(3) Cfr. Suarez, disp. 14, sect. 5, n. 6 et seq. et disp. 14, sect. 8, n. 11, nec non Card. De Lugo, in tract. *De virtute fidei divinæ*, disp. 11, sect. 1, n. 104. Cujus verba hæc sunt: *Obijciunt, quia assensus fidei debet esse liber; quando autem objectum evidenter constat, non assentitur libere intellectus, sed ex necessitate; ergo non erit assensus fidei. Ad hoc facile respondetur ex dictis, actum fidei semper esse liberum; quia, licet aliunde necessitetur intellectus ad assentien-*

222. Ad 2<sup>m</sup>, Resp. aliquid posse sub diverso respectu aut naturale esse aut supernaturale; naturale prout *cognitum*, supernaturale prout *creditum*. Naturalis igitur erit actus, si iudicium intellectus, quod voluntatem præcedit, potest elici ac reipsa elicitur vi naturalis ratiocinationis, aut cognitionis signorum, quæ efficiunt illa objecta evidenter credibilia; supernaturalis autem erit, si illustratione et inspiratione Spiritus S. superveniente perfundatur intellectus permoveaturque voluntas ad actum fidei eliciendum circa illud ipsum objectum, quod erat naturaliter cognitum, ut quis credere possit, *sicut oportet* juxta catholicam doctrinam (1). Uti enim animadvertit Suarez, supernaturalis illa superveniens illustratio intellectus, quæ præcedit voluntatem credendi, non est necessaria ad iudicium credibilitatis efformandum, sed solum prærequiritur propter supernaturalem actum (2). Hac ratione omnia rite componuntur, quæ videntur sibi invicem adversari, siquidem ex una parte iudicium, quod fit ab intellectu ob motiva naturaliter cognita, naturale *quoad suam substantiam est*; ex altera parte ob superveniens gratiæ subsidium fit supernaturale *ratione modi*, quo elevatur et movet supernaturaliter voluntatem, ut imperet assensum supernaturalem intellectui circa fidei objecta. Hæc planiora adhuc fient ex insequente propositione.

#### PROPOSITIO IV.

*Potest de uno eodemque objecto haberi simul scientia ac fides.*

223. Eisdem perstringit propositio adversarios, quos superiore propositione adorti sumus, qui verentur, ne fides penitus

*dum illi objecto, nunquam tamen necessitatur ad credendum illud ex motivo revelationis divinæ; quod sufficit, ut actus fidei liber sit, non quidem in se, sed in causa, nempe in voluntate imperante, sive sit voluntas imperans solum assensum ad veracitatem et revelationem, quo assensu stante*

*necessitetur intellectus ad credendum objectum revelatum propter divinam auctoritatem, sive requiratur etiam voluntas alia imperans alium assensum præter assensum præmissum.*

(1) Cfr. Suarez, disp. vi, sect. 8, n. 18.

(2) Ibid. n. 12, 13, 14.

pereat aut saltem debilitetur per scientiam, verenturque propterea, ne, si ulla detur demonstratio circa aliquid eorum quæ fides docet, hæc e medio tollatur aut detrimentum capiat. Perperam autem eos ita sentire, sic luculenter ostendimus.

224. Ex dictis in prima ac secunda propositione, distincta prorsus ab invicem sunt fidei ac scientiæ principia; scientia enim innititur principiis naturaliter cognitis, fides vero auctoritati innititur Dei revelantis, quæ constituit propterea motivum seu objectum formale ipsius fidei. Cum igitur revelatio non solum complectatur ea, quæ captum rationis nostræ superant, verum etiam veritates, quæ naturalis ordinis sunt, adeoque absolute rationis nostræ aciem minime excedunt, consequens est, posse ex diversis principiis idem objectum cognosci, seu quod idem est, posse fidem ac scientiam in eodem subjecto de eadem re simul amice consistere seu de uno eodemque objecto simul scientiam ac fidem haberi (1).

225. Sic possumus sola ratione duce cognoscere ex. gr. Deum existere, unum esse, pluribusque iisque infinitis attributis esse præditum, quæ necessario competere debent primo enti, causæ necessariæ, æternæ, independenti ac existenti necessitate naturæ suæ, seu enti quo nihil majus nihilque melius excogitari potest. At hæc ipsa ex divina novimus revelatione. Idem dic de animorum immortalitate ac libertate, de præmiis aut pœnis, quæ pro meritorum diversitate nos manent in altera vita, aliisque ejusmodi non paucis veritatibus, quas et fide tenemus et ratione etiam cognoscimus ac demonstramus. Alioquin, nisi hoc admittatur, sequeretur, hominem, quo doctior evadit, eo magis de fide amittere, cum tamen experientia contrarium constet (2). Si quidem conspicimus, viros doctissimos symbolum fidei profiteri, quamvis Deum et quidem unicum et omnipotentem esse, cœli terræque

(1) Cfr. quæ scribit Estius in cap. xi epist. ad Hebr. in v, 1.

(2) Huc refertur, quod scribit Apostolus: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est.* Si accedat quis phi-

losophus ad Deum, quem scientia seu demonstratione cognoscit existere, numquid, ut credat, debet amittere aut rejicere scientiam?



conditorem etiam demonstratione per principia rationis cognoscant. Melior præterea dicenda foret, in adversariorum hypothesi, rudiorum quam doctorum conditio; quod nemo nisi absurde affirmaverit.

226. Quapropter comperimus, illos eosdemque Ecclesiæ Patres ac doctores, qui plures easque solidissimas dederunt de Dei existentia ejusque attributorum demonstrationes, ut veritates ceteras silentio prætereamus, inculcare fidei necessitatem in illas easdemque veritates a Deo revelatas. Etenim S. Cyrillus Hierosolym. *Catech. IV*, adstruit necessitatem credendi in Deum, ejusque attributa fide tenendi, ex gr. potentiam, sapientiam, libertatem, etc. (1), quæ tamen per rationem cognosci queunt. Sic etiam S. Augustinus, qui, *De civitate Dei*, docet, officium fidei *primum et maximum esse, ut in verum credatur Deum* (2); et alii passim (3). Hinc eximius Suarez pluribus ostendit, posse ab eodem de una eademque veritate haberi simul cognitionem etiam evidentem et fidem (4); et ante ipsum S. Thomas docuit credenda esse, quæ naturali ratione probari possunt (5).

227. Sive igitur diversa spectemus principia, ex quibus eadem veritates dimanant, sive earumdem naturam, sive denique sentiendi et agendi rationem, quam Ecclesiæ Patres et doctores tenuerunt, patet, quod proposuimus, posse videlicet de uno eodemque objecto scientiam simul ac fidem haberi.

(1) Num. iv, v et vi. edit. Touttei, pag. 53, 54, et iterum *Catech. vi*, quæ est *De uno Deo*.

(2) Lib. iv, cap. 20.

(3) Uti Ruffinus, in *Exposit. symboli*, n. 4; S. Joan. Chrysost. alique, quos refert Greg. de Valentia, in op. citato. Hinc S. Th. 2, 2, q. 2, art. 4, in corp. docet, necessarium esse homini accipere per modum fidei, non solum ea, quæ sunt supra rationem, sed etiam ea, quæ per rationem cognosci possunt. Cujus doctrinæ tres affert

rationes, quarum postrema est *propter certitudinem; ratio enim humana in rebus divinis est multum deficiens...*

*Ut ergo esset indubitata et certa cognitio apud homines de Deo, oportuit quod divina eis per modum fidei traderentur quasi a Deo dicta, qui mentiri non potest.*

(4) Disput. III, tota sect. 2.

(5) Ut patet ex textu modo adducto, et præterea p. I, q. I, art. 6 et 7; et *Contr. gent. lib. I, cap. 4.*

## DIFFICULTATES.

228. Obj. Scientia et fides in eodem subjecto de eadem veritate se invicem excludunt; imo implicat, eas posse simul consistere. Nam 1<sup>o</sup> scientia exposcit cognitionem, eamque saltem in suis principiis intuitivam et evidentem; fides vero in sua notione negationem involvit cognitionis intuitivæ ac evidentis; cum autem aliquid ab eodem simul videri et non videri repugnet, repugnat igitur proposita thesis. 2<sup>o</sup> Adversatur præterea Scripturæ; fides enim ex Apostolo *est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (1). Si non apparent quæ fide creduntur, nequeunt hoc ipso esse scita aut visa. 3<sup>o</sup> Huic auctoritati innixi Ecclesiæ Patres constanter docent, fidem de iis esse, quæ non videntur. Inter ceteros S. Augustinus: *Quid est, inquit, fides, nisi credere, quod non vides* (2)? Et clarius adhuc fidem ex eo commendat, quia *quod creditur non videtur* (3). Et iterum: *Quod intelligimus, scribit, debemus rationi, quod credimus, auctoritati* (4). Sic etiam S. Gregorius M. ad ea Christi verba: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*, cum fides sit de non apparentibus, respondet: *Quia (Thomas) aliud vidit, aliud credidit... Hominem ergo vidit, et Deum confessus est* (5); pro certo sumens, non posse idem credi et videri. 4<sup>o</sup> Horum vestigiis insistent Angelicus Doctor, veluti principium firmum ubique statuit, minime posse in eodem subjecto aliquid esse *visum* seu cognitum et *creditum*. Ex innumeris prope locis, qui ex ipso afferri possent, iste sufficiat: *Manifestum est, quod imperfectio cognitionis est de ratione fidei; ponitur enim in ejus definitione: fides enim est substantia sperandorum, etc. et sic imperfectio cognitionis est de ratione fidei. Unde manifestum est, quod fides non potest esse perfecta cognitio, eodem numero manens* (6). Aut etiam apertius: *Omnis scientia, scribit, habetur per aliqua principia per se nota, et per consequens visa; et ideo oportet,*

(1) Hebr. xi, 1.

(2) Tract. xl, in Joan. n. 9.

(3) Tract. lxxix, n. 1.

(4) Lib. De utilit. credendi, cap. 11,

n. 25, superius cit.

(5) Hom. xxvi, in Evang. n. 8,

opp. edit. Maur. tom. 1.

(6) 1, 2, q. 67, art. 3, in corp.

*quæcumque sunt scita, aliquo modo esse visa. Non autem est possibile, quod idem ab eodem sit visum et creditum. Potest tamen contingere, ut id, quod est visum vel scitum ab uno, sit creditum ab alio* (1). Qui propterea docet, quod, *Deum esse et alia hujusmodi, quæ per rationem naturalem nota possunt esse de Deo, ut dicitur Rom. I, non sunt articuli fidei, sed præambula ad articulos* (2). Nec obstat, ejusmodi veritates in symbolo contineri; siquidem respondet S. Doctor semper sibi constans: *Ea, quæ demonstratione probari possunt, inter credenda numerantur, non quia de iis simpliciter sit fides apud omnes, sed quia præexiguntur ad ea, quæ sunt fidei, et oportet ea saltem per fidem præsupponi ab his, qui eorum demonstrationem non habent* (3). Ergo.

229. Resp. *Neg. ant.* Ad 1<sup>m</sup> prob. *Dist. min.* Repugnat, idem videri et non videri ab eodem subjecto *per eundem actum, trans.; per diversos actus, neg.* Repugnare utique videtur, eodem actu quempiam simul videre et credere, seu videre et non videre; ast non est repugnantia seu contradictio, quod quis diverso seu distincto actu, itemque per diversum medium aut principium cognoscat et credat. Sic implicat, aliquem eodem simul actu pedibus et curru iter facere; si autem diverso aut distincto actu, non item. Jam vero cum alius sit actus aliudque principium, quo aliquis naturali facultate cognoscit seu intuetur, alius autem, quo idem fide supernaturali aliquid credit ob divinam auctoritatem, patet, minime repugnare, sub diverso respectu distinctoque actu quempiam aliquid cognoscere et credere (4). Hoc vero magis in casu nostro pro substrata materia patefit, ex eo quod non agatur de visione seu cognitione intuitiva, sed de cognitione et visione abstractiva, qualis per scientiam obtinetur, quæque

(1) 2, 2, q. 1, art. 5, in corp.

(2) 1, p. q. 2, art. 2, ad 1.

(3) 2, 2, q. 1, art. 5, ad 3. Alia plura ejusdem S. Doctoris testimonia cf. apud P. Rozaven, op. cit. edit. prim. pag. 110 et 130.

(4) Cfr. De Lugo, op. cit. disp. 11, sect. 3, n. 105 et seqq. Item sect. 2, n. 66. Cfr. etiam Vasquez, in III p. 5. Th. disp. LIII, cap. 1, n. 5, et disp. LXII, cap. 4, n. 33. Suarez loc. cit. n. 119.



proinde capax est firmioris certitudinis aut saltem firmioris adhæ-  
sionis intellectus imperatæ a voluntate ob Dei auctoritatem, quam  
habeat adhæsiō illa, qua intellectus et voluntas in objecto con-  
quiescunt per solam cognitionem, quæ acquiritur per scientiam (1).  
Deinde permisceri nequit scientia cum scientiæ principiis; prin-  
cipia, siquidem utpote per se nota, ac immediatam evidentiam  
præ se ferentia, movent necessario intellectum ad assentiendum  
absque ullo voluntatis influxu, non item vero conclusiones, quæ  
ex iisdem principiis longa saltem deductione trahuntur; in qui-  
bus nempe cum talis evidentia, plerumque saltem, haud afful-  
geat, intellectus non adeo invincibiliter cogitur; unde relinquitur  
voluntati ejusmodi vis, ut illum ex rationum pondere determi-  
nare queat ad assensum (2).

230. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist. Fides est sperandarum*, etc. prout sub-  
sunt fidei, *conc.*; prout scientia cognoscuntur, *neg.* Responso  
patet ex dictis; nam, si distincto actu ac medio aliquid possit  
credi et cognosci, sequitur, actum cognitionis non adversari  
actui fidei. Huc accedit, scientiam haud nobis præbere *apparen-  
tiam* seu cognitionem rerum divinarum, prout in se sunt, sed  
solum, uti diximus, abstractivam, quæ proinde illam relinquit  
obscuritatem, quam fides supponit (3).

(1) Cfr. auctores citt. loc. cit. et De  
Lugo, sect. 2.

(2) Cfr. Suarez, disp. III, sect. 9.

(3) Huc referuntur, quæ scribit Es-  
tius in cap. XI, v. 1, epist. ad Hebr.  
ubi exponens illud Apostoli argumen-  
tum non apparentium, hæc habet:  
*Hæc quippe fidei laus est, propter  
auctoritatem divinam assensum fir-  
missimum præbere iis, quæ non ap-  
parent; utcumque reclamet sensus nos-  
ter carnalis. Quanquam contingit, et  
ea quæ apparent, si testimonium ha-  
bent divinum, a nobis credi. Sed in  
iis credendis non elucet fidei virtus;*

*quia etiam sine ejusmodi testimonio  
recipiuntur, velut sensu vel experien-  
tia, et humanis testimoniis, abunde  
cognita; ut Jesum crucifixum et mor-  
tuum esse, Davidem regnasse, Pau-  
lum gentibus prædicasse. Quo refe-  
renda sunt etiam ea, quorum haberi  
potest scientia demonstrativa: ut unum  
esse Deum optimum maximum, et alia  
hujusmodi. Non ergo sentit Apostolus,  
id omne quod creditur, esse non ap-  
parens; sed fidem esse eam animi qua-  
litate, qua propter Dei verbum ac  
testimonium certissime recipimus etiam  
ea, quæ non apparent, quæque sen-*

231. Ad 3<sup>m</sup>. Eadem esto distinctio ; quandoquidem eodem sensu loquuntur Patres. Sane in objectis testimoniis SS. Augustinus et Gregorius M. exponunt naturam fidei, quæ in suo conceptu postulat, ut assentiatur auctoritati, secus ac scientiæ notio exposcat.

232. Ad effatum autem S. Gregorii M. speciatim adnoto, ipsum rationem eorum habuisse, quæ sub sensus cadebant Apostoli Thomæ, in quibus certo non habetur fides, non autem voluisse excludere fidem illius circa substantiam, quæ latebat sub apparentiis, cum citra dubium sit, tum Apostolum Thomam, tum Apostolos reliquos non minus credidisse in veram Christi humanitatem, cum et hujus veritas fidei articulus sit.

233. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Statuit S. Thomas, non posse in eodem subjecto aliquid esse simul visum et creditum in sensu exposito, *conc.*; alio sensu, *neg.* Nec aliud evincunt allegati textus, alique magno numero, qui facile adduci possent. Hi enim probant dumtaxat, tenuisse Angelicum Doctorem, minime posse sub eodem respectu haberi scientiam, aut si lubet, cognitionem evidentem simul et fidem, quæ illam excludit. Ceterum S. Thomam haud existimasse, fidem et scientiam de eadem veritate in eodem subjecto absolute repugnare, constat ex ejus doctrina, qua tenet, habitum fidei habitum scientiæ non excludere, seu scientiam et fidem de eadem re simul consistere posse (1); tum etiam ex eo quod pro certo adstruat, sive Angelos sive primum hominem ante peccatum, simul habuisse abstractivam Dei cognitionem longe ea perfectiorem, quam nos per scientiam comparare possumus, una cum fide (2). Removet proinde solum a fide cogni-

*sus humanus credere refugit. Hæc enim sunt, quæ per se sub objecto fidei continentur; cetera non item. Cfr. etiam De Lugo, op. cit. disp. 11, sect. 11, n. 98, ubi fuse propositam difficultatem solvit.*

(1) Apud Suarez, disp. 111, sect. 9, n. 4, et patet præterea ex iis, quæ paulo ante ex S. Doctore attulimus.

(2) 2, 2, q. 5, art. 1, in corp.

T. IX.

Cujus hæc sunt: *Illam sola manifestatio excludit fidei rationem, per quam creditur apparens vel visum id, de quo principaliter est fides. Principale autem objectum fidei est veritas prima, cujus visio beatos facit et fidei succedit. Cum ergo Angelus ante confirmationem et homo ante peccatum non habuerit illam beatitudinem, qua Deus per essentiam videtur, manifestum*

tionem intuitivam ipsius Dei, quam in patria, uti speramus, consequemur (1). Igitur nisi velimus Angelicum Doctorem secum ipsum committere, in eadem et ipsum sententia fuisse, fateamur necesse est (2).

## ARTICULUS II.

### *De nexu ac mutua relatione fidem inter ac rationem.*

234. Satis pro re nostra naturam et constitutiva fidei in se spectata enucleare satagemus; nunc, quomodo fides ipsa in actu credendi ejusque objectis ad rationem se habeat, investigandum. Plures in hoc enim errores profligandi sunt. Nam præterquam quod increduli omnes, philosophorum sibi nomen adsciscentes, quavis ætate, ac recentiore etiam nostra proclamare haud destiterint, admissa fide, actum et conclamatum de ratione hominis esse, haud parum est disputatum, utrum fides aliquid credendum, quod nativis rationis ipsius principiis adversans sit; proponere queat, aut revera proponat. Jam supra commemoravimus, haud paucos e protestantibus, Luthero duce, in ea stetisse sententia, quod inter fidem et scientiam, theologiam et philosophiam bellum existere oporteat, ac aliquid utique dari *theologice* verum, quod *philosophice* falsum sit, et e contra (3); quinimmo plures eo pervenerunt, ut illud Tertulliani *credo, quia absurdum*,

*est, quod non habuit sic manifestam cognitionem, qua excluderetur ratio fidei. Unde quod non habuit fidem, hoc esse non potuit, nisi quia penitus ei erat ignotum id, de quo est fides.*

(1) Ibid. in resp. ad 1: *Potest dici, inquit, quod contemplatio, quæ tollit rationem fidei, est contemplatio patriæ, qua supernaturalis veritas per essentiam videtur. Hanc autem contemplationem non habuit Angelus ante confirmationem, nec homo ante peccatum; sed eorum contemplatio erat*

*altior quam nostra, per quam magis de propinquo accedentes ad Deum, plura manifeste cognoscere poterant de divinis effectibus et mysteriis, quam nos possumus.*

(2) Cfr. Salmeron, in cap. xi. epist. ad Hebr. diss. 20, ad 10 dub. opp. tom. xi, pag. 764; et Greg. De Valentia, disput. 1, *De fide*, quæst. 1, puncto 4, § 2, opp. edit. Lugd. 1603, tom. iii, pag. 68 et seqq.

(3) Cfr. num. 9 hujus partis iii.



veluti fidei tesseram constituerint (1). Neque pro veritatis amore omittere volumus, aliquot etiam ex theologis nostratibus arbitratos esse, principia prima evidentia ac universalia rationis vim omnimodam probandi habere in rebus naturalibus, in rebus tamen fidei non item, utpote quæ cum rationis fines undequaque excedant, iis non sunt principiis rationalibus dimetienda (2). Nos igitur legitimam inter fidem et rationem concordiam tuentes, propositionibus insequentibus id præstare conabimur.

### PROPOSITIO I.

*Fides neque extinguit naturale rectæ rationis lumen, neque illi unquam potest adversari.*

235. Statuta thesis hoc facile argumento conficitur. Si fides nativum rationis lumen extingueret, eique adversaretur, hoc fieret, vel quia ipsa cæcum omnino a ratione exigeret objectis credendis assensum, vel quia rationi quidquam credendum proponeret; quod cum ejus principiis adversa fronte pugnaret. Atqui neutrum consistit.

236. Primum porro evincit, quidquid hactenus disceptavimus

(1) Hoc etiamnum ab aliquibus Germaniæ Protestantibus, qui dicuntur *orthodoxi*; quippe symbolicos libros suos contra ratiocinalistas tuentur, veluti fidei professio tenetur.

(2) Mirum porro est, Anton. Genovesi hanc anti-philosophicam doctrinam sectatum esse. Ipse enim 3 part. *Elem. metaph.* cap. 5, § 18, asserit, cum universali quidem infinitaque ratione dictata omnia cohærere; at pronuntiata humanæ rationis ad divinorum Mysteriorum materiam non pertinere, porrigique tantummodo ad naturam rerum factarum. Id porro etiam de *axiomatibus* dicit; unde concludit: *Na-*

*turam itaque Dei non attingunt; ergo inde nec pro nec contra argumentum duci potest. Itaque eos hoc in loco probo scholæ theologos, qui perspectissime prorsus respondent hoc (scilicet quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se) et similia alia axiomata in creatis rebus locum habere, non in divinis. Hanc falsam doctrinam optime refellit alter egregius sane Italus philosophus, Cæsar de Horatiis, jam in Romano Archigymnasio professor, in libro De universali methodo philosophandi officioque philosophi, Romæ 1778, cap. 20.*

de necessitate præviæ illius cognitionis naturalis et quidem certæ circa *credibilitatem* divinæ revelationis ad actum fidei ope divinæ gratiæ supernaturalem eliciendum. Si namque fides ipsa, veluti *prærequisitum* exigit, ut ratio intelligat aliquo modo, *quid* credendum sit (1), ac ut præterea videat, *quare credendum*; si talia evidentis credibilitatis motiva fides exhibet, quæ illam rationabili plane modo inducere valeant ac fidei objecta amplectenda, nonne rationis jura non tantum non destruit, sed sarta tecta tuetur? Irrationabiliter ergo ageret ratio, si positis illis extrinsecis credendi motivis intellectum captivare in obsequium primæ veritatis revelantis, Dei, detrectaret (2).

237. Sed alterum etiam æque invicte probatur. Revelatio enim, quæ fidei objectum est, ac naturalis ratio nonne Deum pariter habent auctorem? Nonne duo veluti radii ejusdem luminis indefectibilis sunt, duo veluti rivi ab eodem inexhaustibili fonte manantes? Quinam igitur pugnantes inter se poterunt esse? Quomodo veritas veritati unquam poterit contradicere? Aut Deus sibi ipsi contrarius esse, ut contrariâ per diversa illa media nos doceat? Certum igitur est nulla divina dogmata adversari rationi posse; tali nempe rationi, quæ recte et ex lege naturæ suæ procedat, non vero quæ utcumque, quæque contra rationales suas leges temere peccet (3).

(1) Jam rite Augustinus adnotavit, non omnia in mysteriis cadere sub fidem, sed quædam in iis nos satis noscere, unde aliquam credentes de Mysterio ipso notionem concipere possumus: *Credimus*, ait S. Doctor, *Jesus Christum natum de Virgine, quæ Maria vocabatur. Quid sit autem Virgo, quid sit nasci, et quid sit nomen proprium non credimus, sed prorsus novimus. De Trinit. l. viii, cap. 8.* Idem dic de ceteris Mysteriis, unde falsum est quod oggerunt increduli, Mysteria nil nisi vanum verborum sonum esse, omni conceptu destitutorum.

(2) Apposite hic ita rationem ipsam alloquentem inducit Duguet: *Ecoutez un maître qui m'est supérieur, et n'écoutez que lui. C'est par mon ordre que vous me quittez, et c'est ma lumière qui vous conduit à une autre. Il est juste que je sache, si c'est Dieu qui révèle ses volontés et ses Mystères, parce que je ne dois croire que lui, et ne me fier qu'à sa vérité; mais quand je suis certain que c'est lui qui parle, je n'ai plus qu'à l'écouter et me taire. Des principes de la foi, tom. 1, cap. 1.*

(3) Nonnisi ex prava philosophandi

238. Præterea veritates a fide propositæ, aut captui rationis accommodatæ sunt, aut illum prorsus exsuperant. Quoad primas nulla est oppositio pertimescenda; siquidem talia veritatis germina, licet firmiora atque uberiora, ratio inde percipit a fide, quæ in suo, ut ita dicam, solo ratio ipsa aut jam detexerat, aut absolute detegere potuisset, quæque nunc illa per fidem etiam edocta poterit facilius nativo lumine suo evolvere, novisque ejusdem ordinis veritatibus locupletare. Quod si de veritatibus rationem excedentibus seu de Mysteriis agatur, nunquam ratio intrinsecam in iis repugnantiam percipere valebit; hæc enim cognitio supponeret perfectam *subjecti* et *prædicati* ac *intrinseci* eorum nexus notitiam; quod quidem ipsa Mysterii natura excludit (1). Quid est enim mysterii propositio nisi notitia rei, quam dari non nisi a dicente seu revelante cognoscere poteramus, et quæ quoad *existentiam* quidem constat, sed quoad *modum* existendi, et quoad omnes qualitates non declaratur, immo nec innotescere potest? Omnis igitur repugnantia erit tantum apprensens, quam ratio recte instituta dispellet (2). Hoc jamdiu ani-

methodo oriri hanc oppositionem posse, ostendit solide Cæsar de Horatiis, op. et cap. jam citt., atque in eo totus est, ut rectam methodum philosophandi commonstret, cunctisque philosophis suadeat. Plura porro ibidem ad religionis dogmata tuenda opportuna comperies.

(1) Egregie declarat hoc argumentum Cl. Gerdilius, in op. *Introduzione allo studio della religione*, exemplis etiam ex mathematicis adductis. Cfr. pag. 135 et seq. atque etiam si lubet, tract. noster, *De vera Religione*, tom. 1, cap. 1, prop. III.

(2) Argumenta *physice* tantum aut *moraliter* certa ad fidei dogmata labefactanda nihil valere possent; quippe cum illa non absolutam sed *hypotheti-*

*cam* necessitatem habeant, divinam nequeunt naturam attingere. Metaphysica tantum principia, quæ in principio *contradictionis* fundantur, ad divinam quoque naturam pertinere dubium non est, ac proinde oppositum illorum absolutam in Deo ipso impossibilitatem certissime evincerent; quod qui negant theologi, jam omnem certitudinem evertunt, ac tollunt possibilitatem ipsam humanæ rationi quidquam de Deo ejusque proprietatibus statuendi. Ast nullum est Mysterium, quod principio ejusmodi metaphysico adversari ostendi possit; nulla difficultas in hoc, quæ solubilis non sit; nec omnes incredulorum conatus aliud effecerunt, nisi distortum ac sophisticum suum ratiocinandi modum patefacere.



madvertit S. Thomas (1). Hoc declaravit expresse Synodus Later. V, illis verbis : *Cumque verum vero minime contradicat, omnem assertionem veritati fidei contrariam, omnino falsam esse definimus* (2). Hoc demum ipsum nos quoque in toto prælectionum nostrarum decursu, ubi de mysteriis fidei nostræ singillatim est actum, conficere adnisi sumus.

#### DIFFICULTATES.

239. Obj. prima. Nulla dari major oppositio potest quam fidem inter ac rationem. Nam 1<sup>o</sup> Fides est cæcus assensus objectis, in quibus nil ratio intelligit ac videt. Ratio autem non nisi in evidentia quiescit, atque absolutum jus habet cuncta inquisitioni suæ subdendi, ut de veritate aut errore novissimum proferat judicium. 2<sup>o</sup> Hinc satis celebrari nequeunt, qui cogitationem philosophicam ab auctoritatis jugo emancipare conati sunt; quo factum est, ut cuique jam integrum sit de magnis illis problematibus, quæ Deum, hominem ac naturam respiciunt, libere disceptandi. 3<sup>o</sup> Id vero, quin ullam impietatem redoleat, Deum ipsum rationis auctorem extollit, quippe ea sola obedientia rationabilis est, qua ratio legibus certisque principiis suis unice obtemperat (3). Ergo.

(1) *Contr. gent.* lib. 1, toto cap. 7, ubi hoc copiose evolvit. Satis hic nobis sit ea adducere, quæ habet n. 1 : *Ea enim, inquit, quæ naturaliter sunt insita, verissima esse constat, intantum ut nec ea esse falsa sit possibile cogitare; nec id quod fide tenetur, cum tam evidenter divinitus confirmatum sit, fas est credere esse falsum. Quia igitur solum falsum vero contrarium est, impossibile est illis principiis, quæ ratio naturaliter cognoscit, prædictam veritatem fidei contrariam esse.*

(2) In *Collect. Conc. Veneta Coleti*,

tom. xix, col. 842. Editum porro est hoc decretum adversus philosophos illos, qui autumabant, posse aliquid verum esse in theologia, quod falsum sit in philosophia. Tantum autem abest, ut Synodus illa quidquam a *recto* rationis usu adversum fidei pertimesceret, ut Leo X tunc pontifex philosophos ætatis illius excitavit atque hortatus sit ad demonstrationes pro animarum immortalitate ex naturali ratione faciendas et contraria argumenta dissolvenda.

(3) Hæc quidem aliaque ejusmodi plura profert cum schola neo-eclectica

240. Resp. *Neg. ant.* Ad 1<sup>m</sup>, *Dist.* Fides est cæcus assensus quoad *intrinsecum* in mysteriis subjecti ac prædicati *verum*, *conc.*; quoad motiva *extrinseca* firmum assensum præbendi, *neg.* Ea est humanæ rationis natura, ut nil sine firmo ac rationabili motivo pro vero et certo habere queat, ac tale motivum quærere in ipsius jure positum est. Sed cum objecta cognitionis sint diversæ naturæ, ac a diversis fontibus promanent, *motiva* illa assensus firmi ac rationabilis *intrinseca* aut *extrinseca* esse possunt. Num omnia, quæ ratio ut vera admittit, ac admittere debet, ex puris idearum relationibus, aut ex contemplatione naturæ procedunt? Num poterit ipsam veritatem historicam repudiare, licet motivis tantum extrinsecis innitatur? Quinimo nonne ex canone recepto newtoniano, experimentis constantibus ac certis credendum est, etiam si ratio non pateat? Et quot physica pro indubitatis habet, licet ea partim cognita, partim incognita sint? Fides igitur hoc non denegat rationi jus, ut in illa fundamenta revelationis inquirat, quæ firmissima credendi motiva suppeditant; *testimonia* enim ejus *credibilia facta sunt nimis*, et ipsa *vincet, cum judicabitur*. Ast ipsam velle mysteriorum naturam ratione metiri, hoc esset in Deum superbe insurgere, perinde ac si ille in infinita natura ac scientia sua non haberet, quod rationem humanam latere posset ac deberet.

D. Bouillier, philosophiæ professor Lugdunens. in *Discours d'ouverture à la faculté des lettres de Lyon*, Lyon 1840, a pag. 5 ad 10. Ceterum hæc non sunt nisi leve specimen rationalismi philosophici, qui nunc plures occupat scholas in Galliis, ac magis in dies progreditur, ut patet ex documentis pastoralibus Episcoporum Galliarum. Eminet inter hæc, quod dedit Archiepiscopus Tolosanus, D. d'Astros, adversus D. Gatien Arnoult, profess. in universitate Tolosana, cujus non pauca excerpta exhibet. In quo illud notamus, quod disse-

rens hic professor de Religione christiana, cujus progressus ad perfectibilitatem adstruit, concludit: *Elle excluera la foi, pour faire place à la raison... Dans l'avenir il y aura triomphe éclatant et développement complet des principes du christianisme*, etc. Vid. *L'union catholique*, Fév. 1842. Hæc schola christianismum post Hegel philosophicum facit, quæritque Christum historicum *in idea* mentis. Verum de his partim disseruimus, partim paulo infra uberius disseremus.

241. Ad 2<sup>m</sup>, Qui conati sunt emancipare cogitationem philosophicam a iugo auctoritatis, *Dist. Philosophicæ, trans.*; divinæ, *neg.* Nil nostra refert, quidquid ad varia philosophorum dogmaticorum placita spectat; sua sint rectæ rationi integra in hoc iura. Ast cogitationem philosophicam ab auctoritate divina revelante, ac veritatem revelationis suæ tot argumentis indubiis testante, emancipare, non laudi, sed magno rationis ipsius philosophantis probro ac detrimento est. Qui enim ita procedit, *rationalibile officium*, quo in divinum auctorem suum obstringitur, pessumdat; veritati affulgenti se subtrahit; sublmissimam illam cognitionum partem, quæ rationem ipsam supra se extollunt, recondita humanitatis Mysteria patefaciunt, veram hominis destinationem aperiunt, physicum, intellectualem ac moralem ordinem miro inter se nexu copulatum ostendunt, a se stultissime rejicit; et in ipsis illis veritatibus, quas ratio per se cognoscere posset, sed quæ firmiter et uberius a revelatione traditæ sunt, iterum fluctuat atque cæcutit. Id porro lacrymabili sane sed luculento exemplo recens neotericæ pseudophilosophiæ ostendit historia (1).

242. Ad 3<sup>m</sup>, *Neg.* in sensu adversariorum. Utique ea sola est obedientia rationalis, qua ratio legibus certisque principiis suis obtemperat; sed num leges certaque rationis principia exposcunt, ut ea sola pro veris habeat ratio, quæ *intrinsece* videt ac intelligit, aut externis sensibus sui usurpat? Num lex rationis cer-

(1) Merito hic commemorandum est egregium opus Cl. D. Severini Fabriani, *La religione cristiana dimostrata per la natura de' suoi misteri*, Modena 1828-1837, in quatuor partes divisum, in quibus hæc invicte ostendenda suscipiuntur: *Nella prima, che tutti i sistemi di religione o d'incredulità inventati dagli uomini contengono misteri, i quali con le loro assurdità offendono l'umana ragione. Nella seconda, che tutti i sistemi di*

*religione e d'incredulità inventati dagli uomini contengono misteri i quali colle loro conseguenze corrompono la morale. Nella terza, che sola la religione cristiana contiene misteri, i quali invece di offendere, sublimano l'umana ragione. Nella quarta, che sola la religione cristiana contiene misteri, i quali invece di corrompere perfezionano la morale. Vid. Introduz. pag. 6 et seqq.*



tissima non est, ut etiam illud admittat, cujus existentia validissimis argumentis licet *extrinsecis* probata sit? Quid magis igitur rationi conforme, quam divinæ auctoritati manifeste docenti totam se tradere, atque in ea veluti in amantissimæ matris sinu tuto conquirere?

243. Obj. secunda. Posito principio, quod fides rationi adversari nec possit nec debeat, 1<sup>o</sup> jam destruitur vera in *Mysteriis supernaturalismi* ratio (1). Nam sequitur inde, 2<sup>o</sup> rationem debere *singula fidei dogmata* ad suum tribunal arcessere, ut judicet per acrem demonstrationem, num illa in propriis fidei fontibus, verbo nempe Dei scripto et tradito contineantur; secus, pro iis saltem qui hujus inquisitionis incapaces sunt, actus fidei non esset prudens, et in rationem peccaretur (2); 3<sup>o</sup> etiam postquam

(1) Hanc et sequentes objectiones libuit afferre, quia non desunt, præsertim in Germania, sive Catholici sive Protestantes, qui ad alterum extremum rationalismo oppositum deflectunt, et rationis *nihilismum* inducunt, occasionem etiam ad id ex damnatione Hermesii doctrinæ, ut alias adnotavimus, arripientes. Nos vero veritatis ac religionis bonum unice sectantes, quæ vere hic in Hermesio reprehendenda sunt, patefacimus, ut extrema devitentur, ac media illa via, qua tuto incedi potest, elucescat.

(2) Hermesii sectatores mihi forte succensebunt, quod hanc doctrinam præceptori suo tribuam, cum ipse in dogmatica christiano-catholica, part. 1, pag. 21, hæc habeat: *Si Jesus est legatus Dei... verum est omne id, quod tanquam Dei legatus docuit... Nobis tunc opus non est amplius eam doctrinam demonstrare, minus vero eam comprehendere. Si ostensum semel est, Jesum eam docuisse, nos de-*

*bemus illam idcirco uti veram amplecti etique credere.* Opponent etiam plura loca, in quibus Hermesius *Ecclesiæ magisterium* veluti catholicæ fidei tesseram proclamat. Optima hæc quidem; sed cum toto Hermesii systemate quonam pacto coherent? 1<sup>o</sup> Etenim quid est quod Hermesius pro discretione et admissione *singulorum* fidei articulorum, ut fides pia et rationabilis sit, *demonstrationem* acerrimam pro *conditione sine qua non* exigit expresse? Cfr. quæ ex eo superius attulimus ex *Intr. phil.* 2<sup>o</sup> Quare Hermesius, in sua *Methodologia* præmissa *Positivæ Introductioni in Christ. catholicam theologiam*, canones hosce veluti indeclinabiles statuit? *I. Nos debemus valedicere omnibus systematibus tum theologiæ tum religionis, in quantum eundem veluti certe vera noverimus theoretice; id quod possumus exequi, si vivam in animo persuasionem habuerimus, quod nullum, ne quidem ex. gr. catholicismus, aut christiani-*

demonstratum sit, aliquod dogma esse certo revelatum, rationem non posse nec debere illi assentiri, nisi *prius* exploratum habeat, dogma illud principiis suis naturalibus minime in se repugnare (1); 4<sup>o</sup> hinc verum prorsus esset, rationem in negotio fidei *principem*, imo *unicam* normam esse oportere; quæ quidem omnia præcipuum Hermesii systematis vitium constituunt.

*smus generatim, ideo verum sit, quia in eo nati sumus; et quod nos sancte et juste apud conscientiam nostram agemus si nos ad illud (systema religionis) converterimus, quo ratio nostra nos ducet, quia ista est unica norma, quam auctor nostri esse nobis a nativitate impertitus est in hujus vitæ cursu, cum dictamine alte in corde nostro proclamante, eam sequendam esse, ubicumque illa demum nos ducere possit. II. Nos debemus parati esse oraculum rationis sequi, sine ullo respectu ad modum, quo illa se habeat cum doctrinis theologis aut religiosis hactenus retentis... quia secus peccaremus in rationem nostram, et proinde in illum, qui eam nobis dedit, et id quidem in ea re ex qua forte salus nostra pendere deberet in tempore et æternitate, pag. 30, 31. Suntne tales canones catholicis theologis aut theologię catholicę alumnis præscribendi, quasi nempe ex rationali demonstratione instituenda pendentem facere deberent vel perseverantiam fidei in catholicismo, vel ejus repudiationem? III. Quare Hermesius in sua methodologia, præmissa ad 1 part. Dogmaticę suę, præscribit 1<sup>o</sup> Quodvis dogma ut problema spectandum esse. 2<sup>o</sup> Quæritur circa illud, quid habeant theologię fontes. 3<sup>o</sup> Circa sensum cujusque loci*

*instituuntur grammaticę, criticę, philosophicę inquisitiones, etc. Hoc præstito circa locos omnes, debent simul conferri et videre, num sese mutuo fulciant. Ac tunc demum debet interrogari ratio, quid ipsa post hoc omne exigat, ut admittatur tamquam doctrina Jesu. Ista est doctrina unica historice vera. Si ratio non exigat quidquam admittere uti doctrinam Jesu historice veram, tunc doctrina problematicæ ab initio proposita... concidit per se, veluti aliquid de quo revelatio nil decernit, extra theologiam specialem Christ. Catholicam... Postea vero si doctrina Jesu historice certa sit, quæritur de ejus interna veritate... sed eatenus, quatenus aliis certis cognitionibus rationis contradicat nec ne. ibid. pag. 135.*

(1) Hanc etiam doctrinam insinuat Hermesius uti in nota præcedente; et hic duobus locis ex eo depromptis firmamus. 1<sup>o</sup> In III parte *Dogm. christ. cath.* pag. 141, postquam ipse ex omnibus cognoscendi fontibus revelatis existentiam peccati originalis *complete demonstraverit* (sic ipse) ac juxta *positivam doctrinam* christianę catholicę theologię satis probaverit, nondum tamen eam *firmę statutam* esse declarat, quippe nescimus, utrum *demonstrari possit ulla contradictio hujus doctrinæ*



244. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, Si *supernaturalismi*, quem vocant, *Mysteriorum ratio* consisteret *in absurditate, conc.*; si in *incomprehensibilitate* tantum, *neg.* Aliud est *Mysteria incomprehensibilia* esse, aliud *absurda* ac cum ratione manifeste pugnantia. Baylius utique duo hæc confundebat, sed temere omnino. Primum enim proprium ac essenziale *Mysterio* est, quippe rationis fines natura sua prætergreditur; alterum indignum homine *rationali* esset, indignum fide *supernaturali*, indignum Deo *veritatis* fonte, unde dimanat (1).

*cum ratione...* Hanc autem cognitionem eo *magis necessariam* esse, ait, quod plures hanc contradictionem revera inveniant. Hic ergo Hermesio ad prudentem fidem in peccati originalis dogma satis non est, quod constet illud revelatum esse ex Scriptura, ex Traditione et ex magisterio Ecclesiæ; sed *necessarium* prorsus est demonstrare, quod non *adversetur rationi*. 2<sup>o</sup> Alterum luculentius exemplum est in ipsa in parte *Dogmaticæ*, pag. 254. Ubi postquam Hermesius fuse ostenderit, Jesum Christum Deum-hominem esse, hæc habet: *Nunc ergo ex omnibus principiis cognitionis christianæ catholicæ fidei probatum est, in Christo Jesu naturam divinam inter et humanam revera intercedere unionem non moralem sed physicam, ex qua naturæ ambæ in subjectum unum coalescunt, quod est Deus-homo* (et pag. 253). Jam dixerat: *Conceptus iste Jesu Christi nobis datus est a S. Scriptura, a Traditione et a fide expresse declarata ab universali Ecclesia. Ergo nullum est dubium de rectitudine illius juxta conformitatem cum revelatione...* Sed de admissibilitate illius secundum rationem valde decertatum

*est in veteri Ecclesia... Itaque vitari nullo modo potest quæstio, utrum ratio re vera necessario cogatur ad habendam pro impossibili unionem illam naturæ divinæ et humanæ in unico subjecto... Negatio peremptoria hujus quæstionis est conditio fidei nostræ in Jes. Christum ut Deum-hominem, hactenus ex revelatione probatum, ac proinde hæc est irremissibilis exigentia ad fundandam fidem nostram, ac divinam redemptionem.* Patet ergo, prius quam ratio huic exigentiæ, satisfecerit, *fidem fundatam non esse* ex Hermesio; et si ratio revera illi exigentiæ satisfacere nequiret, nunquam fundari fidem in Jes. Christum.

(1) Hinc rejicimus omnino illud *credo quia absurdum est*, quod certe, si est protestans, catholicum non est. En quid auctor germanicus, Frauenstädt, in libro *Die Menschwerdung Gottes*, etc. seu de *Incarnatione Dei juxta suam possibilitatem, realitatem et necessitatem*, Berolini 1839, scribat: *Sed quid juvat iterum solutio (occurrentium difficultatum), si quidem ob contradictionem insolubilem contentam in conceptu incarnationis Dei, incomprehensibilis redditur ipsius possibi-*



245. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* In sensu Hermesii, *conc.*; in sensu vere catholico et orthodoxo, *neg.* Distinguendum porro hac in re inter illos, qui fidem primo amplectuntur, et eos, qui fidem jam susceperunt. Quoad primos, certe exigit ratio, de ordinaria lege, ut aut per inquisitionem sedulam motivorum credibilitatis, aut per sufficientem eorum propositionem certa moraliter fiat de revelationis existentia, deque Ecclesiæ proponentis auctoritate. Sed ubi hoc assecuta sit, ac divinæ gratiæ afflatu revelationi ac proponenti Ecclesiæ fide assentiatur, jam ex Ecclesiæ infallibilis auctoritate debet dogmata, ab eadem nomine Dei revelantis proposita, uti certissima fide divina suscipere, sine *ulla* de singulis *demonstratione*, quamvis e propriis theologiæ fontibus hausta. Secus enim non ob auctoritatem Dei revelantis et Ecclesiæ proponentis crederet, sed ob rationalem demonstrationem, qua se judicem constitueret, utrum quodvis dogma revelatum divinitus sit nec ne; quod esset fidem destruere, ac in Protestantium principium dilabi. Quoad illos vero, qui fidem jam susceperunt eique adhærent, nil vetat, quominus examen, quod vocant *confirmativum* atque *inhæsitivum*, instituant, sive generatim de motivis credendi in revelationem et Ecclesiam, sive de fundamentis cujusque dogmatis in ipso verbo Dei revelato. Hoc quidem præcipue theologi munus est. Sed non ab hoc examine debet aut potest fides cujusquam formaliter pendere; secus iterum in mere *rationalem* fidem recideremus. Hinc patet, quam latam errori viam straverit Hermesius, dum ad prudentem fidei assensum suam illam de singulis dogmatibus demonstrationem postulavit.

246. Ad 3<sup>m</sup>, Iterum *Dist.* Juxta Hermesium, *conc.*; juxta sinceram fidei naturam, *neg.* Eo ipso quod ratio certa sit, Deum esse locutum, ac Ecclesiam divina auctoritate præditam esse ad verbum Dei proponendum, jam illa tenetur verbum illud revelatum fide suscipere; nec alia rationalis inquisitio circa dogma

*litas?... Homini juxta conscientiæ leges cogitanti, quousque illa contradictio non solvatur, nil aliud reliquum est, nisi sibi ingenue fateri dissidium*

*inter fidem et scientiam, inter religionem et philosophiam, et consequenter a credo ut intelligam regredi ad credo quia absurdum est.*

ipsum requiri ulterius potest. Si namque certo jam constet, esse verbum Dei revelatum, hoc ipso certo jam constat, nil haberi quod rationi adversetur posse; secus qui ageret, assensum divinæ revelationi certo cognitæ suspensum ac pendentem faceret ab inquisitione sua mere *rationali*, utrum scilicet natura dogmatis principiis suis rationalibus adversaretur nec ne. Aliud vero est, quod theologus ad dogmata fidei tuenda ac illustranda hoc etiam præstare debeat, ut nil ea habere demonstret, ex quo ulla repugnantia cum rationis principiis possit inferri. Officium theologi et officium credentis Hermesius plane confundit.

247. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Si præmissæ veræ essent, *conc.*; si falsæ, *neg.* Certe positis principiis et canonibus ex Hermesio allatis, sine quibus prudens ac rationalis fides oriri nequiret, consequitur sponte sua, rationem *principem*, immo *unicam normam* esse in fidei negotio. At ea nimis rectæ methodo ac doctrinæ adversantur. Humana enim ratio utique unicum *medium* seu *instrumentum*, est, quo nos uti possumus ad motiva credendi percipienda atque ad ipsas res fidei cognoscendas; sed non eo sensu, ut *judicet* de singulis dogmatibus, atque ex hoc iudicio suam faciat fidem pendentem. Quod si theologus ratione utitur sua ad inquirendum utrum et quomodo dogmata singula fundamentum habeant in verbo Dei scripto vel tradito, non certe *principem normam* fidei suæ rationem constituit, si quidem catholice procedit; sed munus suum dependenter ab Ecclesiæ auctoritate, proxima fidei regula, exequitur, prout in capite inseq. clarius edocebimus.

## PROPOSITIO II.

*Fides non tantum humanæ rationis incrementis non adversatur, sed ea potius mirifice provehit.*

248. Frequens ac solemnitas est altera ab incredulis ac rationalistis in christianam fidem impacta calumnia, ex ea nimirum humanæ rationis evolutionem ac perfectibilitatem præpediri, ejusque vim sub fidei jugo opprimi omnino atque elidi. Nec ab

iis fere discrepant Protestantes, qui quamvis fidem, privato nimirum cujusque judicio innixam, admittant, omnes tamen in Ecclesiam catholicam insurgunt, quod ista, dum fidem ex principio repetit auctoritatis, *obscurantismum*, quem vocant, foveat, scientiarumque omnium progressus retardet. Contra hos omnes hanc statuere propositionem hic operæ pretium erit.

249. Fidem catholicam certe rationis humanæ incrementis non tantum non adversari, sed ea mirum in modum provehere, evidens erit, si ex eadem fide sive *directe* sive *indirecte* scientias omnes optimaque studia, quibus maxime excolitur ac perficitur humana ratio, juvari vehementer ac promoveri probaverimus.

250. Quod ut præstemus ea ratione, quæ lucido simul ordini ac brevitati consulat, latissimum scientiarum campum ad peculiare quaedam classes, sapientum judicio satit probatas, ipsaque rerum diversa natura definitas, revocare juvat. Nam vel ad intellectus speculationem ac theoreticam entium doctrinam scientiæ pertinent, ut logica, psychologia, ontologia, anthropologia, cosmologia, naturalis theologia, etc. ac *rationales* dicuntur; vel humanam operationem ac praxim prope attingunt, uti ethica, politica, jurisprudentia, et *moralium* nomine veniunt; vel demum in physica rerum natura investiganda, ut physica generalis ac particularis, chemia, etc.; aut in quantitate supputanda versantur, uti mathesis ejusque multiplices divisiones, quæ disciplinæ omnes *naturalium* appellationem sortiuntur. Scientiis demum istis ea adjici possunt studia, quæ generali bonarum artium nomine comprehenduntur, quales historia, critica, pictura, sculptura, poësis, aliæque ejusmodi sunt.

251. Jam vero primum *directe* catholicam fidem scientias istas ac bonas artes promoveri luculentissime ostenditur ex eo, quod ad illam sive adstruendam sive constabiliendam omnium fere scientiarum apparatus necessarius existat. Etenim cum prius *præambula* ad fidem, quæ ex dictis supponi debent, in tuto collocanda sint, scilicet Dei existentia, providentia, animorum immortalitas, etc. jam cognitionis humanæ fundamenta, certitudinis ac veritatis criteria, ratiocinandi leges, animi naturam ac proprietates, ontologicas notiones atque principia sedulo inves-



tigare ac persequi opus est; quæ quidem, ac id genus alia, ita scientiarum rationalium usum exposcunt, ut sine illis ulterius progredi frustra contendas. Motiva deinde credibilitatis expendenda ac ita vindicanda, ut fidem evidenter credibilem efficiant. Innumeris pene hinc disquisitionibus historicis, criticis, philosophicis, physicis, physiologicis, etc. aditus patet, quibus vaticinia eorumque adimplementa, multiplicia miracula, media et obstacula tum propagationis tum conservationis fidei, martyrum testimonium ejusque ad probandum vis firmiter constabulantur. Idem continget cum de unice vera Ecclesia a Christo instituta, ejusque immutabili ad mundi usque finem tot inter procellarum fluctus, stabilitate disceptabis; de constitutione præterea, notis dotibusque ejusdem, ut tuto possit a spuria quavis secta secerni; tum de supremo ejus visibili capite; quibus constitutis, ad quemvis posthac peculiarem articulum aut dogma fidei devenias (1).

252. Quid vero cum dogmata singula discutienda et vindicanda, cum disciplinam ab Ecclesia sancitam, leges conditas, errores proscriptos, damnatas theses, quæ integritatem ejus doctrinæ quoquo modo labefactant aut temerant, vel propugnanda vel evertenda suscipias? Exinde polemica, seu ut modo loqui adamant, apologetica theologia exoritur, quæ innumeras fere quæstiones amplectitur agitandas adversus incredulos, hæreticos, catholicosque neotericos, ad sartam tectamque fidem catholicamque doctrinam adserendam ac protuendam. Quum vero fidei hostes omnibus disciplinis abutantur, abstrusa quæque rimentur, monumenta conquirant, facta aut historias corrumpant, nulli parcant fraudi atque molimini, quo Ecclesiam a pacifica sua possessione deturbent, necessitas Catholicis oritur, quo veritas integra et incorrupta maneat, omnium prorsus disciplinarum subsidium in rem suam derivandi.

(1) Quæ hic vix attigimus ad ostendendum veluti in germine, quomodo fides faveat progressibus ipsis rationis, ac quam propterea apte illi consonet,

latius in capite insequente, ubi de rationis officiis *post fidem* agemus, erunt evolvenda.

253. Ad hæc accedit, plures ab Ecclesia catholica articulos tradi, qui ad bonas artes provehendas mirifice conferunt, cujusmodi sunt quæ cultum externum aliaque id genus attingunt; quibus factum est, ut pictura, architectura, statuaria semper fuerint excultæ, summosque viros quovis tempore extulerint de æsthetica optime meritos (1). Quid de linguarum orientalium studio dicam, quarum pleraque monumenta in Ecclesia catholica conservata sunt, quibusque impensam semper viri insignes dederunt operam (2)? Eodem prorsus modo dicendum est de archæologia sacra et profana, de palæographia, numismatica, epigraphia, etc. quæ in gratiam et commodum christianæ et catholicæ fidei, quavis ætate altæ sunt et incrementum ingens acceperunt (3). Idem in primis adstrui de geographia necesse est, quæ nempe ex *missionariorum* nostrorum excursionibus superiore ætate maxime innotuit (4).

254. Et hæc quidem *directe*; verum haud minori efficacia scientiarum progressum fides *indirecte* promovit ac promovet. Cum enim catholica fides veluti commune centrum sit, in quod ethnicorum et infidelium, judæorum, hæreticorum, schisma-

(1) Hoc inter cetera ostendunt præstantissima opera clarissimorum virorum Joan. Winckelmann, Joan. Bapt. Aloysii Georgii Seroux d'Agincourt, et Leopoldi Cicognara, qui picturæ et sculpturæ historiam a suis initiis usque ad ætatem nostram perduxerunt monumentisque omnigenis illustrarunt; pleraque porro hæc monumenta ad rem christianam spectant. Idem dic de historia picturæ Cl. Aloysii Lanzi S. J. quæ pariter patet, quantum contulerit Ecclesia catholica ad ejus progressus et augmentum.

(2) Certe monumenta linguæ copticæ, linguæ syriacæ, chaldaicæ, etc. quæ supersunt, ac proinde illarum studium et cultura aut unice, aut magna

saltem ex parte catholicæ fidei in acceptis referenda sunt; polyglottæ biblicæ ex missalibus, euchologiis aliisque liturgicis libris, quoad has linguas, sunt confectæ non minima ex parte. Semper has linguas excoluerunt Catholici in missionum gratiam, quas apud illas gentes susceperunt.

(3) Immortalia semper erunt opera Bosii, Aringhii, Boldetti, Lupi, Marangoni, Muratori, Zaccariæ, Morcelli aliorumque magno numero, quæ frustra apud Protestantes quæras.

(4) Cfr. Card. Zurla, in *Dissertaz. dei vantaggi dalla cattolica Religione derivati alla geografia e scienze annesse*, Roma 1822.



ticorum, impiorumque omnium tela perpetuo diriguntur, fit ut ejus defensores ad tot ictus elidendos ac infringendos non possint, quin in omnigenas scientias ac disciplinas animum solerter intendant. Primis disjectis difficultatibus, novæ identidem succedunt, quas aliæ iterum et aliæ continenter excipiunt; inde actio illa jugis exurgit et reactio, quibus perpetua præbetur culturæ scientiarum omnigenarum alimonia. Quemadmodum vero scientiæ ulterius semper progrediuntur, unde novas adversarii indesinenter difficultates urgent adversus catholicam fidem, sic novi pariter exinde excitantur in Catholicis progressus ad eas dissolvendas.

255. Ex his luculenter liquet, catholicam fidem esse, si hac uti comparatione fas est, ad instar electricæ machinæ, quæ scientiæ veluti fluidum excitat ubique communicatque, ac vivus proinde semper et ardens sacer, ut ita dicam, ignis, illius ope servatur et alitur. Fide autem sublata, magnum saltem incitamentum scientiis deesset. Quo fit, ut divina providentia ex mala ipsa errorum progenie, qua suam perturbari et concuti Ecclesiam sinit, hoc inter alia bonum eruere nunquam destiterit.

256. Sed alio generaliori argumento confirmatur nostra thesis. Quem enim catholica Fides habet auctorem nisi Deum ipsum, nimirum scientiæ fontem ac largitorem uberrimum, qui *scientiarum Dominus* voluit appellari (1); qui cum inexplebilem veri assequendi cupiditatem homini ingesserit, tum illum in sacris Litteris ad scientiam ac sapientiam sibi omni labore ac studio comparandam continenter excitat (2); qui a Sacerdotibus suis, ut scientiam custodiant et cum aliis diligenter communicent, requirit? Quid arctius igitur cum scientia quam vera fides, catholica nempe, copulatum est? Quod firmitus dari potest vinculum ad scientias omnes in unum veluti corpus colligandas, easque incorruptas servandas, quam vera fides? Hinc ubicumque fidei hujus splendor effulsit, statim animi ad omnem vitæ cultum, ad politiores artes atque optimas quasque disciplinas

(1) Lib. I. Reg. II, 3.

(2) Eccli. I, 1; Prov. II, 6; XIII, 23, atque alibi sæpe.



excitati. Hinc Romani Pontifices, ipsius fidei custodes ac vindices, nil unquam habuerunt antiquius, quam una cum fidei amore studia litterarum scientiarumque ubique fovere, vetera illarum monumenta studiose colligere ac inter tot temporum clades servare, sedemque suam non modo Religionis centrum, sed etiam bonarum artium ac disciplinarum veluti domicilium efficere (1).

257. Magnum vero hic ad rem firmandam robur accederet ex tabula comparativa progressuum, quos in disciplinarum studiis humana fecit societas ante et post christianæ fidei ortum; scientiarum iterum status illis in regionibus, in quibus viguit olim

(1) Quis porro posset tot tantaque Roman. Pontificum in optima quæque studia et artes promerita percensere? Satis hic esset commemorare, celebriores atque illustriores Europæ universitates nonnisi ex sententia, favore et assensu Roman. Pontificum fuisse constitutas. Si quis aliquod hujus rei specimen desiderat, conferat orationem inauguralem habitam die 4 Nov. ann. 1834, in universitate catholica Lovaniensi tunc iterum instaurata, ubi plura diligenter collecta inveniet, *Annali delle scienze religiose*, vol. 1, n. 1; Conringium, *De antiquit. academicis*, dissert. 7, Gotting. 1739; Georgium Hagelgans, *Orbis litteratus academicus*, Francof. ad Mænum 1737; Christoph. Meiners, *Geschichte der Entstehung*, etc., seu *Historia erectionis et progressus scholarum altiorum*, etc. Gotting 1802-5; quamvis acatholici merita Rom. Pontificum in litterariam rem universam minime inficiantur. Quod si Romæ tantum sistamus, incensi hujus Pontificum studii testes locupletissimi sunt amplissimæ bibliothecæ erectæ, Vaticana præ-

sertim, (Cfr. Morcelli *Inscription. Commentar. subject.* Romæ 1783, cap. 8; item *Fasti Orbis christiani*); academix institutæ ad omnigena studia promovenda (cfr. Renazzi, *Storia dell' università degli studj di Roma*, Roma 1803-1806); monumenta per eos detecta et erecta in urbe, de quibus late agit Georg. Zoega (in op. *De origine et usu obeliscor.* Romæ 1797); Musæa demum, ut cætera præteream, Pio-clementinum, Pianum, ac denique Gregorianum, quod nempe immortalis Gregorius XVI in ædibus vaticanis instruxit, undique comparatis Ægyptiorum Etruscorumque monumentis ad publicam utilitatem. Quid vero dicendum esset de tabulis egregie pictis, nummis omnis generis, aliisque innumeris ab iisdem Pontificibus summo studio collectis, ad urbis ipsius et religionis ornamentum? Hæc omnia aliaque ejusmodi innumera Pontificum præclare gesta in quavis ætate erga scientias atque artes litteratosque viros pluribus certe voluminibus exarandis uberrimam segetem suppeditarent.

christiana fides, postea vero extincta est, aut ad quas nondum illa pervenit. Tametsi enim in cultioribus mundi antiqui regionibus plura floruerint ingenia præstantissima, Athenis præsertim ac Romæ, æquis non videt, quam exigui fuerint scientiarum progressus in ethnicismo, si cum illis conferantur, quos tulit posterior ætas? Vix crepuscula cernas fulgentissimæ illius lucis, quæ undique deinceps se diffudit, ac in omni pene scientia emicuit. Si compares florentissimas quondam Asiæ et Africæ provincias cum barbarie, in quam post Islamismum, hæresim aut schisma dilapsæ sunt, vix eas hac in parte agnosces. Imperium Sinense fixum ac hærens in infantia sua post tot secula perstitit; Indicæ regiones adhuc in fabularum suarum veluti incunabulis detinentur.

258. Jure igitur concludas oportet, tantum abesse ut fides catholica humanæ rationis cultui ac incrementis officiat, ut ea mire prorsus juvet provehatque (1).

#### DIFFICULTATES.

259. Obj. prima. Fides seu principium auctoritatis hostis naturalis est omnis scientiæ et cujusvis progressus. Nam 1<sup>o</sup> superstitionem gignit, ignorantia matrem, et quin hominis acuat

(1) Dum hæc cursim pro instituto nostro persequimur, gratulandum sane est, quod ætate hac nostra ardens in plurimorum Catholicorum animis studium fervescat conjunctionem scientiarum omnium cum vera Christi religione alacrius in dies promovendi. In quo colaudandam præcipue se offert noviter instaurata universitas Lovaniensis in Belgio, quæ huic sublimi scopo adeo naviter docteque adlaborat. Præclaro etiam commendamus in id ipsum conatus, quos exerit, variis erectis institutis, editisque operibus Gallia; in qua satis sit periodicum opus memorare *L'Université catholique*, quod veluti mona-

mentum est scientiarum omnium religionis honori dicatum. Haud parum etiam in eundem finem contulit egregium opus anglie conscriptam, sed gallice ac italice translatum, et nunc iterum Mediolani et Neapoli recusum, Cl. Episcopi Wiseman: *Conferenze sopra la connessione delle scienze con la religione rivelata*, omnigena sane eruditione refertum. Hæc quidem aliaque hujusmodi multa faustissima omina sunt perfectæ illius concordia fides inter ac scientiam, quam boni omnes exoptant, quamque nos pro virili et provehere conati sumus, atque adeo conabimur.

ingenium, illud auctoritati subdit, quæ limites signat, quos prætergredi nefas sit. 2<sup>o</sup> Auctoritas, suspiciosa semper ac pavens, ubique sibi videtur molitiones videre sive apertas sive occultas in fidei doctrinam. 3<sup>o</sup> Exinde illæ ortæ fuere insectationes in summos viros qui primi ausi sunt, trito itinere relicto, se extollere ad inventiones illas, quæ immensum scientiis incrementum pepererunt. 4<sup>o</sup> Exinde pariter prodiit librorum prohibitorum *Index*, quo summi pretii opera interdicta sunt haud exigua scientiarum jactura. 5<sup>o</sup> Clamat adhuc carcer Galilæi adversus injustam romanæ inquisitionis vexationem. Ergo.

260. Resp. *Neg. ant.* Ad 1<sup>m</sup>, prob. *Neg.* Siquidem principium auctoritatis solum intendit ad proponenda omni cum certitudine objecta fidei, nec quid habet per se commune sive cum incremento sive cum decremento scientiarum, quas auctoritas non attingit, nisi fidei revera adversentur. Absurdum porro est asserere, ex eo superstitionem gigni, aut impediri quominus se hominum exerceant ingenia, quod omnem tollit a nobis animi fluctuationem circa ea, quæ Deus revelavit, quodque naturales ipsas veritates, etsi aliunde rationis captui pervias, perspicuas omnibus certissimasque reddit. Hæc difficultas ex nativo enascitur Protestantismi principio de *subjectivismo* fidei, juxta quod homo ex proprio veluti fundo fidei articulos efformat; quo fit ut homo revera non quod Deus revelavit credat, sed quod persuadet sibi eum revelasse. Hinc quemadmodum in naturalibus scientiis, ita et in iis quæ fidei dogmata spectant, perfectibilitatem dari, Protestantes facile somniant; quo nihil absurdius. Cum igitur vera fides necessario ac natura sua objectiva sit, principium auctoritatis, quod catholica profitetur Ecclesia, limites figit petulantibus ac lascivientibus ingeniis, ne sibi jus arrogent temerandi aut reformandi opus Dei, quidpiam detrahendo aut adjiciendo, aut etiam aliter intelligendo veritates, quas Deus per Ecclesiam hominibus credendas proponit.

261. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Ad eum modum, quo optima mater suspiciosa ac timida est pro sollicitudine, quam gerit erga proprios filios, ne perniciem sibi consciscant, *conc.*; alio sensu, *neg.* Nihil sibi aut fidei a se prædicatæ timet Ecclesia, quæ tuta est pro-



missionibus æterni Dei conditoris sui; ast valde timet ac sollicita est pro salute filiorum suorum. Quamdiu isti dociles sunt, ac se manu veluti duci patiuntur, nihil suspicatur, nihil de ipsis pertimescit Ecclesia; cum fræni impatientes sibi sufficere præsumunt, et vanæ gloriæ cupidine scientia in propriam perniciem abutuntur, timet de ipsis Ecclesia, non secus ac de aliis, quibus propinari error facile posset.

262. Ad 3<sup>m</sup>, *Neg.* Nunquam enim Ecclesia quempiam insectata est, qui intra debitos scientiæ fines se continuerit. Quod si quis eos fines transilierit, et aliqua ratione fidem attigerit, Ecclesia jure suo usa est ad insanos conatus colibendos, quemadmodum civilis respublica in eos animadvertit, qui fundamenta ac basim constitutionis suæ concutere nituntur. Certe ea scientia, quæ divinæ fidei veritates quoquomodo lædit, rectæ rationi ipsi infensa maxime atque exitiosa est, nec proinde scientiæ quidem nomine appellanda.

263. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Ne mala ac depravata doctrina incauti ac simplices decipiantur, *conc.*; alia de causa, *neg.* Itaque animadvertimus, 1<sup>o</sup> apostolicam Sedem in conficiendo vulgandoque librorum prohibitorum Indice rationem habere periculi, quod imminet eos libros legentibus tum circa fidem tum circa mores (1); 2<sup>o</sup> hæud difficilem se præbere Indicis congregationem aut sanctam Sedem in concedenda facultate retinendi legendique libros prohibitos, dummodo ipsa certior fiat ex testimonio Ordinariorum, quod alicui noxia esse nequeat illorum lectio, imo utilis esse possit; 3<sup>o</sup> nonnullos libros prudentis œconomix gratia in Indicem referri, qua causa peculiari cessante, non abnuit apostolica Sedes eos dein ab Indice expungere (2), præsertim si cum

(1) Plerique enim libri, qui in Indice referuntur, ipsa naturæ lege prohibiti sunt, cujusmodi præsertim sunt, qui ex professo contra fidem ac bonos mores vulgantur. Ecclesia propterea circa hos libros non aliud efficit, quam declarare, qui ejusmodi sint, adjectis etiam pœnis in transgressores. Cfr. egregium

opus ab. Zaccariæ de hoc argumento.

(2) Exemplo sint inter cetera, opera Joan. Pici Mirandulani, quæ sub Innocentio VIII censuris notata sunt, postea vero per congregationem ad hoc expresse institutam ab Alexandro VI, die 18 Jun. 1493, fuerunt absoluta, et hoc antequam index prohibitorum ex

clausula *donec corrigatur* prohibitus aliquis liber sit, et correctiones a sac. Congregatione recognitæ et probatæ fuerint; 4<sup>o</sup> non ad arbitrium libros in Indicem referri, sed juxta prudentissimas regulas a Rom. Pontificibus præscriptas ac post diligens examen multiplicesque consultationes (1). Quæ cum ita se habeant, liquet, nullum omnino detrimentum ex ejusmodi Indice scientiis provenire, earumque progressui.

264. Ad 5<sup>m</sup>, *Dist.* Si Galilæi causa ea esset quæ ab adversariis confingitur, *conc.*; si omnino diversa, *neg.* Jam vero Galilæus duplici, cui obnoxius fuit examine, humanissime fuit exceptus; ejus doctrina circa motum telluris uti hypothesis nunquam damnata fuit, sed tantum ut thesis, quam ipse nimis pugnaciter adstruebat. Quod vero ita se gesserit sac. Inquisitionis tribunal id causæ fuit, quia, re nondum satis eliquata, in diversas sententias docti illius ætatis philosophi abierant, ex iisque nonnulli deprehendere sibi videbantur in Galilæi sententia aliquid, quod sacræ Scripturæ adversaretur. In ejusmodi propterea rerum statu prudenter se gessit Romana Inquisitio, dum prohibuit Galilæi opera, donec res melius innotesceret, eidemque indixit silentium, ad præcavendas turbas, quæ ex ejus occasione oriri facile potuissent (2). Qui ultra corticem non figit obtutus, Inquisitionis

decreto Trident. fuerit vulgatus; liber pariter M. Mariæ d'Agreda in indicem relatus fuit, deinde expunctus; controversia V. Bellarmini, *De potestate Rom. Pontificis temporali*, jussu Sixti V in indicem prius relata, postea vero illo defuncto Pontifice exinde sublata est; sic famosæ quæstiones circa christiana officia Stephani Fagundez interdictæ sunt, quæ deinde decreto speciali, dato 18 Aprilis an. 1630, liberæ a prohibitione declaratæ sunt; liber item V. P. Segneri, *De concordia inter laborem et quietem*, ad tempus prohibitus est, deinde decreto Congr. s. Inquisitionis revocata est prohibitio, ut con-

stat ex ejus vita conscripta a P. Jos. Maffejo, § 49.

(1) Id aperte liquet ex constitutione Benedicti XIV, quæ præmitti solet in dicitur librorum prohibitorum, qua sola impudentes calumniæ dissolvuntur, quibus Petrus Tamburinius insurgit in eum Indicem, hoc ipso quod omnia aut fere omnia ejus opera in indicem fuerint relata.

(2) Cfr. Tiraboschi S. J. *Storia della letteratura italiana*, dall'anno mdc all'anno mdcc, lib. II, cap. 2, § 7 et seqq. nec non Gio. Battista Venturi, *Memorie e lettere inedite finora o disperse di Galileo Galilei*, Modena 1818-



hoc in negotio agendi rationem carpit; ast qui penitius rem expendit, eam potius commendat. Ad rectum certe ferendum iudicium non ætatem illam ad nos, sed nos ad ætatem illam transferre necesse est. Ceterum opera Galilæi perinde ac Copernici ex nova Indicis editione expuncta sunt.

265. Obj. secunda. In magno versantur errore, qui scientiarum progressum catholicæ fidei acceptum referunt. Etenim 1<sup>o</sup> compertum ex historia est, sub ævum reformationis vehementiorem impulsam scientias ac bonas artes omnes accepisse; notum præterea est, apud Protestantes eas maxime fuisse exultas, nec solum sacrarum, sed et profanarum disciplinarum humaniorumque litterarum studia profecisse. Nemo, qui plane hospes in historia litteraria non sit, ignorat, linguarum orientalium, græcæ vero potissimum, cognitionem exinde auctam; grammaticæ institutiones, lexica linguæ sanctæ ceterarumque affinium a Protestantibus magna saltem ex parte repetenda; exegesis biblica, critica, historia, philologia universa item incrementum maximum ab iisdem nacta sunt. Metaphysica vero studia, psychologica, ethica, scientiam juris naturalis et gentium, aliaque omnia tali successu Protestantes excoluerunt, ut, si qui catholici plenam earum ac penitiorum notitiam sibi comparare volunt, ad illos confugiant oportet. 2<sup>o</sup> Si propterea ratio habeatur varii scientiarum bonarumque artium status tum ante tum post reformationem, negari haud potest, ita alterum ad alterum se habere, uti ad virilem ætatem se habet infantia. 3<sup>o</sup> Id autem quonam modo factum est, nisi ex ipsius reformationis indole, quippe quæ cum plenam ab auctoritate libertatem seu emancipationem proclamaverit, jam nullis irretitur vinculis humana ratio, ita ut novis, semper ac novis tentandis ac detegendis par sit? Sane Protestantes in omnibus semper præeunt ac viam veluti sternunt, quos deinceps Catholici lento gressu sequuntur. Ergo.

266. Resp. *Dist. ant.* Si fides adjungatur iis, quæ de se

1821, duob. volum. in 4, ubi magno studio et diligentia collecta inveniuntur quæ ad Galilæum spectant; ex his porro

diluuntur, quæ amplificata sunt ab incredulis passim circa processum Galilæi ex parte romanæ Inquisitionis.



plerique protestantes identidem jactare solent, *conc.*; si res, prout sunt, sedulo disquirantur, *neg.*

267. Ad 1<sup>m</sup>, prop. *Neg.* Immo vero compertum est, longe ante Lutheri ceterorumque ætatis illius sectariorum perduellionem, ubique locorum in Europa, in Italia vero præsertim, græcam latinamque litteraturam præter vernaculam, ac bonas universim artes perfectionis apicem attigisse (1); Gallias Hispaniasque summis florentes viris seculi XVI initio perinde ac Germaniam exitisse, ut de regionibus reliquis taceamus (2).

(1) Ecquis ignorat, seculum Leonis X comparari seculo Augusti? Si sculpturam spectes, tibi sese sistit Buonarrotti; si architecturam, Bramante; si picturam, Raphael Sanzio Urbinas, Julius Romanus, etc; si græcam linguam, tibi occurrunt Angelus Politianus, Sadoletus, *atticus* ab Erasmo nuncupatus, Guidiccionus aliique magno numero; de lingua latina nihil attinet dicere, cum Sadoletus, Bembus, Joan. Ant. Flaminius, Hier. Fracastorus, Sannazarus, Vida, Castilioneus, Altilius, Fascitellius, Cotta, etc. monumenta post se reliquerint ære perenniora. Floruit ætas illa poëtis græcis, latinis, italicis, oratoribus, historicis summis. Satis erit percurrere vel leviter tres partes voluminis VII, edit. Rom. historiæ litterariæ Italiæ cl. Tiraboschi, et historiam universæ litteraturæ cl. Andres, lib. 1, cap. 13, ut quisque intelligat, quo pervenissent scientiæ ac litteratura omni-gena seculo XVI ineunte. Attamen barbarus Lutherus ausus est exprobare Romæ, quod nesciret *latine!* Ac hæretici teutonici illius sectatores impudenter id ipsum ingeminare non erubuerunt! Apposite Branca, op. cit. *De sacr. libr. latinæ vulgatæ editionis,*

tom. 1, lib. 1, cap. 1, pag. 33: *Quasi vero, inquit, Itali præsertim nostri eo seculo, quod nobis seculum omnium elegantiarum non etruscarum modo sed latinarum quoque et græcarum fuit, ope indigerent Getæ alicujus aut Davi, ut perpolirentur, ac barbari esse tum primum dedicerent; aut, si qua ceteris linguarum scientia fuit, non illi ejus studium sensumque extulerint e Catholicis, potissimeque ex Italia ejusmodi artium altrice, librorumque de iis excusorum parente prima.* Cfr. Card. Quirinus, epist. ad Samuellem Formejum an. 1748, dec. 6; alia ad eumd. 1749, dec. 7; epist. ad Jo. Rodolphum Isselium an. 1750. dec. 7, etc. Paulus Colomesius, *Italia orientalis*, pag. 62, 77, 95, 104, 113.

(2) Cfr. Andres, op. cit. *Dell' origine, progressi e stato attuale di ogni letteratura*, tom. 1, lib. 1, cap. 12 et 13. Ipse Bühle, in sua *Historia philosophiæ*, quamvis, ut protestans Kantianisque placitis haud parum addictus, reformationis influxum in scientias exaggeret, tamen agnoscit causas instaurationis scientiarum reformationem præcessisse: *Les lumières, dont la renaissance de la littérature et de*

Notum est, philosophiam, jurisprudentiam, scientias naturales magna per id tempus animorum contentione fuisse excultas (1); notum denique, omnia scientiarum semina jamdiu præjecta felici tunc exitu evolvi cœpisse ex universali propemodum regionum omnium commercio, novique orbis detectione ac inventione typographicæ artis (2), priusquam Lutherus cum suis ad pacem Europæ perturbandam in medium prodiret. Sive igitur erupisset Protestantismus sive non, impulsio data jam fuerat, et scientiæ universæ eodem omnino modo progressæ fuissent, ac reipsa fecerunt. Protestantismus propterea, ad scientias ac bonas artes quod attinet, elementum est plane *heterogeneum*. Ad summum Protestantismi origo thesim nostram mirifice confirmat, fidem nempe catholicam tum *directe* tum *indirecte* scientiarum pro-  
 vexisse progressus et incrementa. Dum enim Protestantès veram Christi Ecclesiam turpiter deserentes acriter in eam insurrexerunt, excitarunt Catholicos ad avitæ fidei, quæ in omnibus fere articulis impugnabatur, defensionem suscipiendam. Omnis quippe actio provocat, uti animadvertimus, reactionem; ac milites, dum arma exercent, validiores evadunt.

268. Ceterum ad grammaticas institutiones, lexica, aliaque id genus quod attinet, quamvis hanc adversariis gloriolam libe-

*la philosophie anciennes avait allumé le flambeau en Italie, répandirent aussi leur influence bienfaisante dans les contrées voisines, spécialement en Allemagne, vers la fin du quinzième siècle et au commencement du seizième.* Ita ipse incipit sect. 2, cap. 1, ex versione gallica Jourdan; remque ibidem evolvit, licet acatholicis præjudiciis ubique affectum se prodat.

(1) Per id tempus ubique fere florētissimæ Universitates studiorum institutæ fuerant; celebres inter ceteras erant Parisiensis, Lovaniensis, Bononiensis, Patavina. Germania imitata

fuerat Italiam, et ibidem erectæ demum universitates, Tubingensis an. 1477, Moguntina an. 1482, Wittembergensis an. 1502, Francofurti ad Odderam an. 1506, in quibus recensitæ disciplinæ tradebantur. Cfr. Audin, *Vie de Luther*, éd. cit. préface, pag. 28, in quo egregio opere multa quidem alia invenies ad id, quod contendimus, comprobandum.

(2) Nam et hæc inventio Catholicorum est, ac primum opus typis excusum fuit Scriptura sacra an. 1450. Cfr. Tiraboschi, *Storia della letteratura italiana*, tom. VI, lib. I, §§ 27, 28.



raliter concederemus (1), inde tantum sequeretur, Protestantes in materialibus ejusmodi lucubrationibus id nobis præstare officii, quod Tyrri Salomoni in templi ædificatione præstiterunt, lapides nimirum ac ligna cædunt, et utilia nobis ad pugnam cum ipsis arma suppeditant.

(1) Dixi : *Quamvis id adversariis concederemus*; nam neque hoc ipsis facile damus; siquidem quovis tempore linguæ istæ fuerunt excultæ, pluresque semper magna cum laude in eis excelluerunt; cujus rei assertorem damus hominem ex lutherana familia, Petrum nempe Albinum. Is, posteaquam trans Alpes penetrasse ex Italia græcas litteras et hebraicas quoque memorasset, ita pergit : *Neque in Italia studium id refrixit, ubi floruerunt Joannes Picus Mirandulæ princeps, Dathyli Hebræi, qui Taurini vixit, discipulus, et hujus obtrektor Mithridates Romanus, Ægydius Viterbiensis, et hujus etiam discipulus Hieronymus Seripandus, Patricius Neapolitanus, Hieronymus Alexander et Fridericus Fulgosus, duo Romane Sedis senatores Archiepiscopi, Augustinus Justinianus Genuensis ex dominicano monacho Nebiensis Episcopus, ex cujus Bibliis Octoplis Psalterium totidem linguarum absolutissimum est, Augustinus Steuchus Eugubinus Cisanensis Episcopus, Sanctes Pagnini Lucensis, Petrus Galatinus Minorita, qui Capnionem adversus complicem Hochstratianos defendit, et qui hos antecesserunt, Raymundus Martinus, Gotalanus et Porchettus auctores Victoriarum et Pugionis. Quibus omnibus Marcellus II et Pau-*

*lus III Pontifices Romani, una cum Ptolemæis Senensibus nobilibus, Lactantio patre, Lælio et Æmilio filiis linguarum omnium peritia insignibus accensendi (Petri Albini Nivemontii Commentatio de linguis peregrinis, pag. 10 et seq. edita primum an. 1542, apud Branca, op. cit. pag. 37, 38). Quipostea accedens ad suæ sectæ Germanos enumerandos, tres tantum commemorat, dicens : Quemadmodum et sua laus debetur Pellicano, Munstero, Fagio (ibid. pag. 12); ex quibus duo saltem priores, quidquid linguæ valebant, secum ex Catholicorum societate detulerant, prout plures alii id ipsum fecerant, uti Melanchthon, Reuchlinus, Huttenius. Recensitis innumeri prope alii adjici possent. Verum ne res nimium protrahatur, remitto auditores ad P. Cherubinum a S. Joseph, qui in Apparatu biblico, toties cit. tom. 1. diss. prælim. sect. 4, quæ inscribitur : Collatio hæreticorum cum Catholicis in Scripturæ peritia, ubi duplicem indicem texuit Catholicorum, qui ante Lutherum, ac ætate Lutheri in linguæ præsertim hebraicæ et græcæ peritia floruerunt; quos si pervolverint novatores, haberent unde erubescerent. Omitto polyglottam adornatam sub Card. Ximénio ante reformationem; decreta Clementis V, qui aliorum doctorum, qui antecesserant, exemplo, in œcum. Conc.*



269. Exegesis porro, critica ac philologia, licet eas ipsi erudite adornarint, sunt, uti jam superius dum de Sac. Scriptura agebamus adnotavimus, veluti totidem cadavera spiritu et vita destituta; et dum Protestantes illis indefesso labore incumbunt, nobis alimentum, quod sacræ Scripturæ præbent, quo salubriter nutriamur, relinquunt (1).

270. In metaphysicas, psychologicas, anthropologicas disciplinas plurimum certe præsertim recentiori ætate incubuerunt Protestantes; nec *indirectas*, quas illarum progressui afferre utilitates potuerunt, inficiari volumus. Sed si solida utilitas scientiarum ex veritatibus aut noviter detectis aut firmius probatis aut aptius illustratis pensanda est, quid de philosophicis eorum conatibus dicendum erit, cum eos videmus nunc ad scepticismum ac idealismum, modo ad empirismum ac materialismum, tum ad pantheismum atque autotheismum toto pondere dilapsos? Difficile admodum est, philosophum protestantem ita rationem suam moderari, ut tandem ad positivam Dei revelationem oppugnandam non feratur.

271. Si quam item sibi Protestantes laudem in jure naturæ aut gentium excolendo compararunt, non minorem sibi jure tribuere possunt Catholici, qui illis etiam hac in parte præiverunt, candide fatentibus Protestantibus ipsis (2); sed qui præ-

Viennensi seculi xiv initio studii linguarum approbationem addidit, et confirmavit quidquid de his peractum erat in Ecclesia; imo lib. vi *Constitutionum*, quæ deinde *Clementinæ* dictæ sunt, tit. 1, *De Magistris*, hoc studium præcepit; omitto, quod Leo X pro studio linguæ arabicæ et hebraicæ præstitit, quæ constituit Greg. XIII, Paulus V, Clemens XI, etc. Cfr. Branca, op. et loc. cit. Audin, *Histoire de la vie de Luther*, chap. 16. Plura etiam hanc in rem reperies in op. *Specimen variorum litteraturæ, quæ in urbe Brixia ejusque ditone paulo post typographicæ*

*incunabula florebat*, Brixia 1739; et in *Decade III, epistolar.* Card. Angeli Mariæ Quirini, Brixia 1744; vid. etiam Fabriey, op. cit. *Des titres primitifs*, tom. II, pag. 151 et seqq.

(1) Recol. quæ scripsimus part. II, sect. I, cap. III, art. 2.

(2) En quomodo inter ceteros loquatur de Grotio Ioan. Jac. Schmausius, in *Historia juris naturæ*, quam exhibet, lib. I, *Novi systemat.* sui ejusdem *juris*, § 21: *Alterum de Hugone Grotio præjudicium in eo situm est, quod is jus naturæ novum tradiderit, atque a scholasticorum gryllis purgaverit,*

terea caverunt se ab erroribus illis sane gravissimis, in quos jurisperiti protestantes identidem inciderunt ac incidunt (1).

272. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Ita tamen ut Protestantismo ejusmodi progressus nullo modo tribui possit, *conc.*; ut debeat aut possit illi tribui, *neg.* Si enim, uti vidimus, germina omnia profectus ejusmodi jam erant præjecta, si elementa ejus omnia jamdiu existebant ante Protestantismi ortum, si adjuncta quæque rerum eidem favebant, si validissima demum impulsio data ubique jam fuerat, evidenter patet, eam ingeniorum evolutionem sponte ac necessario omnino contigisse, planeque a Protestantismo fuisse independentem.

273. Ad 3<sup>m</sup>, *Neg.* Potius enim Protestantismus ex nativa indole sua iisdem incrementis maxime obfuit, utpote qui rationis *nihilismum* ab initio proclamaverit, ut sæpius adnotavimus, et absolutum fuerit contemptum professus omnis humanæ philosophiæ (2). Quod si postea, secus ac prima ejus ferret insti-

*adeoque ut hujus disciplinæ reformatior et restaurator habendus sit; quum potius quidquid de jure naturæ profert, nihil aliud sit, quam vetus scholasticorum doctrina.* Recensitis deinde præcipuis hac de re Grotianæ doctrinæ capitibus, concludit: *Hæc omnia in fusioribus excerptis, quæ ex veteribus recentioribusque scholasticis supra tradidimus, reperiri possunt.* Apud Joan. Franc. Finetti. S. J. *De principis juris naturæ et gentium*, Venet. 1765, tom. 1, lib. 1, cap. 5.

(1) Cfr. Finetti, op. et lib. cit. cap. 3, quod inscribitur *Vana est Protestantium jactatio de instaurata illustrataque et ad perfectionem perducta a se juris naturalis doctrina.* Vid. etiam capp. insequentia. Sane ex Protestantium doctrinis manavit ea juris naturæ, hominisque officiorum tractatio, ac si tota hominis destinatio hujus vitæ

limitibus esset conclusa, atque ab omni immortalitate animi præsciudare deberet, id quod præsertim Puffendorffio soleme fuit, nimios in hoc sectatores nacto. Item absoluta rationis practicæ *autonomia*, Deo omnino seposito, rejectio *legis æternæ* in Deo, immutabilitas juris naturalis sublata, *officiorum specialium* erga Deum negatio, ac tot alii errores in singularibus juris naturæ præceptis, nonne eodem ex fonte fluxerunt?

(2) Lutherus sane omnis philosophiæ se hostem, ut vidimus, professus est. En quid de ipso scribat Erasmus: *Nonne Lutherus scripsit, omnem disciplinam practicam quam speculativam esse damnatam? Omnes scientias speculativas esse peccata et errores? Nonne Melancthon aliquando damnavit scholas publicas, etc.?* Epist. 59, lib. 31, ap. Audin op. cit. pag. 196. Qui iterum, Epist. 1006, ad Bilibaldum Pirck-

tutio, philosophiam ac disciplinas reliquas excolendas suscepit, id ex eo factum est, quia ad exemplum Lutheri et Calvinii, qui se extulerant, adversus Ecclesiæ auctoritatem, Protestantes sequiores injustum excusserunt patriarcharum suorum jugum, et per quamdam reactionem ita se ab omni emanciparunt auctoritate, ut rationem normam principem, imo unicam, constituerint agendorum et credendorum (1), ac demum plerique eorum in omnem impietatem dilapsi sint, uti tota rationalismi historia patefacit. Hæc nos dolentes, non animo Protestantes insectandi, dicimus

heimerum, sic de lutheranismo scribit: *Ubi ubique regnat lutheranismus, ibi litterarum est interitus. Et tamen hoc genus hominum maxime literis alitur. Duo tantum quærent, censum et uxorem. Cetera præstat illis Evangelium, hoc est, potestatem vivendi, ut volunt.* Opp. edit. Lugd. Batav. 1703, tom. III, part. poster. col. 1139.

(1) Nempe ratio, per systema Protestantismi oppressa atque ad nihilismum dejecta, per quamdam reactionem se extulit, ac vindicavit se de oppressoribus suis, et in aliud extremum prolapsa jugum, cujusvis auctoritatis excussit, ut alias cum cl. Moëhler animadvertimus. Ceterum quantum contulerint catholici Principes ad scientiarum ac bonarum artium ardorem excitandum, exeunte sec. xv et ineunte xvi ante exortam reformationem, colligi facile potest ex iis, quæ habet Andres, op. cit. lib. I, cap. 13, n. 220 et seqq. ubi ostendit æmulationem, quæ viguit inter Italiæ principes Mediceos, Estenses, Rom. Pontifices, aliosque in disciplinis omnibus promovendis; civitates principes Romam, Florentiam, Urbinum, Ferrariam, etc. inter se de primatu contendisse. Antiqui codices græci

et latini undique conquirebantur. Leo x excitabat Erasmm, Sancten Pagnini aliosque doctos illius ætatis. Quod vero speciatim attinet ad viros ecclesiasticos in promovendis scientiis, satis erit eruditum opus percurrere cl. Severini Fabriani, cui tit. *Dei beneficii præstati dagli ecclesiastici alle scienze*, Bergamo 1832, in quo ostendit, quid illi contulerint in promovendis *Mathesi pura, mechanica, hydrodynamica et nautica, optica, astronomia, geographia et chronologia*; duas item egregias dissertationes Card. Mai, quarum altera inscripta est: *Meriti di Pio VII e del clero verso la letteratura*, altera vero: *I vicendevoli uffizj della Religione e delle arti*. In quibus vir doctus omnes prope disciplinas ac bonas artes percurrit, ostenditque luculentissime, quam bene meriti de illis fuerint Catholici, præsertim vero ecclesiastici quovis tempore. Quibus ad majus reformationis dedecus adjici possunt opp. com. Montalembert, *Du Vandalisme et du Catholicisme dans l'art*, Paris 1841, vol. I, in 8; et *Monumens de l'histoire de sainte Elisabeth de Hongrie*, Paris 1841, vol. I, in fol.



( neque hanc inter ipsos et Catholicos comparationem institui-  
 mus , ut omnem illis scientiæ ac eruditionis laudem præripiamus );  
 sed ut frequentibus ipsorum insectationibus occurramus , quibus  
 catholicam romanam Ecclesiam veluti obscurantismi parentem  
 traducunt. Eam certe talem minime experti sunt , qui ex ipsis  
 Protestantium castris in illius sinum se receperunt recentiori  
 hac ætate , viri sane clarissimi , Schlegel , Stolberg , Werner ,  
 Haller , De Joux , totque alii , sive Germani , sive Angli , sive  
 Galli , quorum numerus augetur in dies.

### CAPUT III.

#### DE RATIONE POST FIDEM.

274. Postquam ad infallibili Ecclesiæ magisterio aliquid cre-  
 dendum de fide propositum est , ac etiam postquam iis omnibus ,  
 quæ Ecclesia credenda proponit , quispiam interiorum intelle-  
 ctus ac voluntatis assensum , divina opitulante gratia , præbuit ,  
 nullæne amplius rationi partes supersunt ? Haudquaquam sane ,  
 sed plura sunt , in quibus poterit humana ratio post susceptam  
 fidem se exercere suasque exerere vires.

275. Verum ut id legitime fiat , et hinc inde latentes devi-  
 tentur scopuli , debet ratio certas sibi a fide ipsa præstitutas  
 regulas sectari , eamque præcipuam , ut non primas sibi in ejus-  
 modi negotio vindicet partes , nec se unquam ab Ecclesiæ magi-  
 sterio subducat , sed veluti ancillam se exhibeat fidei , minime  
 vero uti arbitram ac dominatricem. Hoc modo fidei ac rationis  
 legitima jura in tuto posita erunt , vanæ reddentur accusationes ,  
 quas increduli ac rationalistæ adversus catholicum auctoritatis  
 principium intentant ; imo vero componentur sententiæ , quas  
 nonnullæ catholicæ scholæ ætate hac nostra in speciem contra-  
 rias , ac sibi invicem adversantes proferunt. Methodum igitur  
 nostram sectantes , in duos pariter articulos postremum hoc  
 caput dispertiemur , in quorum altero de recto rationis usu post  
 fidem , in altero de ejusdem post fidem abusu tractatum habe-  
 bimus.

## ARTICULUS I.

*De recto rationis usu post fidem.*

276. Ratio seu scientia ac fides, ut vidimus, amico inter se foedere copulantur, ante fidem et cum fide; non igitur putandum est, ipsas posse aut velle divortia facere, postquam ratio se fidei subiecit, et sacro, ut ita loquar, connubio ratio et fides conjunctæ sunt. Restant propterea rationi etiam post fidem jura sua, imo et debita, quibus illa, vicem officii reddens fidei, ad hanc tuendam ac illustrandam tota se confert. Munera hæc rationis post fidem ei vindicanda aggredimur adversus illos, qui rationis veluti hostes sese exhibent, dum omnem scientificam inquisitionem a fidei dogmatibus repellunt, suspectosque traducunt eos, qui fidem et scientiam simul conjungunt magno fidei ipsius lucro et ornamento. Sit igitur.

## PROPOSITIO I.

*Post susceptam fidem potest humana ratio fundamenta ipsius fidei singulorumque dogmatum investigare eaque tueri.*

277. Jam alias distinximus, nec unquam satis distinguendum est duplex in viro theologo munus, *fidelis* scilicet ac *doctoris*. Prout *fidelis* est, non differt in assensu, quem fidei præbet, ab alio quopiam infimæ rudisque plebis credente, cum unice credat ob auctoritatem Dei revelantis et Ecclesiæ proponentis, adspirante, ut supponitur, divina gratia. Prout vero idem *doctoris* sustinet munus, potest præterea, imo et debet in fundamenta inquirere ipsius fidei, ac singulorum dogmatum, quæ per fidem cognoscit et credit, non quidem propter se tantum, sed præcipue propter alios rationem exposcentes de ea, quæ in ipso est, spe (1). Quapropter haud innititur aut inniti potest inquisitionibus suis, ut credat; cum ejus fides ab illis nullo

(1) 1. Pet. III, 15.

modo pendere queat, sed *unice*, uti diximus, a motivo *formali* fidei divinæ (1).

278. His præmissis, vix probatione egere videtur thesis nostra. Nam cum objectum, ut vocant, *materiale* fidei nostræ totum *historicum*, sit, ac revelatio ipsa sit *factum*, adeoque et illa omnia, quæ in revelatione continentur, fit, ut revelatio ejusque objecta possint quoad eorum existentiam documentis demonstrari, non minus ac credibilitatis motiva, quæ nempe homini evidenter suadent, talem re ipsa esse revelationem, quæ divinitus data perhibetur. Hæc porro omnia sine alacri seduloque studio, sine scientiæ ac rationis ope, ac longa diuturna que meditatione nemo jam sibi poterit comparare (2). Quis itaque ea assequetur nisi theologus, cujus munus est hæc ipsa objecta credibilia ostendere? Potest itaque humana ratio post adeptam fidem fundamenta ipsius investigare ac detegere, ut ea illis possit proponere, qui ad eam investigationem minus idonei sunt et comparati, eaque ab adversariorum impetu tueri.

279. Quod vero de fide ejusque fundamentis in universum

(1) Hæc, ut superius adnotavimus, ab Hermesio non rite distincta, sed temere permixta fuerunt.

(2) Quod hic dicimus de motivis credibilitatis, quibus etiam internoscendis tutandisque *alacri seduloque studio, scientiæ ac rationis ope, ac longa diuturna que meditatione* opus esse asserimus, intelligi debent quoad eos, qui singillatim hæc expendunt, eorumque vim ad convictionem intellectus exponunt, ac vindicant ab impugnationibus incredulorum. Si autem simul illa spectentur ac in suo complexu, quamdam evidentiã præ se ferunt, quæ rudiorum etiam oculos percipiat eis que evidenter credibilem reddat divinam revelationem. Hac ratione componi inter se posse videntur, quæ Valsecchius et Spedalierius contraria scripserunt.

Valsecchius enim una cum Bergierio contendit, rudes posse sibi facile comparare compendiosam demonstrationem credibilitatis christianæ, seu supernaturalis ac divinæ revelationis; Spedalierius, in *Analyse examinis critici Frereti*, cap. 13, art. 2 et 3, utrumque impugnavit, atque adeo singulari plane sententiã progressus est, ut prærequisita ad fidei actum, ordinaria lege omnibus necessaria, rejecerit, in quo certe suffragium doctorum non tulit. Optima in hoc habet cl. Gerdilius ad ostendendum, quomodo etiam rudis populus fidelium rationabiliter omnino adhæreat christianæ catholicæ fidei, de ejusque veritate certus moraliter sit. Cfr. *Introduzione allo studio della relig.* pag. 137 et seqq.



dictum est, de dogmatibus singulis dici pariter debet. Exploratum quippe est, Ecclesiam dogmata sua non cudere aut de novo proferre, cum Apostolorum obitu omnis in ea cessarit revelatio, quæ ad fidei depositum spectet (1); ea igitur tantum credenda proponit, quæ ex divina accepit atque hausit revelatione. Jam vero Ecclesia, auctoritate infallibili ac infallibili magisterio a Deo conditore suo instructa, contenta est, quæ a Deo accepit credenda fidelibus positive proponere, quin unquam disceptet, aut cum fidei hostibus congrediatur; docilitatem proinde solum exigit a filiis suis, nec iis solet rationem reddere, cur hoc potius quam illud dogma credendum proponant (2). Duplex inde in doctore munus oritur obeundum, tum videlicet adstruendi existentiam veræ Ecclesiæ a Christo institutæ ejusque constitutionem seu naturam, proprietates ac notas, nec non dotes quibus ab eodem Christo cumulata est, tum confirmandi dogmata singula ab Ecclesia veluti fidei objecta proposita, initio sumpto a regulis fidei remotis, Scriptura et Traditione, in quibus fidei depositum totum continetur, ac deinde gradu facto ad peculiariora dogmata reliqua. Duplex porro hoc munus obire nequaquam poterit, qui fide contentus una, rectæ atque exultæ negligat rationis subsidium (3).

280. Et illud huc accedit, quod nonnulla dogmata expresse in Scripturis haud contineantur; nonnulla etiam Patrum effata, eorum præsertim qui ante exortam peculiarem quamque hæresim floruerunt, obscuritatem præ se ferant, imo interdum contraria videantur iis, quæ postea definita ab Ecclesia sunt. Insuper

(1) Revelationes enim privatæ, quæ circumferuntur, ex. gr. S. Hildegardæ, S. Gertrudis, Birgittæ, etc. quæque etiam probatæ ab Ecclesia dicuntur, non eo sensu probatæ sunt, quod auctoritatem aliquam habeant ad ea, quæ fidei sunt, adstruenda, sed solum ad ædificationem fidelium.

(2) Recolantur superius dicta.

(3) Hinc optime Canus, *De locis*,

lib. ix, cap. 4: *Qui theologiam sic instituit, ut nihil habeat cum naturæ ratione conjunctum, omniaque egregiæ disciplinæ sola Scripturarum fide metitur, hic, si in ea opinione persistat, et non interdum naturæ bonitate vincatur, nec theologiam colere tuerique potest, nec fidem, nec humanitatem.*

haud pauca dogmata reperiuntur, quæ superant angustam mentis nostræ aciem. Si quis proinde ea velit adstruere atque defendere, opus omnino ei est, ut præter amplissimam Scripturarum, sanctorumque Patrum cognitionem, in usum absciscat hermeneuticam, exegesim, dialecticam, aliaque subsidia, quæ necessario requiruntur ad illustranda tuendaque catholica dogmata, atque ad frangendos adversariorum conatus.

281. Talem fuisse constantem agendi rationem Patrum cujusvis ætatis, apologetarum christianæ et catholicæ fidei, doctorumque christianorum omnium, supervacaneum esset ostendere. Equis sane non suspiciat eruditissima et profunda scripta Clementis Alexandrini, Justinii, Origenis, Athanasii, Eusebii, Tertulliani, Cypriani, Hieronymi, Augustini, Leonis M., ut de insequentibus taceamus? Placet, quod hactenus diximus, gravissimis Augustini verbis confirmare, qui disserens de *sermone scientiæ*, quem commemorat Apostolus, I Cor. XII, 8: *Quo, inquit, fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur; qua scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quæ nonnisi æterna est; aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur, et contra impios defendatur, quam proprio appellare vocabulo scientiam videtur Apostolus (1).*

282. Tum ipsa igitur rei natura, tum constans Patrum et ecclesiasticorum tractatorum agendi ratio evidentè ostendunt, posse, post susceptam fidem, humanam rationem fundamenta fidei singulorumque dogmatum investigare eaque tueri, prout a nobis enunciatum est.

#### DIFFICULTATES.

283. Obj. 1<sup>o</sup> jusmodi investigatio opponitur simplicitati fidei; 2<sup>o</sup> plurimum item ejusdem merito detrahit. 3<sup>o</sup> Exinde

(1) *De Trinit.* lib. xiv, cap. 1, num. 3.



illa dimanant elogia a Patribus etiam prolata eorum, qui una fide contenti, ulterius non inquirunt, cur ita credant. 4<sup>o</sup> Sed præterea aleæ plena est hæc inquisitio, cum fieri possit ut argumenta, quæ militant aut pro fide in genere aut pro singulis articulis in specie, debilia appareant ac levia, contra vero validissima videantur, quæ illam oppugnant, atque indidem dubia oriantur magno fidei ipsius detrimento. Ergo.

284. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Neg.* Immo vero plurimum confert ad fidem confirmandam. Reipsa si simplicitati fidei investigatiõ adversaretur, atque ejusmodi persuasio invalesceret, jam satis essent fides et ignorantia, quo quid optarent magis acerrimi fidei osores? 2<sup>o</sup> Damnandi igitur essent omnes ecclesiæ Patres atque doctores, qui tot vigiliis laboribusque rem christianam ac fidei causam adjuvarunt; contra vero summus essent laudibus celebrandi, qui a studio abhorrent, ut otio vacent, sola fidei simplicitate contenti.¶ Quo profecto nihil absurdius dici potest, et contra Ecclesiæ sensum, quæ perpetuo stimulos addidit Sacerdotibus, ut studia impense colerent (1). Itaque tunc solum scientifica inquisitio opponitur simplicitati fidei, cum quis dubius in fide hæret, ac scientiæ ope vult per examen revera *dubitativum* eam sibi persuasionem comparare, quæ pendere unice debet ex pio credulitatis affectu, quem Deus per gratiam infundit, et vi cujus voluntas imperat intellectui plenam objectis fidei adhæsiõnem firmissimumque assensum (2).

(1) Cfr. Mabillonius, *Tract. de studiis monasticis*, part. 1, cap. 13; item P. Cherubinus, op. et loc. cit. ubi traduntur decreta Conciliorum et Rom. Pontificum.

(2) Qui certe christianus et fidelis est, ne puncto quidem temporis assensum fidei veritati ac obedientiam auctoritati Ecclesiæ suspensam tenere potest; secus enim manifeste peccaret in fide. Sed tamen uti Bellarminus recte adnotat, cap. 3, *De verbi Dei interpret.* cap. 10, ad 7 argum. *Posito hoc*

*dubio et hoc peccato, non male facit scrutando, dummodo id faciat intentione inveniendi veritatem et non calumniandi... Deberet ille quidem sine examine recipere doctrinam Ecclesiæ; tamen melius est, ut examinando præparetur ad veritatem, quam negligendo remaneat in suis tenebris.* Ex quibus magis patet distorta agendi ratio Hermesii; quandoquidem si ipse dubitabat, ut fatetur, ac nutabat in fidei fundamentis, recte, in sensu hic declarato, illam suam inquisitionem phi-



285. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Si eo dirigatur scientifica inquisitio, ut quis credat, *conc.*; ut confirmetur in fide, quam toto corde tenet, *neg.* Hæc enim confirmatio, non ex animi dubitatione, sed ex ingenti potius fidei oritur amore, quo fit ut summa perfundatur voluptate, qui ad ejusmodi investigationem animum applicat, prout passim de se testatur regius Psalter, dicens: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus divitiis... Lætabar ego super eloquia tua, sicut qui invenit spolia multa* (1). Sane ecquis affirmare audeat, tot sanctos doctosque viros, quot floruerunt in Ecclesia Dei, detrimentum aliquod passos esse in fidei suæ merito ob tot illos labores, quos in fidei defensionem exantlarunt? Imo certum est, ipsos hoc meritum in immensum auxisse. Tunc solum ergo fidei potest merito nocere scientifica investigatio, quum quis ad illam permoveatur ex fidei infirmitates aut dubio, minime vero cum ab ejusdem fidei amore ac firmitate excitatur (2).

286. Ad 3<sup>m</sup>, *Dist.* Commendati sunt fideles, quibus doctoris munus non incumbit, si Ecclesiæ auctoritati innixi ulterius non inquirunt, cur ita credant, *trans.*; qui præterea munus habent fidei tuendæ populosque docendi, *neg.* Transmisimus primum membrum, quia, dummodo sub magisterio ac directione Ecclesiæ, ea qua par est animi docilitate, quispiam scientia utatur, hæc nulli unquam nocet, sed potius prodest plurimum (3); præser-

losophicam ex dubio suo positivo suscipiebat; sed quonam jure id ipsum ad fundandam rationabilem fidem veluti *conditionem sine qua non* potuit a ceteris vere credentibus postulare?

(1) Ps. cxviii, 14-162. In quos textus cfr. quæ præclare scribit Segneri, *Manna dell'anima*, ad diem x et xxx Decembris.

(2) Cfr. Card. Cusanus, in op. *De docta ignorantia*, Basileæ 1565, præsertim lib. iii.

(3) Quapropter hortandi semper fideles sunt ad lectionem probatorum auctorum, ad instructiones sibi idoneas

comparandas, aliaque adminicula adhibenda, quibus dispellatur ignorantia, qua nihil deterius est, et qua fit ut non pauci infirmi sint et ad pravam vitam proclives. Optimum sane consilium fuit illorum Episcoporum, qui, præsertim in Galliis, bibliothecas librorum piorum instruendas curarunt, quibus fideles juvari possint; æque collaudanda est distributio bonorum librorum, quæ opponatur distributioni librorum pessimorum, quos ubique diffundit societas biblica. Veneno siquidem antidotum parandum est.

tim ubi fideles iis in locis et adjunctis versantur, in quibus facile possunt ab incredulis et hæreticis seduci ac decipi; nemo profecto unquam sanæ mentis ignorantiam ac tenebras commendaverit. Quoad reliquos autem, ulterius non inquirere perinde esset atque a proprio munere deficere, seque reos sistere Deo et Ecclesiæ, cum eam negligant cognitionem, quæ uniuscujusque statui necessaria est.

287. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Alexæ plena est quoad eos, qui se tradunt ejusmodi inquisitioni absque debitis dispositionibus, *trans.*; vel *conc.*; quoad eos, qui illis præditi sunt, *neg.* Nullum prorsus instat perversionis periculum iis, qui animum gerunt humilem ac sincerum in tali inquisitione, imo potius magnum iis accedit emolumentum. Si quando sibi minus firma videntur deprehendere argumenta ad dogma aliquod peculiare constabiliendum, norunt simul, haud iis inniti ipsius dogmatis veritatem, sed auctoritati infallibili Ecclesiæ; nec unquam casum contingere posse, in quo hæc desciscere a vero queat in fidei proponendis objectis. Propterea, quin nutent in fide, firmantur in ea, fatentesque interim propriam ignorantiam ac ingenii tenuitatem, conatus renovant atque eluctantur denuo certi, se quod optant assecuturos. Si autem agatur de Ecclesia ipsa aut de fide universim, tot taliaque sunt argumenta, quæ pro illa decertant, ut eo res demum deveniat, scilicet vel ab omnibus esse animum despondendum de cognoscenda veræ Religionis ac veræ Ecclesiæ cujusvis existentia, vel si qua sit, nullam aliam esse præter catholicam posse, ad cujus veritatem testandam argumenta illa credendi ac motiva mira prorsus consensione conspirant. Paganismus, islamismus, sectæ hæreticæ et schismaticæ, si conferantur cum majestate ac firmitate Ecclesiæ catholicæ, penitus evanescent. Si proinde recto quis animo comparatus sit, fieri nequit ut aliquando nutare possit, imo non proficiat, magisque in fide sua confirmetur. Quapropter, quod consequens est, si nonnulli naufragium fecerunt, non fidei ipsius defectui, non scientificæ inquisitioni, sed pravis animi dispositionibus, cupiditatum æstui, præsertim vero mentis superbiæ id tribui unice debet: Deus enim immutabili lege superbis resistit; qui quoniam tenebras conse-

tantur, permittente Dei justo iudicio, illas densissimas inveniunt, ab iisque obvolvuntur; cujus rei exempla omnis fere ætas Ecclesiæ suppeditat.

### PROPOSITIO II:

*Potest præterea humana ratio fidei doctrinam ad tractationem vere scientificam evehere.*

288. Medium hic debemus iter insistere inter eos, qui in præsentia in duas veluti adversas partes distrahuntur. Alii enim nihil nisi fidem, uti vocant, *historicam* ac *positivam* admittere vellent, ita ut pro suspecto habeant, uti innuimus, quidquid scientia philosophica doctrinæ positivæ fidei adjicere nititur; alii e contra sic scientiam connexionem necessariam cum fide historica et positiva habere contendunt, ut vix ex ipsa dogmatum ipsorum evolutionem et existentiam non repetant.

289. Quæ ut apprime intelligantur, et verus quæstionis status innotescat nonnulla præmittere cogimur, quæ lucem simul affundant, viamque commonstrent, quam tuto terere possimus inter lubricos, qui eam impediunt et circumstant, anfractus.

290. Itaque animadvertimus, 1<sup>o</sup> fidem *historicam* et *objectivam*, seu fidei doctrinam divinitus revelatam et ab Ecclesia propositam nulla pendere ratione posse a scientifica quavis inquisitione et investigatione, siquidem nobis a Deo data est; absonum autem esset contendere, quod extrinsecus nobis provenit quodque divinitus accepimus, ab humana scientia quoad suam existentiam pendere, aut a quovis humanæ philosophiæ systemate ab hominibus excogit ato.

291. Adnotamus, 2<sup>o</sup> ejusmodi fidem *objectivam* esse veluti basim inconcussam, et normam præterea inflexibilem, ad quam inquisitiones nostræ omnes exigendæ sunt, ita ut si in aliquo vel minimo puncto ab ea desciscant, hæ sint corrigendæ, ac nunquam intorquere fas sit aut inflectere quoquo modo ad systemata philosophica fidei doctrinam, quod impium esset.

292. Hac ineluctabili basi præstituta, dicimus, 3<sup>o</sup> nihil obstare,



quominus ad tractationem vere scientificam fidei doctrina evehatur. Hac autem scientifica tractatione significamus non solum argumenta illa, quibus humana ratio conficit demonstrationem existentiae revelationis et Ecclesiae, illustrationem praeterea et defensionem omnium dogmatum, sive haec collective sive distributive spectentur, de quibus egimus in propositione praecedenti; sed potissime eorum mutuam intimam nexum, relationem ac dependentiam una cum consecutionibus, quarum fecunda dogmata sunt, quaeque ex illis veluti principiis dimanant aut deducuntur, sive ad theoreticam, sive ad praxim pertineant, unde unum veluti scientiae corpus exurgat, in quo proprie scientiae theologicae ratio consistit.

293. Ne tamen etiam in hoc scientifico processu abusus obrepit, animadvertimus insuper, 4<sup>o</sup> rationis aut scientiae non esse intimos ipsos Mysteriorum recessus penetrare, ita ut autumet, intrinsecus ea cognoscere seu comprehendere posse, ac veluti conceptus logicos aut metaphysicos spectare. Siquidem non desunt ex recentioribus, qui fidei doctrinam in ordine ad scientiam in tres veluti phases partiantur; harum prima juxta ipsos completitur Patres, secunda scholasticos, tertia epocham ab instaurata philosophia. Hac divisione praemissa, distinguunt inter id, quod vocant *quid* dogmatum, et id, quod eorundem dogmatum *quomodo* appellant. Deinde progredientes dicunt, Patres ad nos transmississe τὸ *quid* dogmatum, scholasticos vero et philosophos posteriores nobis aperuisse τὸ *quomodo* dogmatum, hoc tamen interposito discrimine, quod scholastici *quomodo* dogmatum ad conceptus *logicos*, philosophi vero ad conceptus *metaphysicos* revocaverint. Eo demum progrediuntur, ut vix dogmata ipsa ac Mysteria ex scientiae fundo non arcessant, et cum scientia non identificent (1).

(1) Hos certe scopulos non declinavit Dr. C. F. Hock, auctor germanici recentis operis, *Gerbert oder Papst Sylvester II, und sein Jahrhundert*; seu *Gerbertus, aut papa Silvester II, ac*

*seculum illius*, Vindob. 1837. Nam praeter plures theologicos errores, saltem ex inaccurato verborum theologorum usu profectos; praeter doctrinas quasdam apostolicae Sedi haud parum

294. His igitur ita declaratis, sic assertam propositionem in sensu exposito adstruimus. Potest humana ratio fidei doctrinam ad tractationem vere scientificam evehere, si 1<sup>o</sup> id valde conferat ad ipsius doctrinæ dignitatem et commendationem; si 2<sup>o</sup> ejusdem doctrinæ natura, non obstet, sed in id nos conducat, si denique 3<sup>o</sup> constans ac perpetua Patrum ac doctorum sentiendi et agendi ratio id ipsum maxime suadeat. Atqui, rem ita esse, singillatim evincere aggredimur.

295. Ac primo quidem valde conferre scientificam ejusmodi tractationem ad ipsius doctrinæ dignitatem et commendationem, ex ipsa rei notione evincitur; siquidem tractatio vere scientifica illa censetur et est, qua ex principiis ratis ac firmis apud omnes deducuntur consequentiæ, quæ in illis latent; receptum proinde est, ut scientia definiri soleat cognitio certa et evidens rei necessariæ et immutabilis per proprias ipsius causas. In casu autem nostro ejusmodi causæ seu principia sunt veritates ipsæ divinitus revelatæ (1); porro eas veluti principia assumere, earum vim declarare, dispositionem patefacere, mutuamque relationem, dependentiam ac nexum ostendere; latentes denique consecutiones ex illis deducere; conferre item cum scientiis reliquis, prout substratæ materiæ natura patitur; analogiam, quam cum illis habent, commonstrare; aliaque ejusmodi præstare, quibus fidei objecta, Mysteria præcipue, non modo credibilia, sed

infensas; quæ auctor in præfatione præsertim dicit de *dogmatum christianorum* veluti *phasibus*, de illorum *elaboratione ope philosophiæ*, de *compensatione fidei ac philosophiæ*, quæ comparatur cum ipsa *hypostatica unione* Jesu Christi, ac *idiomatum communicatio* ab eo dicitur, aliaque id genus multa legitimos fines undequaque excedunt. Nos equidem a philosophiæ usu rejiciendo plane abhorremus, uti manifeste patet; abusus tamen improbamus et semper improbabimus. Ast hæ

sufficiant; siquidem de hoc eodem opere *crisis* edita est in *Ephem. Roman. Annali delle scienze religiose*, num. 39 Nov. e Dic. 1841, a claris. auctore ejusdem nationis confecta. Docta illa dissertatio gallice edita est in *Revue de Bruxelles*, anni 1842, tom. 1, p. 149, 252 et 422.

(1) Cfr. Petavius, *Prolegomen.* cap. 8, ubi exponit multiplicem *scientiæ* nominis acceptionem, et quatenus theologiæ competat ex veterum ac recentiorum sententia.



suasibilia efficiantur (1), ad fidei ac doctrinæ christianæ seu catholicæ dignitatem commendationemque conferre, nemo sobrius inficias iverit. Quandoquidem, præterquam quod ejusmodi pertractandi ratio mentem humanam perficit, ac in sanctua-

(1) Huc refertur toties a S. Augustino inculcatum principium : *Crede, ut intelligas*, quo alludit ad illud Is. VII, 9, ex græca vers. LXX : *Nisi credideritis, non intelligetis*, cui perpetuo insistit S. Doctor. Speciminis gratia unum vel alterum ex eo testimonium describemus : ac 1º ex ejus *Epist. ad Consentium*, quæ est 120. Cum enim Consentius hunc veluti canonem statuisset : *Non tam ratio requirenda, quam auctoritas sequenda Sanctorum*, sic illi respondet : *Si a me vel a quolibet doctore non irrationabiliter flagitas, ut quod credis intelligas, corrige definitionem tuam, non ut fidem respuas, sed ut ea, quæ fidei firmitate jam tenes, etiam rationis luce conspicias... Absit ut ideo credamus, ne rationem accipiamus... Et ideo rationabiliter dictum est per Prophetam : Nisi credideritis, non intelligetis. Ubi procul dubio discrevit hæc duo, deditque consilium, quo prius credamus, ut id quod credimus intelligere valeamus... Propterea monet Apostolus Petrus, paratos nos esse debere ad responsionem omni poscenti nos rationem de fide et spe nostra; quoniam si a me infidelis rationem poscit fidei et spei meæ, et video quod antequam credat capere non potest, hanc ipse ei reddo rationem, in qua, si fieri potest, videat, quam præpostere ante fidem poscat rationem earum rerum, quas capere non potest. Si*

*autem jam fidelis rationem poscat, ut quod credit intelligat, capacitas ejus intuenda est, ut secundum rationem redditam sumat fidei suæ quantum potest intelligentiam, majorem si plus capit, minorem si minus; dum tamen, quousque ad plenitudinem cognitionis perfectionemque perveniat, ab itinere fidei non recedat... Hæc dixerim, ut fidem tuam ad amorem intelligentiæ cohorter, ad quam ratio vera perducit, et cui fides animum præparat... Porro autem, qui vera ratione jam quod tantummodo credebatur intelligit, profecto præponendus est ei, qui cupit adhuc intelligere quod credit; si autem nec cupit, et ea, quæ intelligenda sunt, credenda tantummodo existimat, cui rei fides prosit ignorat (cap. 1 et 11, n. 2, 3, 4, 6, 7).* Quod autem juxta S. Doctorem suasibilia intelligentiæ Mysteria ipsa effici possint, luculenter patet ex iis, quæ scribit in *Serm. de verb. evang. Luc. : Forte de via mala, inquit, hoc est, de vita mala fatigatus nescio quis amicus tuus, non inveniens veritatem, qua audita et percepta, beatus fiat... venit ad te tanquam ad christianum, et dicit : Redde mihi rationem, fac me christianum. Et interrogat, quod forte tu per simplicitatem fidei nesciebas; et non est unde reficias esurientem; et cum vis docere, cogeres discere... Seculi hujus ignorantia valida est, hoc est, nox media, et urget ami-*



rium ipsum, ut ita dicam, divinitatis ad proprias ejus rimandas contemplandasque altissimas veritates introducit, veritates ipsæ quæ principium simul ac objectum disciplinæ nostræ constituunt, scientifica hac methodo expositæ, majorem claritatem percipiunt, severiore ordine disponuntur, intimius cognoscuntur, ac plura immensæ utilitatis sive pro parte theoretica sive pro practica ex eis in usum derivantur. Scientifica præterea tractatione christianæ Religionis veritates excultæ atque expolitæ sublimè prorsus omnique ex parte admirandum ædificium constituunt, quod ad sui contemplationem mentem rapit, quo profecto nihil jucundius in his terris, suavius sanctiusque nihil accidere potest.

296. Tantum vero abest, ut doctrinæ revelatæ natura scientificæ huic obstet evectioni, ut ad eam nos potius inducat, prout secundo loco constituimus; quod facili ostenditur negotio. Quippe ad eum modum, quo Deus admirandum hujus universi, in quo versamur, spectaculum haud subjecit oculis nostris, ut stupidi illud, prout specie sese obtutui nostro offert, unice inspiciamus, sed etiam, imo potissime, ut per partes singulas illud rimemus, ordinem inquiramus, expendamus leges, relationes, quas res omnes ad invicem habent, intelligamus, deducamus-

*cus esuriens. Tibi forte sufficiebat simplex fides, illi non sufficit. Numquid deserendus est? Numquid de domo projiciendus est? Ergo ad ipsum Dominum... pulsa orando, pete, insta... Cum autem perveneris ad tres panes, hoc est ad cibum et intelligentiam Trinitatis, habes et unde vivas et unde pascas, nec peregrinum venientem de via reformides, sed excipiendo civem domesticum facias (Serm. 105, cap. 11 et 111, num. 2, 4); et alibi passim. Nec ab eo discrepat S. Thomas, qui Cont. gent. lib. 1, cap. 8, hæc scribit: Humana ratio ad cognoscendam fidei veritatem, quæ solum videntibus*

*divinam substantiam potest esse notissima, ita se habet, quod ad eam potest aliquis veras similitudines colligere; quæ tamen non sufficiunt ad hoc, quod prædicta veritas quasi demonstrative vel per se intellecta comprehendatur. Utile tamen est, ut in hujusmodi rationibus quantumcumque debilibus se mens humana exerceat, dummodo desit comprehendendi vel demonstrandi præsumptio, quia de rebus altissimis etiam parva et debili consideratione aliquid posse inspicere jucundissimum est. Alia inferius dabimus.*

que industria ac sollertia in usum et commodum nostrum, ex iisque proinde Deum sapientissimum ejus conditorem admiremur atque laudemus; sic mundum, ut ita loquar, divinum ac supernaturalem, qui ex fide historica coalescit, nobis exhibuit, non ut ejus tantummodo *objectivitatem* credamus, eique unice inhæreamus, verum etiam, ut intimius, quoad ejus per nos fieri potest, pro uniuscujusque ingenii modulo, ac prout natura rei patitur, eum intelligentia nostra perscrutemur ac contemblemur, assurgamus ad altiora cognoscenda, nitamurque assequi, quæ ea sub cortice delitescunt. Hinc eadem ratione, qua ex penitioris hujus universi cognitione longe augustiorem nobis de supremo Numine ideam comparamus, eadem ex penitioris, quam per tractationem scientificam adipiscimur, mundi supernaturalis notitia sublimiorem de Deo ejusque Religione cognitionem obtinemus. Fides proinde historica et objectiva quoddam veluti vehiculum est, quo in eorum intelligentiam perducimur, quæ prius sola fide tenebamus; germen est, quod ulterioris semper evolutionis capax est; fons denique est speculativæ contemplationis, ex quo aquas haurire theologi jugiter possunt ad scientificam suam tractationem magis elaborandam perficiendamque.

297. Exinde factum videmus, quod tertio loco positum est, ut Patres omnes contenti haud fuerint vindicare adversus novatores fidei depositum, seu singula dogmata ex Scriptura et Traditione, ut in illis sisterent; sed hæc ipsa dogmata subjecerunt philosophicæ ac scientificæ investigationi, in eorum intelligentiam eluctati sunt, ac subjectivos proprios de illis conceptus et speculativas suas investigationes ceteris exposuerunt (1), ut dog-

(1) Ad hos subjectivos Patrum conceptus de fidei articulis spectant omnes explanationes expositionesque, quibus ipsi uti doctores dogmata singula illustrarunt ac de illis philosophati sunt. Referta porro ejusmodi explanationibus ac rationibus peculiaribus, sub quibus fidei articulos inspexerunt menteque sua conceperunt, sunt Patrum scripta; hæc

proinde veluti promptuaria plenissima existunt, e quibus exurgit *theologia Patrum* nuncupata, quæque ab eruditissimis theologis catholicis, proximis superioribus seculis, collecta et exposita est; inter quos eminent Petavius, Thomassinus, Habert Episc. Vabrensis, Boucat.



mata ipsa, imo et Mysteria planiora intelligentiæ nostræ ac suasibilia ipsi rationi efficerent. Haud detrectarunt, cum opus fuit, in usum adsciscere philosophiam, cui potissimum addicti erant, ad enucleandos evolvendosque proprios conceptus circa singulos fidei articulos, eorumque nexum et complexionem (1). Hinc sublimes illæ theoriæ, quas in eorum scriptis suspicimus, circa unitatem Dei, cum disceptarent adversus polytheistas (2); circa mali originem ac summi principii unitatem, libertatemque hominis, cum insurgent adversus Gnosticos, Valentinianos, Marcionitas, Manichæos (3); circa rerum e nihilo eductionem et providentiam Dei, cum pantheistas et stoicos (4) perstringerent; idem dic de Verbi divini æterna generatione, de Trinitate, de Incarnatione, aliisque ejusmodi Mysteriis Religionis nostræ, cum acriter pugnarent adversus eorundem osores. Ecquis enim opera hac ex parte non admiretur Magni Athanasii, utriusque Cyrilli, utriusque item Gregorii, Basilii, Augustini, ut cæteros prætermittamus, in quibus omnibus profundam ubique philosophicam cernis dominari de christianis Mysteriis tractationem, sublimissimosque conceptus?

(1) Notum est, Ecclesiæ Patres, sive græcos sive latinos, versatos fuisse in platonica potissimum philosophia. Ad christiana propterea dogmata explananda Patres identidem platonica illa philosophia usos esse, compertum quilibet habere potest, qui vel leviter percurrat volumen primum dogmatum theologicorum Petavii ac Thomassinii. Neque vero ab his dissentit, si rite intelligatur, vel ipse Baltus, qui hac in parte Patrum mentem accurate expendit.

(2) Cfr. apud Petav. *De Deo*, lib. 1, cap. 3 et 4, et apud Thomassin. *De Deo*, lib. 11, cap. 1-7.

(3) Cfr. S. Irenæus, lib. 11, *Contr. hæres.* Tertullian. *Advers. Hermogenem* et in quinque libris *Contr. Mar-*

*cionem*; S. Epiphan. hæres. xxxi, et hæres. xli, xlii, lxix et xlii, necnon lxvi, edit. Petav.; S. Gregorius Nyssen. *Contra Manich.* syllogismi decem, opp. tom. 11, edit. Paris 1615, pag. 612; Titus Bostrensis Episc. *Lib. tres adv. Manich.* in Biblioth. Patr. Galland. tom. v, etc. Tibi prolixum elenchum exhibebunt J. Alb. Fabricius, in utraque *Bibliotheca græca et latina*, et Rhemig. Ceillier, Ord. S. Bened. in *Histoire générale des auteurs sacrés.*

(4) Inter quos eminent Synesius, Theodoretus inter græcos; Tertullianus, Augustinus inter latinos. Plura utiliter in unum collecta reperire est apud Thomassin. *De Deo*, lib. 11, cap. 9 et seqq.



298. Neque a Patrum vestigiis recessere scholastici, qui in unum doctrinæ corpus varia dogmata collegerunt, disposuerunt, illustrarunt, ac intima ipsa, ut ita loquar, fidei penetralia ingressi, eam ad vere scientificam ac speculativam celsitudinem evexere. Eminent in his S. Anselmus Cantuariensis, quem nemo in hac pertractandi ratione facile superavit, præcipue vero S. Thomas, qui Angelici nomen jure adeptus est, S. item Bonaventura, aliique bene multi. Nec desiit hoc studium et hæc agendi ratio, ut nonnulli autumant, Concilii Tridentini ætate (1); sed perseveravit ad hæc usque ferme tempora, siquidem præstantissimi posthac ingenio ac doctrina theologi scholastici floruerunt, qui antecessoribus plerisque pares sin minus superiores sunt (2).

(1) Hos inter est præcipue prof. Baltzer, op. cit. fasc. 1, § 34, pag. 215 et seqq. qui censet, connexionem inter *objectivismum* et *subjectivismum*, seu inter doctrinam dogmaticam historicam et scientificam intelligentiam conatus perseverasse in Ecclesia catholica usque ad epocham sic nuncupatæ reformationis, ita ut per ea secula nunquam apud Catholicos scientia et speculatio philosophica velut elementum fidei hostile habita esset. Cum vero reformatio *objectivo* ac *historico* Ecclesiæ dogmati opposuit *subjectivismum* suum, nempe propriam cujusque sentiendi ac speculandi de fide libertatem, tunc Catholici *objectivo* dogmati a Conc. Tridentino adserto unice adhærentes, cœperunt ab omni *subjectiva* ac *philosophica* circa fidem speculatione abhorere, veluti fidei periculosa aut infensa. Ita factum est inter utramque divortium, sic ut ab ætate Concilii Tridentini ad hæc fere tempora magnum in *Ecclesia catholica scientificum silentium* subsequutum fuerit haud exigua scientiæ jactura. Hæc Baltzer, cujus sententiæ

subscribere haud possumus; quippe nullo tempore Ecclesia ab usu recto rationis et philosophiæ speculativæ in rebus fidei animos avocavit; sed tantum abusus licentiosiorum ingeniorum compevit, cavitque, ne per nova philosophiæ systemata identidem prodeantia, si ambiguæ aut periculosæ indolis essent, quidquam fidei immutabilitati et veritati damni inferretur.

(2) Nemo profecto hanc laudem denegabit utrique Soto, Suarezio, Vasquezio, Card. Toletio, Card. De Lugo, Card. Cienfuegos, aliisque pene innumeris, qui non solum *Credo catholicum*, ut cit. Baltzer loquitur, adstruxerunt adversus Protestantes, sed præterea ad ejus speculativam intelligentiam per scientificum processum sese extulerunt, atque ipsi etiam in cælo catholico veluti astra emicuerunt. Quod si theologi *positivi* nuncupati aut *historici*, qui partem apologeticam coluerunt, aliam viam sectati sunt, necessitas eos ad id impulit, cum undique Protestantes fundamenta fidei historicæ evertere admitterentur.

299. Quod si id semper licuit, imo et commendabile fuit, nulla potest subesse ratio, ob quam in præsentia veluti noxium abjiciendum sit, aut ab eo quidquam pertimescendum, dummodo intra fines, quos præstituimus, se contineant ii, qui præter fidem intelligentiam quærent, seu qui scientifica tractatione fidei doctrinam amplificant. Quin etiam illud addimus, et nos in ea proficere et ulterius progredi posse, Patrum exempla consectantes, juxta præclara Vincentii Lirinensis verba: *Sed forsitan dicet aliquis: Nullusne ergo in Ecclesia Christi profectus habebitur Religionis? Habeatur plane, et maximus. Nam quis ille est tam invidus hominibus, tam exosus Deo, qui istud prohibere conetur? Sed ita tamen ut vere profectus sit ille fidei, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsum unaquæque res amplificetur; ad permutationem vero, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat tam singulorum quam omnium, tam unius hominis quam totius Ecclesiæ, ætatum ac seculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia... Fas est etenim, ut prisca illa cælestis philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est, ut commutentur... Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem; sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem (1).*

## DIFFICULTATES

300. Obj. Fides historica omnem prorsus scientificam respuit tractationem; 1<sup>o</sup> illa enim cæcum postulat assensum, hæc vero postulat intelligentiam. 2<sup>o</sup> Hæretici omnium primi scientiam ac intelligentiam dogmatum invexerunt, utpote qui fidei simplicitate minime contenti, ad formas philosophicas fidei Mysteria redigentes, sacrum depositum labefactarunt. 3<sup>o</sup> Hunc sane abusum illis perpetuo exprobrant Ecclesiæ Patres, atque in his Tertullianus, qui exinde hæresum omnium originem repetit (2),

(1) Cap. xxiii, *Commonit.* 1, § 23, *Biblioth. Gallandi*, tom. x.

(2) Lib. *De præscript.* cap. 7 et seq.

et Joan. Chrysostomus, retundens hæreticos, quod semper in ore haberent illud  $\pi\omega\varsigma$ , *quomodo* (1)? Sic reliqui passim (2). 4<sup>o</sup> Quapropter merito S. Thomas toties inculcat, rationis officium circa Mystera mere *negativum* esse, quod scilicet in difficultatum solutione consistat (3). Ergo.

301. Resp. *Neg. ant.* Ad 1<sup>m</sup>, prob. *Dist.* Scientifica tractatio postulat intelligentiam absque detrimento illius assensus, quem fides exposcit, *conc.*; cum ejusdem detrimento, *neg.* Dummodo itaque fides ipsa in omni sua parte, prout ab Ecclesia proponitur, sarta tectaue teneatur, nihil impedit, quominus eluctetur homo majorem, quoad ejus fieri possit, assequi ejusdem intelligentiam. Id unum cavendum est, ne obtentu intelligentiæ aut scientificæ inquisitionis normam ipsam seu fidei objectum sibi quis velit subjicere, fidem ad systema philosophicum revocando, per identitatem philosophiæ ac theologiæ, prout nonnullis non minima fidei jactura contigisse novimus (4).

302. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Hæretici omnium primi scientiam ac intelligentiam dogmatum invexerunt, per substitutionem *subjectivismi objectivæ* et *historicæ* fidei, *conc.*; per meram scientiam ac intelligentiam eorundem dogmatum intra præstitutos fines, *neg.* Id enim fert omnium hæreseon natura, ut privatus sensus Ecclesiæ auctoritati sufficiatur. Detrectantes siquidem novatores omnes se Ecclesiæ magisterio subjicere, fidem *objectivam* temerare aggrediuntur. In hoc autem alii aliam viam inierunt. Pri-

(1) *Homil.* iv, in 1 ad Corinth. u. 1 et 2. Item *Serm.* 11 de incomprehensibili Dei natura, num. 2, et alibi.

(2) Præsertim S. Greg. Nazianz. *Orat.* xxxiv, n. 72 et seqq. opp. edit. Paris. 1630, tom. 1, pag. 559; S. Hilarius, *De Trinit.* lib. x, n. 53, edit. Veron. 1740, tom. 11, pag. 559; Hesyclus, *In Levitic.* lib. 11, capitis vi, pars altera, in *Biblioth. Patr.* Lugdun. tom. xii, pag. 72.

(3) Præcipue p. 1, q. 32, art. 1,

ubi inter cetera scribit: *Quæ fidei sunt, non sunt tentanda probare, nisi per auctoritatem his, qui auctoritatem suscipiunt. Apud alios vero sufficit defendere, non esse impossibile quod prædicat fides.*

(4) Posset hic etiam commemorari satis recens exemplum scriptoris germanici F. Baader, qui ex speculatione sua scientifica, mysticismo nescio cui admixta, adeo progressus est longe, ut fidei doctrinam læserit, ac omnes recte catholicos a se averterit.



mis quippe Ecclesiæ seculis nonnulli aut nimium judaismo addicti, aut ethnicorum fabulis, aut variis demum philosophorum placitis, adnisi sunt hæc ipsa in christianismum transferre, et hac ratione fidei doctrinam corrumpere ac temerare. Hac ergo de causa in novatores illos insurrexerunt Patres, eorumque temeritatem merito damnarunt (1). Idem vero insequentibus seculis contigit, uti in Abaëlaro patuit, contra quem acriter depugnavit S. Bernardus (2).

(1) Cfr. Petav. *De theolog. disciplinis*, tom. 1, cap. 3, § 2 et seqq.

(2) Exemplum Abaëlarum eo notabilius est, quod ipse auctoritatem Ecclesiæ in rebus fidei decernendis nunquam negarit. *Si quid est divinorum Mysteriorum quod intelligere non valemus, Spiritui, per quem scripta sunt, docenda potius reservamus, quam temere definiamus.* Ita ipse in *Prol.* ad opus cuius titulus *Sic et non*. Attamen cum revera ad fidei Mysteria non tam illustranda, quam demonstranda subtilibus humani ingenii rationibus ita uteretur iisque fideret, ut fidem ipsam *æstimationem* (quasi *opinionem*) appellaret, quam ratio humana certam ostendere deberet, merito subtilioris theologiæ rationalismi parens est habitus. Ex quo patet, satis non esse Ecclesiæ magisterium agnoscere, ad rationalismi scopulos declinandos, si quis ratione interim sua abutitur in rebus fidei; eosque, qui ad speculativam intelligentiam dogmata fidei conantur evehere, si nimis proprio ingenio ac phantasie indulgeant, in rationalismum aliquem dilabi facile posse. Cæterum haud recte Prof. Cousin, *Ouvrages inédits d'Abélar, pour servir à l'histoire de la philosophie scholastique*, etc. Paris 1836,

Introd. § 4, scribit: *En théologie il mit de côté la vieille école... qui exposait sans expliquer, et fonda ce qu'on appelle aujourd'hui le rationalisme. Abélar a essayé de se rendre compte de la seule chose qu'on pût étudier de son tems, la théologie... a entrepris de transporter la raison dans l'autorité.* 1° Enim falsum est, quod *res fidei explicare*, earum *rationem reddere*, *rationis usum in iis adhibere*, si quidem id rite fiat, *rationalismum* constituat. 2° Falsum præterea, hæc omnia primum ab Abaëlaro præstita in theologia fuisse; quippe jam sæculo XI exeunte Anselmus Cantuarien. ingenia theologorum ad id vehementer excitavit, ac *scholasticæ* fundamenta jecerat, hoc veluti principium constituens: *Sicut rectus ordo exigit, ut profunda christianæ fidei credamus, priusquam ea præsumamus ratione discutere, ita negligentia mihi videtur, si, posteaquam confirmati sumus in fide, non studemus, quod credimus intelligere.* *Cur Deus homo*, cap. 2. Illud igitur Anselmum inter et Abaëlarum et utramque scholam erat discrimen, quod ille pro fundamento habebat *credo ut intelligam*, iste vero quærebat *intelligere ut crederet*. Cfr. *Prosolog.* cap. 1.

303. Ad 3<sup>m</sup>, *Dist.* Ob pravum hæreticorum abusum in fidei deposito labefactando, *conc.*; ad omnem legitimum usum eliminandum, *neg.* Id sane patet, 1<sup>o</sup> ex eo quod iidem Patres philosophicas disciplinas excoluerint, atque in usus proprios adsciverint (1); 2<sup>o</sup> ex summis laudibus, quibus identidem Patres ejusmodi stûdia commendarunt (2); 3<sup>o</sup> ex ratione ipsa, quam tenuerunt in hæreticis illis perstringendis, quod platonica aut aristotelica scita substituissent Christi doctrinæ, aut saltem eandem doctrinam ita ad placita philosophica accomodassent, ut divina Salvatoris doctrina in mere philosophicam commutaretur. Satis enim est vel leviter objecta Patrum testimonia inspicere, ut pateat, quænam fuerit occasio objurgationum illarum et scopus (3). Quo re ipsa sensu Plato et Aristoteles hæreticorum parentes nuncupati sunt ac præformatores, eorumque philosophia hæreseon omnium promptuarium appellata (4).

304. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* In ordine ad rigorosam demonstrationem et comprehensionem Mysteriorum, *conc.*; in ordine ad aliqualem saltem intelligentiam, *neg.* Dum Angelicus doctor solum officium *negativum* rationi videtur adscribere, demonstrationem proprie dictam Mysteriorum fidei instituendam ex rationis prin-

(1) Cfr. Petav. *ibid.* cap. 4.

(2) Plura conguessit hanc in rem Petav. Patrum testimonia, Clementis præsertim Alexandr., Gregorii Nazianzeni et Nysseni, Basilii, Ambrosii, Augustini aliorumque, quæ cit. cap. 4 recoli possunt.

(3) Sane hæc inter cetera scribit Tertullianus, loc. cit. : *Quid ergo Athenis et Hierosolymis? Quid academiæ et Ecclesiæ? Quid hæreticis et christianis? Nostra institutio de porticu Salomonis; qui et ipse tradiderat, Dominum in simplicitate quærendum. Viderint, qui Stoicum et Platonicum et dialecticum christianismum protulerunt.* S. Ambrosius, in Ps. cxviii,

*serm. xxii, n. 10 : Elaborandum est igitur... ne quis adsertionem nostram per philosophiam deprædetur. Sic enim Arianos in perfidiam ruisse cognovimus, dum Christi generationem putant usu hujus sæculi colligendam. Reliquerunt Apostolum, sequuntur Aristotelem. Reliquerunt sapientiam, quæ apud Deum est; elegerunt disputationis tendiculas et aucupia verborum secundum dialecticæ disciplinam.* En quo sensu Patres philosophiam in rebus fidei damnaverint.

(4) Cfr. Petav. loc. cit. cap. 3, § 2 et 3. Plura etiam hanc in rem tibi supeditabit Nebridius a Mündelheim, can. regul. in op. *Philosophia S. Augustini*, seu *Philosophia christiana*, Viennæ 1654, præf. cap. 2, 3 et 8.

cupiis excludit, plenamque eorumdem Mysteriorum comprehensionem; quæ quidem verissime statuit, cum utrumque absonum omnino sit. At nusquam illam excludit intelligentiam ac scientificam cognitionem, quam nos adstruimus; imo non uno in loco contrarium aperte docet (1).

## ARTICULUS II.

### *De abusu rationis post fidem.*

305. Rationis post fidem abusum vocamus illam agendi perversitatem; qua quis contendit, non rationem fidei ab Ecclesia tanquam infallibili auctoritate prædita propositæ, uti par est, esse subjiendam; sed fidem *objectivam* subjiendam esse rationi, ita ut ratio cujusque individualis, seu potius *spiritus privatus* sit norma princeps, imo unica, independens et absoluta ipsius fidei, quæ tota proinde *subjectiva* efficitur. Tales porro sunt

(1) Reipsa S. Doctor 2. 2, q. 2, art. 1, in corp. *Actus iste, inquit, qui est credere, habet firmam adhæSIONEM ad unam partem, in quo convenit cum sciente et intelligente; et tamen ejus cognitio non est perfecta per maximam visionem, in quo convenit cum dubitante, suspicante et opinante; et sic proprium est creditis, ut cum assensu cogitet.* Et q. 8, art. 8, ad 2: *Fides non potest universaliter præcedere intellectum. Non enim posset homo assentire credendo aliquibus propositis, nisi ea aliquantulum intelligeret.* Porro istud *intelligere* non assumit Angelicus de aliqua tantum extrinseca cognitione, sed de intellectione intima objectorum propositorum, ut patet ex iis, quæ scribit, ibid. art. 1, in corp.: *Nomen intellectus quamdam intimam cognitionem importat; dici-*

*tur enim intelligere quasi intus legere.* Et in resp. ad 3: *Intellectus, inquit, nominat quamdam excellentiam cognitionis penetrandi ad intima, nempe eorum quæ revelantur. Loquitur siquidem de intellecta, prout est donum gratiæ, quod perficit naturam.* Demum ibid. ad 2, quærens, quare ejusmodi *perfectio* dici potius debeat *intellectus* quam *ratio*, respondet: *Ista superadditio non dicitur ratio, sed magis intellectus; quia ita se habet lumen superadditum ad ea, quæ nobis supernaturaliter innotescunt, sicut se habet lumen naturale ad ea, quæ primordialiter cognoscimus.* Sed cfr. de hoc argumento Falletti, can. reg. *Lo studio analitico della religione*, Roma 1827, part. III, tom. II, *Discorso preliminare*, tum cap. 6, ubi copiose rem hanc discutit.



Protestantes, et qui ab iis progeniti sunt rationalistæ ac mythici. Cum vero Protestantes, saltem qui *orthodoxi* audiunt, procul rationalistas ac mythicos repellant, imo et confutare istorum systemata nitantur, duo a nobis hic effici debent, *primo* scilicet ostendere debemus, rationem ab auctoritate fidem *objectivam* omnino adsciscere debere; *secundo* evincere, rationalismum, ac propterea ejusdem modificationem, mythicismum, necessario ex intima natura ac essentia Protestantismi effluere, seu quod idem est, nullum dari medium, si *logice* ac *historice* etiam res consideretur, inter Catholicismum ac totius Christianismi destructionem. Quæ quidem insequentibus propositionibus efficere aggredimur.

#### PROPOSITIO I.

*Nequit humana ratio se ipsam unicam fidei regulam constituere, quin fidem destruat, quæ ab auctoritate pendet.*

306. Crimen hoc est hæreticis omnibus commune, qui se extollere ausi sunt contra auctoritatem divinitus institutam, Ecclesiam Christi videlicet, ut custos esset ac vindex depositi revelationis, immo etiam ut magistra esset infallibilis, ac proinde regula fidei proxima credendorum et agendorum; ita ut seipsos seu rationem individualement tanquam fidei normam ac regulam substituerint. Nulla tamen secta usque ad novatores seculi XVI in principium formale erexit independentiam absolutam, rationis a quavis auctoritate. Lutherus omnium primus libertatem examinis proclamavit, eamque veluti characteristicam notam, imò constitutivam Protestantismi ejusque basim posuit. Porro principium istud fidei omnino eversivum esse perfacile ostendimus.

307. Ex suo loco demonstratis Christus Ecclesiæ a se conditæ universum commisit revelationis depositum, eique prædicationem commendavit doctrinæ suæ; in hunc finem infallibilitatis dote eam communit, ut rite jugiter fungeretur munere, quod ei demandavit; ut autem fidem apud gentes omnes obtineret,

virtute signorum eamdem instruxit (1). His freta præsiidiis, Ecclesia Evangelium universis gentibus annunciavit ac annunciat. Harum officium fuit ac est motiva expendere credibilitatis, de quibus cum ipsis constiterit, nil aliud superest, quam adspirante divina gratia credere iis omnibus ac singulis, quæ ab Ecclesia credenda proponuntur. Quivis alius processus alogicus est; siquidem in propositione Ecclesiæ duo illa habentur, quæ ad rite credendum requiruntur et sufficiunt, motivum scilicet formale et regula proxima credendorum, quorum alterutrum si desit, nulla vera concipi fides objectiva potest. Per motivum namque formale quisque cognoscit, non posse subesse falsum iis, quæ Deus revelaverit; per regulam proximam unusquisque pariter certus fit hunc vel illum articulum, omnesque etiam fidei articulos collective sumptos esse a Deo revelatos.

308. Jam vero qui, abjecta hac regula infallibili solaque tuta, sibi jus arrogat expendendi, secernendi, judicandi revelationis objecta, ut inde ratione individuali ceu norma ac duce decernat, quid fide divina credendum sit, quid vero ab articulorum fidei censu sit respuendum, is universum fidei systema labefactat ejusque veluti œconomiam. Evertit enim illud 1<sup>o</sup> quoad ipsum revelationis depositum, seu regulam remotam, quæ ex Scriptura ac Traditione exurgit; siquidem anceps hæere debet circa Scripturarum canonem, earundemque integritatem, sensum dogmaticum, sensumque traditionalem (2); 2<sup>o</sup> evertit quoad singula dogmata, quippe a se unice pendet determinare, quænam vera, quænam autem adscititia habenda sint; 3<sup>o</sup> evertit quoad firmitatem ac unitatem fidei, cum omnino unicæ *subjectivæ* persuasioni inniti debeat; hæc autem varia pro uniuscujusque affectione necessario cum sit, necesse prorsus est, ut omnia nutent, omnia fluctuent, ac in perpetua varietate et transitu posita sint, ex quo omnis dissolvatur unitas, horribilis inducatur confusio, donec fides ac ipsa fidei notio penitur intereat (3).

(1) In hujus tract. part. I, sect. I, cap. IV.

hujus tract. part. II, sect. I, cap. I et seqq.

(2) Recolantur, quæ scripsimus in

(3) Præter ea, quæ passim hac de

309. Possemus equidem hæc omnia facto ipso historico protestantismi tum *successivi* tum *simultanei* confirmare; verum partim de his egimus (1), partim in insequenti propositione de hoc ipso nobis erit agendum. Interim luculenter ex dictis colli-

re scripsimus tum in hoc, tum in tract. *De vera relig.* part. II, prop. VII et IX, juverit hæc confirmare ex statu présente religionis in Borussia, quæ est pædium protestantismi. En quid scribat testis oculatus ad redactorem ephemerid. *L'Univers*, die 18 Jul. 1841 : *Berlin est le centre de la science protestante, qui, comme vous le savez, croit être arrivée au point de se trouver non seulement indépendante de toutes croyances religieuses, mais encore bien au-dessus de toute vérité révélée... La philosophie de Berlin prétendait que la raison humaine était parvenue à un degré de développement et de maturité, qui la mettait en état de parvenir par ses propres forces à la connaissance de toutes les vérités, que l'homme avait autrefois acceptées comme venant d'une source supérieure, et lui étant communiquées par la révélation. Elle soutenait que la raison humaine pénétrait bien plus dans l'intelligence la plus intime de ces vérités, que ne l'auraient jamais pu faire les hommes qui, étant éclairés eux-mêmes d'une lumière surnaturelle, avaient tâché de les expliquer. La religion et la philosophie, disait-elle, ont le même objet, mais la seconde est bien supérieure à la première, parce qu'elle arrive par elle-même à la conception claire et évidente des principes de toutes choses, principes que la religion ne fait qu'indiquer d'une manière obscure et voilée. Ces idées ont été adoptées par la plupart des hommes distingués et savans de Berlin; voilà ce qui explique pourquoi ils n'expriment ni*

*haine ni aversion pour ceux qui tiennent encore à des doctrines religieuses positives; ils prennent ces hommes en pitié, tout en honorant en eux leurs bonnes intentions. Vous avez encore besoin d'une religion révélée, d'un culte extérieur, de cérémonies, vous disent-ils, c'est très-bien, nous comprenons parfaitement l'état dans lequel vous vous trouvez, car nous y étions aussi; mais vous en sortirez peut-être, si vous pénétrez plus avant dans les études philosophiques, si la lumière de la science éclaire enfin votre raison... Le mouvement des esprits en Europe, ou pour mieux dire dans le monde tout entier, vers la religion catholique, vers l'Eglise, mouvement que l'on n'ignore pas à Berlin, est considéré dans cette ville comme quelque chose de bien inférieur à ce développement intellectuel, auquel tout est subordonné en Prusse, comme un état transitoire par lequel l'humanité passera pour arriver au faite atteint déjà par les philosophes prussiens. Jamais orgueil scientifique et intellectuel n'a été poussé plus loin. Il a aveuglé les hommes les plus intelligens et exercé une fâcheuse influence sur la direction des affaires intérieures en Prusse. Plura etiam ac singularia anecdota cfr. in op. *De la Prusse et de sa domination sous les rapports politiques et religieux*, Paris 1842, *Partie religieuse*, chap. 3, sect. première, pag. 342 et seqq.*

(1) In tract. *De vera Religione*, loc. cit.



gitur, actum prorsus de fide objectiva ac historica esse, ubi ratio se ipsam unicam fidei regulam semel constituerit, cum munus ejus sit se tanquam pedissequam auctoritati subjicere eique ancillari.

## DIFFICULTATES.

310. Obj. 1<sup>o</sup> Protestantismus suam adhuc religiosam retinet formam, vita adhuc et vigore pollet, crescit in dies, viresque exerit validiores, nec desperat, se cito *justa magno cultui* esse persoluturum (1). 2<sup>o</sup> Etenim non aliam profitetur fidem, præter eam quam biblica volumina exhibent, hominum commentis rejectis. 3<sup>o</sup> Nec tamen putandum est, juxta Protestantismi systema, homines ex se sola naturali ratione veritates supernaturales promere ex Bibliis, sed interiore divina Spiritus sancti inspiratione freti juxta divina promissa (2). 4<sup>o</sup> Neque ad divinum hunc spiritum, interius veritatum omnium magisterium obtinendum humano conatu, aut oratione, aliisve adminiculis opus est; siquidem Deus hominem invadit, eique substantialiter conjungitur; cum individuo quolibet nova quædam fit divini Verbi incarnatio; et quemadmodum *Logos* humanitatem Salvatoris assumpsit absque hujus cooperatione, sed *passive* tantum se habentis, sic individua singula assumit, pervadit ac penetrat, imo cum ipsis identificatur, ea movet, regit ac infallibilia efficit. Ex quo patet, longe tutiorem Protestantem esse in fide sua, quam quilibet Catholicus possit, qui nonnisi *accidentalem cum* Deo unionem profitetur una cum incerto *synergismo* seu libera divinæ motioni cooperatione (3). 5<sup>o</sup> Tantum igitur abest, ut protestantismus auctoritatem rejiciendo amittat fidem, ut supremo potius gradu illam possideat. Ergo.

(1) Ita passim in publicis ephemeridibus, quas ipsi evulgant. Vide *l'Univers* 9 Julii 1842, ubi Protestantes, disserentes de Ecclesia catholica, hac phrasi utuntur: *Cette Ilion vaincue qu'on appelle l'Eglise.*

(2) Cfr. Baudry, in op. cit. *Gémis-*

*sement d'un cœur catholique*, pag. 71 et seq.

(3) Ita fere recentes protestantismi mystici sectatores, qui Berolini præsertim suam habent sedem, Hengstenbergo duce.

311. Resp. Ad 1<sup>m</sup>, *Dist.* Protestantismus adhuc formam suam retinet *negativam*, *conc.*; *positivam*, *neg.* Persistit scilicet Protestantismus in natura ac forma sua *negativa*, quæ nil aliud est nisi perpetua protestatio adversus legitimam auctoritatem ac fidei veritates, quas in sua perduellione negavit. Hoc certe sensu profecit ille plurimumque profecit, cum fidem paulatim corroserit ac peremerit universam. Hoc item sensu vita idem ac vigore pollet, ea nempe vita, quæ tota se prodit in fide catholica persequenda, quo fit ut nulli parcat labori, nulli fraudi, mendacio nulli, ut eam, si quidem fieri posset, subruat atque convellat. Cum proinde inferi portæ sibi semper victoriam polliceantur adversus Dominum et adversus Christum ejus, quid mirum, si stolidi hac inanique plane spe Protestantismus alatur atque soletur, de parentalibus quamprimum *magno cultui*, Ecclesiæ nimirum catholicæ persolvendis? Ast cum cum æterna veritas, Christus, de Ecclesia a se super Petrum fundata pronunciaverit: *Et portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, allidet profecto se protestantismus ad hanc petram, et confringetur et conteretur et comminuetur (1). Sane nulla fortasse alia extitit ætas, quæ et Ecclesiæ firmitas, et protestantismi infirmitas, immo vero absoluta impotentia pateret magis, quam in præsentem, quum Ecclesia præsidii omnibus temporalibus fere destituta propriisque relicta viribus, obnitenteque, contra ipsam universali quadam conspiratione, tamen non tantum subsistit, sed vitam viresque suas sic exerit, ut vix alias adeo exeruerit; contra vero protestantismus in dies magis dissolvitur et ad interitum vergit (2).

(1) Præclare omnino invictus Episcopus ac martyr Joan. Roffensis his verbis jam ætate sua configebat Lutherum et lutheranos similia effutientes, quæ nos Calvino et calvinianis ac protestantibus omnibus seu hæreticis eujuscumque denominationis aptamus: *Huc adsis et tu, Luthere, cum lutheranis omnibus tuis, et omnia studia vestra in unum conflata, neque unquam efficietis, quin vera prædixerit Christus,*

*nempe quod super petram, hoc est, Petrum ædificaturus esset Ecclesiam; stat contra vos hæc auctoritas invicta, quæ etiam de vobis triumphat et triumphabit.* Apud Schelstrate, *Antiquit. eccles.* tom. II, diss. 2, cap. 6, art. 1, n. II.

(2) Ne vero hæc exaggerata a nobis videantur, præstat documentis firmare ex auctoribus ipsis protestantibus desumptis. Porro D. Macaulay, protestans anglicanus, in suis *Considerationibus*

312. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Et hac proprie de causa fidem omnem *objectivam* amisit protestantismus, *conc.*; veram profitetur fidem, *neg.* Etenim, præterquam quod et ipsa sacra Biblia articulum fidei constituunt, quem non nisi ab Ecclesia, ut suo loco osten-

*super historiam pontificatus romani* a prof. Leopoldo Ranke adornatam, quas exhibet in *Revisione Edimburgensi*, fasc. mensis Octob. 1840, fatetur, 1<sup>o</sup> Ecclesiam Romanam recuperasse *dimidiam* saltem partem eorum, quos amiserat per reformationem; 2<sup>o</sup> majus nunc seu magis extensum esse dominium pontificatus Romani, quam unquam quovis extiterit alio seculo; 3<sup>o</sup> superare sectas omnes christianas, etiam collective sumptas; 4<sup>o</sup> affirmat, se nullum signum cernere imminutionis catholicæ Ecclesiæ; 5<sup>o</sup> Immo vero prævidet futuram subsistentiam ejusdem Ecclesiæ super ruinam patriæ suæ; 6<sup>o</sup> denique, ceteris omissis, agnoscit, Ecclesiam hanc pleno vigore pollere, novosque jugiter progressus facere. Brevitatis causa verba ipsius auctoris prætereo. Cfr. *Annali delle scienze relig.* vol. XIII, n. 37, *Luglio e Agosto* 1841. In *Ephem. Univers*, 10 Mars 1842, legitur: *D'après une note que nous (L'institut catholique, publié à Lyon) avons publiée en 1831, et que nous empruntons à M. Ozanam, qui lui-même se basait sur les calculs de Malte-Brun, auteur protestant, l'accroissement des Catholiques, comparativement à l'époque de Luther, serait de 35 millions, et depuis 1831 il a dû s'augmenter beaucoup.* In sola provincia Genevensi, ex confessione protestantis Baumgarten ab anno 1822, dum Protestantes per singulos annos creverunt in proportione 2 ad 100, Ca-

tholici creverunt in proportione 72 ad 100. Cfr. *ibid.* 8 Mars 1842. Possem plura alia adjicere; ne tamen prolixus nimis sim, hæc sufficiant. Cfr. *Tableau général des principales conversions, qui ont eu lieu parmi les Protestans et autres religionnaires depuis le commencement du XIX<sup>e</sup> siècle*, par l'ab. Rohrbacher, 2<sup>o</sup> edit. Paris, 1841. Noti sunt progressus Catholicismi in Anglia, in Hollandia, America, etc. Et tamen stultuli illi Protestantes, qui quotidie diffuunt, confidunt se *quamprius* exequias celebraturos *magni cultus*, glorianturque de *Illo devicto!* Quod vero spectat ad fraudes et vexationes Protestantium adversus Ecclesiam catholicam, legi omnino debet opus cit. *De la Prusse et de sa domination*, Paris 1842, *Partie religieuse*, sect. 2, *Du Gouvernement prussien vis-à-vis des Catholiques.* — *Nécessité pour le gouvernement prussien de recourir contre le Catholicisme à des moyens indirects; énumérations de ces moyens:* 1<sup>o</sup> *Organisation religieuse militaire;* 2<sup>o</sup> *Organisation religieuse de l'instruction publique;* 3<sup>o</sup> *Fonctionnaires publics et mariages mixtes;* 4<sup>o</sup> *Législation religieuse.* Omni ratione nititur Gubernium Borussicum opus hoc supprimere, ac efficere ut oblivioni detur. De Russia nihil attinet dicere, cum ejus vexationes in Catholicis nimis notæ sint. Cfr. op. *Persécutions et souffrances de l'Eglise catholique en Russie*, Pa-



dimus (1), Protestantes habere possunt, ad eum plane modum fidem suam protestantismus ex sacris Bibliis hausit, quo inde Gnostici, Manichæi, Sabelliani, Ariani, Nestoriani, etc. hauserunt antiquitus, nunc vero hauriunt Sociniani, Methodistæ, etc. qui scilicet professi sunt et profitentur omnes, se fidem suam ex sacris Bibliis unice arcessere, commentis Ecclesiæ catholicæ, id est Romanæ, repudiatis. Attamen omnes hæretici vel increduli fuerunt aut sunt, cujusmodi pariter est protestantismus hæreseon omnium viridarium.

313. Ad 3<sup>m</sup>, *Dist.* Id est, nonnullorum Protestantium, *conc.*; omnium, *neg.* Mira semper et viguit et viget circa instiusmodi systema interioris inspirationis individualis varietas inter Protestantes, quam jamdiu expendimus (2); cum igitur alii illud admittant, rejiciant alii, alii vero iisdem Scripturæ textibus innixi temperent pro lubitu varieque adornent (3), quis non videat, totum istud systema, cui tantopere sidebant Protestantes, stultum plane se prodere?

314. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Ita ut et in hoc systemate novum habeatur nutationis protestantismi argumentum, *conc.*; veritatis, *neg.* Quondam Protestantes, inhærentes Lutheri doctrinæ de homine substantialiter per originalem noxam foedato, ac de perseverantia concupiscentiæ etiam in renatis, quæ *formalis* peccati rationem habeat, immensum, ut ita dicam, Deum inter et hominem posuerunt intervallum (4); accusabant propterea Catholicos, eo quod gratiam sanctificantem animæ justî *inhærentem* esse docerent, adeo ut illi hoc nomine fuerint a Tridentino damnati (5). Nunc

ris. 1842; item *Allocuzione della Santità di nostro Signore GREGORIO PP. XVI, al sacro collegio nel concistoro segreto del 22 Luglio 1842, seguita da una esposizione corredata di documenti sulle incessanti cure della stessa Santità Sua a riparo dei gravi mali da cui è afflitta la Religione cattolica negl' imperiali e reali domini di Russia e Polonia, Roma 1842, et Journ. hist et litt. de Liège, t. IX, pag. 222 et seq.*

(1) Supra part. II, sect. I, cap. I, prop. I et II.

(2) Ibid.

(3) Cfr. Baudry, op. cit. *Gémissements d'un cœur catholique*, pag. 74, 75, ubi documenta afferuntur.

(4) Vid. quæ scripsimus in tract. *De gratia*, part. II, cap. I.

(5) Sess VI, can. XI.

vero recentiores Protestantes, ad *mysticismum* ac *pietismum* nescio quem dilapsi, adeo arctam contendunt unionem esse Dei cum homine justo, ut *substantialiter* Deum cum eo conjungi, imo et cum eo fere substantialiter identificari autument, totidemque fieri veluti *incarnationes*, quot justii efficiuntur. Objurgant proinde Catholicos, quod nimiam Deum inter et hominem distantiam collocent, dum nonnisi *accidentalem* unionem propugnant inter Dei gratiam et animam justii (1). Nimirum semel ac via veritatis deseritur, prona est ac præceps ad opposita extrema prolapsio; *Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.*

315. Ad 5<sup>m</sup>, *Dist.* Nempe eo ipso quod recens protestantismus supremo gradu fidem se possidere jactat, omni fide destitutus est, *conc.*; vere fidem possidet, *neg.* Possidet enim *subjectivum fanaticismum*, qui novas identidem formas assumet, cum nova quæque apud illum theoria prævaluerit. Fides protestantismi, si hoc uti nomine velimus, semper *temporalis* est, ac proinde nulla, quandoquidem jugiter pendet ab hominum adinventis, quæ eum dextrorsum aut sinistrorsum trahunt, haud secus ac in amplis Africæ desertis magni illi arenarum cumuli, qui, prout a ventis agitantur et compelluntur, et sedem immutant, et novas perpetuo formas assumunt.

## PROPOSITIO II.

*Ab essentiali protestantismi constitutione ac natura necessario profluit rationalismus, seu*

*Si protestantismus est verus, falsus est christianismus.*

316. Protestantismus, qualis a Luthero primum prodivit, bifariam spectari debet, tum nempe in essentia, seu natura et constitutione sua, tum in sua forma exteriori et accidentali; sub

(1) Recolantur, quæ nos superius adnotavimus de hac Dei cum homine conjunctione per *charitatem diffusam* in cordibus nostris, n. 130, ubi,

quo sensu, juxta plurium theologorum sententiam, dici possit hujusmodi unio *substantialis*, explicavimus.



priori respectu *rationalisticus* plane fuit, ac talis prodivit vel ab ipsa origine sua; sub posteriori respectu *supernaturalisticus* extitit.

317. Duo porro ad propositionis nostræ veritatem evincendam a nobis præstanda sunt, primo quidem rationalisticum essentia ac natura sua protestantismum esse, adeoque rationalismum necessario ac sua veluti sponte debuisse ex eo promanare et evolvi; secundo per rationalismum pessumdari prorsus totumque everti christianismum, seu Religionem christianam. Utrumque poro *jure et facto* seu *theoretice et practice* facile ostenditur.

318. Ac primo quidem protestantismi super terram apparitio *supernaturalis* in speciem fuit, Bibliis videlicet innixa ac veluti pallio *symbolorum* contacta. Si principium tamen, ex quo prodivit in lucem, si spiritum, qui intus alebat totamque agitabat molem, consideres, hæc nonnisi rationalistica fuerunt. Sane Lutherus, rejecta penitus infallibili Ecclesiæ auctoritate, suffecit eidem spiritum suum privatum, seu ut modo loqui adamant, rationem suam individualem, veluti normam ac judicem tum in critica biblica, tum in exegetica, tum in dogmatica, proclamavitque, ut sæpe diximus, principium libertatis et examinis in Religionis negotio. Jam vero in hoc proprie natura ac vis consistit rationalismi, qui profitetur, rationem principem normam esse credendorum et agendorum, ita ut ista ex proprio fundo statuere debeat, judicare ac discernere, quid sentiendum sit de Bibliis eorumque valore, nec non de eorundem sensu, ut inde eruat, quid sit in Religione tenendum. Absque hac substitutione nunquam enatus esset protestantismus, imo ne concipi quidem posset (1). Spectata igitur natura ac essentia, protes-

(1) Id vidit vel ipse auctor protestans cit. *Histoire critique du rationalisme en Allemagne*, nempe Amand Saintes, qui, pag. 7 scribit: *Quoiqu'il soit vrai de dire, logiquement parlant, que les principes du rationalisme se confondent avec ceux du protestantisme, ou du moins qu'ils en découlent, et que l'établissement de la réformation devait ame-*

*ner inévitablement le rationalisme, etc.* Et iterum, pag. 439: *On a vu comme le rationalisme est sorti tout naturellement de la réformation, telle que l'ont faite Luther et ses collaborateurs; c'est le fruit qui était enfermé dans le bouton, dont l'arbre de la réforme devait se parer, à moins que l'arbre ne fût coupé avant son développement.*



tantismus non est nisi rationalismus, larvatus tamen supernaturalismo, qui per Biblia et symbola, seu fidei professiones statuebatur. Et hæc quidem *jure*.

319. *Facto* porro, prout secundo loco proposuimus, rationalismum ex protestantismo progenitum esse atque ad perfectionem adductum, constat ex historia. Protestantismus enim in auctore ac parente suo veluti *personificatus* est; quoniam vero Lutherus, vi principii a se constituti, uti criticus in Bibliis expunxit librorum partem e censu canonicorum, ac proinde divinitus inspiratorum (1); uti exegata talem Scripturis sensum subjectivum affinxit, quem sibi in illis deprehendere visus est; uti dogmaticus illos excogitavit articulos, qui proprie lutheranam doctrinam constituunt de peccata originali, de amissione liberi arbitrii, de sola fide justificante, etc.; exinde rationalismus in triplici sua forma *critica*, *exegetica*, *dogmatica*, veluti ex germine arbustum, quod postea in arborem crevit omnesque fructus suos protulit, evolutus est.

320. Rationalismus *criticus* a libris deuterocanonicis ad protocanonicos progressum fecit, ac unum post alium suis, quibus inscripti erant, auctoribus abjudicavit tum Veteris tum Novi Testamenti libros (2). Inspirationem penitus abjecit, spectavitque

(1) Recol. quæ superius habentur, part. II, sect. 1, cap. 1.

(2) Cfr. ibid. Porro Protestantes *orthodoxi* adnisi sunt impugnare Strausium (qui inficiatus est authenticitatem quatuor Evangeliorum, contendens, ea nonnisi post centum annos a Christi morte conscripta esse) ex conformitate Evangeliorum cum actibus Apostolorum. Atqui vix elapsus annus erat a publicatione *Vitæ J. C.*, quum professor Tubingensis quæstionem proposuit, utrum critica *nihil* adhuc *posset* super Acta apostolica et in epistolas Pauli? Hinc ipse cœpit expungere postrema capita, in quibus iter Apostoli

Pauli Romam refertur, et interim promittit, sive a se, sive ab aliquo alio citius serius submissum iri critico examini tum Acta Apostolorum tum epistolas omnes Apostoli, nempe ad ea expungenda e numero authenticorum scriptorum. Primam epistolam ad Timotheum omnino Schleiermacher rejicit ex canone; cfr. ejus epist. *Ueber den sogenannten ersten Brief*, etc. seu *De sic nuncupata prima epistola Pauli ad Timoth.* Berol. 1807. Wilcke negat, Evangelia Matthæi et Joannis ab his Apostolis fuisse conscripta, ac dum Straussio se opponit, in pluribus convenit cum ipso. Cfr. *Hist. crit.* etc.

hos libros uti opera ac monumenta humanæ rationis sese alacriter evolventis (1), erroribusque tamen omnigenis adpersa (2).

321. Rationalismus *exegeticus* eventus omnes supernaturales naturali prorsus modo exposuit, vel ad mythos historicos aut poëticos aut historico-poëticos relegavit (3); Mysteria aut in Scripturis reperiri negavit, aut tanquam *æsthetica symbola* habuit ac uti *præsensiones* quasdam *religiosas* (4); id est, miracula, vaticinia, Mysteria plane sustulit e medio (5).

322. Rationalismus *dogmaticus*, perficiens *epurationes*, ut vocant, opus a Luthero inceptum, omnia et singula temporis progressu corrosit; inficiatus siquidem est divinitatem Christi Jesu, eumque inter sapientes seu Gnosticos aut Esseuios connumeravit (6); totam evertit satisfactionis ac redemptionis œcono-

pag. 193. Twesten affirmat, nondum clausum esse canonem Scripturarum. Cfr. op. cit. pag. 226 et seqq. Gfrörer negat valorem historicum trium Evangeliorum *Synopticorum*. Ibid. 191.

(1) Præter superius dicta loc. cit. cfr. quæ scripsimus de systemate Hegeliano.

(2) Juxta Semlerum ætate Christi duæ factiones erant inter se contrariæ, gnostica et judaica; Christus venit ad eas conciliandas; hinc cum inveniretur in factione judaica, affectabat Moysi obsequium conciliare; cum vero in factione gnostica reperiretur, surgebat adversus gentis suæ præjudicia. Post Christi mortem Petrus se declaravit pro factione judaica, Paulus pro gnostica. Quatuor Evangelia, quæ supersunt, favent factioni judaicæ; quæ referebant Christi sermones in favorem factionis gnosticæ, perierunt, si excipias illud Marci (hæretici gnostici). Epistolæ Pauli favent gnosticismo. Epistolæ catholicæ Petri et Jacobi scriptæ sunt ad fusionem operandam utriusque factionis. Cfr.

cit. *Hist. critique*, pag. 141, 142 et seqq.

(3) Recol. superius dicta part. II, sect. I, cap. II.

(4) Ita De Wette, ibid. pag. 381.

(5) Ita Eichhorn, Gabler, Paulus, Bauer. Exinde Scherer damnavit omnes Prophetas veluti totidem *impostores*, ita ut sine ipsis vera fides melius faisset in terris constabilita. Ibid. 214 et seqq. Ex quo optime concludit Starkius, in suo *Convivio Theoduli*, pag. 134, protestantismum hac ratione tollere e medio omnes probationes christianismi.

(6) Cfr. Egregii articuli recentis collectionis periodicæ, quæ in Hollandia vulgatur sub titulo *De Katholiek*, etc. seu *Catholicus*, *Ephemeris religiosa, historica et litteraria*, Jan. 1842, art. I, *Status Protestantismi*, pag. 8. Röhr, in suis epistolis super rationalismo, spectat Christum ut hominem ordinarium, quin necesse sit recurrere ad eventus supernaturales ad ejus nativitatem explicandam. Cfr. *Hist. critiq.* pag. 278.

miam; Christi resurrectionem et in cœlum adscensum, futuramque proinde corporum resurrectionem ac finale iudicium veluti accommodationem judaicis locorum præjudiciis traduxit (1); Apostolorum doctrinam tanquam inutile ac perniciosum doctrinæ Christi additamentum spectavit (2); Baptismum denique ac Cœnam, præter Sacramenta reliqua, veluti ritus mere symbolicos aut mnemonicos adscivit (3).

323. Et hæc quidem rationalismus *vulgaris* nuncupatus (4); rationalismus siquidem *gnosticus* seu *sapiens* ac *intelligens*, ulterius progressus, non modo symbolismum omnem (fidei confessiones) e medio sustulit, sed Kantii, Schellingii, Hegelii aliorumque transcendentalium philosophiam amplectens, eam in religionem invexit atque utramque simul permiscuit. Effectus porro hujus adoptionis extiterunt identitas philosophiæ ac religionis, destructio omnimoda christianismi historici seu realis, suffectio religionis philosophicæ, ex sola nempe moralis aut intelligentis naturæ humanæ constitutione depromptæ (5); Christus jam non est nisi

(1) Ita Eberhardt, Höffter, Gabler, L. Nitzsch, Wegscheider; juxta Kantianos sunt totidem allegoriæ, juxta de Wette mors expiatoria Christi Jesu debet esse symbolum conformitatis et reconciliationis omnium oppositionum in campo sensus religiosi. Ibid. pag. 410.

(2) Böhme tribuit *rationalismum* Christo, *supernaturalismum* vero Apostolis, in op. *Die religion J. C. aus den Urkunden*, seu *Religio J. C. e documentis originariis*, Halle 1825. *Hist. crit.* cit. pag. 260. Eckermann censet, satius esse uti solis doctrinis Christi, rejectis Apostolis, ad se præcavendum ab errore. Ibid. pag. 277.

(3) Cfr. quæ scripsimus in tract. *De Bapt.* et *De Eucharist.*

(4) Distinguitur siquidem nunc rationalismus in *vulgarem*, *empiricum*,

*gnosticum* ac *mysticum*.

(5) Rationalismus modernus sive *gnosticus* dici potest *Theologia absorpta a philosophia*. Christianismus juxta hunc rationalismum non est nisi *gnosticismus*, qui triumphavit *de judaismo*; contra vero juxta Gfrörer, non est nisi *purus judaismus*, excepto dogmate de Messia. Paulusius non reperiebat in Evangelio nisi metamorphoses orientales. Ast De Wette affirmat, christianismum esse *judicium ideale* sine omni rationabili basi. Ita ceteri ejusmodi scriptores juxta varium rationalismi genus, quod unusquisque sectatus est. Cfr. documenta in cit. *Hist. critique du rationalisme*, etc. pag. 328, 211, 191, 213, etc. Hæc quidem opera, continens 459 paginas, tota est de hoc argomento, et tamen non est nisi speci-



idea humanitatis in homine et per hominem historicum expressa (1); Dei cum universo, potissimum vero cum humanitate identitas, individualitatis extinctio, seu ut verbo dicam, pantheismus sive materialis sive idealisticum proclamatus est (2); subjectivismus demum aut objectivismus absolutus, aut etiam *subjectum-objectum* absolutum, fuit per gnosticum hunc rationalismum Christianismo historico substitutum (3).

men multo amplioris ac profundioris operis, quod hac in re confici posset, præsertim si a catholico viro susciperetur.

(1) Ita præter Straussium, Edelmann, qui illum præcessit, nisusque est demonstrare, Christum non esse nisi *repræsentantem rationis* seu *sapientiæ Dei*; ibid. pag. 86. Juxta Bretschneiderum Christus repræsentabat *ideam hominis religiosi*, qua de causa dictus est *filius Dei*, docuitque ceteros ad eandem sibi promerendam *qualificationem*; ibid. pag. 271. Juxta Daub Christus in excellentiori gradu possedit *identitatem conscientiæ divinæ et humanæ*, quo sensu Deus factus est homo; forma proinde ejus apparitionis super terra est factum historicum christianismi. Ita in *Theologumenis S. Doctrinæ de Religione christiana*, Heidelberg 1806. Straussius demum in sua *Dogmatica*, quam vulgavit post *Vitam Jesu*, nititur ostendere, *Christum hegelianum* (conceptum scilicet in idea philosophica) in perpetuum deleturum *Christum evangelicum*. Ibid. pag. 350. Juxta De Wette divinitas Christi spectari nequit nisi tanquam idea *æsthetica*; ibid. pag. 408. Omitto aliorum placita, qui Christum traducunt veluti hominem spectantem ad societatem secretam, a qua liberari non potuit ab infami nece, aliaque ejusmodi, quæ vel

referre tædet. Cfr. cit. artic. *Ephem. Hollandicæ*. Interim ex his levibus lineamentis colligere poteris, quinam sint fructus Protestantismi, nempe apostasia a Christo et christianismo universo. Oh! si Lutherus, *beatus ille megalander*, ut eum vocant Protestantes, posset consurgere ad videndum opus suum! Attamen quot inter ipsos adhuc debatterant adversus superstitionem Ecclesiæ Romanæ, illius nempe Ecclesiæ, sine qua actum prorsus esset de christiana Religione, ut fatetur vel ipse Tigrinus minister protestans Lavater, in epist. ad com. de Stolberg data, cujus hæc verba sunt: *Je vénère l'Eglise catholique comme un antique et majestueux édifice, qui conserve les traditions primitives et des titres précieux. La ruine de cet édifice serait la ruine de tout le christianisme*. Apud *l'Univers*, 9 Juin 1842.

(2) Reolantur, quæ paulo ante scripsimus de Hegelismo et pantheismo. His principiis rationalismi gnostici innixus Schleiermacher in suis *Sermonibus* concludebat, vitium esse putare animam immortalem esse in sensu existentiae seu durationis individualis; anima siquidem non est pro theologia speculativa nisi portio quædam *absoluti*, quæ in ipsum refundi debet. Cfr. *Hist. critique du ration.* pag. 413.

(3) Huc referuntur pariter, quæ su-

324. Quæ cum ita se habeant, juverit ita concludere : per protestantismum , a Luthero adornatum ac in ipso *personificatum* , rationalismus tum *vulgaris* tum *gnosticus* in suo germine ac embryone delitescere , aut etiam si lubet , veluti protestantismi anima latens una cum exteriori supernaturalistica forma , veluti corpore , necessario et ex intima ejusdem protestantismi natura ortus est. Eadem porro exigente natura , labente tempore evolvi cœpit , magis deinde ac magis ex latebra seu involucro , quo tegebatur , sese manifestavit , donec ad maturitatem adductus , symbolicum omne supernaturalisticum pallium seu integumentum dilaceravit ac exiit , nativamque suam indolem patefecit. Atqui rationalismus ex demonstratis *jure et facto* , *a priori* et *a posteriori* , *theoretice* et *practice* necessario secum fert totius christianismi extinctionem. Ergo rite concludimus , ex protestantismi essentiali natura necessario profluere rationalismum , seu quod idem est , si verus est protestantismus , falsus est christianismus (1).

325. Sic nempe horrendam justissimus Deus ultionem sumpsit de perduellibus ejusmodi Ecclesiæ filiis , qui superbia incredibilibus , intemeratam Christi sponsam suamque matrem erroris arguere non dubitarunt. Excæcati enim sunt , evanuerunt in cogitationibus suis , ac dicentes , se esse sapientes , stulti facti

perius attulimus de Hegelismo et Neoelecticismo. Cfr. *Hist. critiq.* pag. 351 et seqq. Sane paucos ante dies sectatores philosophiæ hegelianæ Berolini protestati sunt , ut clamori propriæ conscientiæ satisfacerent et vitarent hypocrisin , se nolle deinceps pertinere ad ullam religionem , quippe revelationes , quibus innituntur religiones positivæ (historicæ) , non sunt nisi fabulæ. Cfr. *Ami de la Relig.* Juill. 1842 , pag. 89.

(1) Hoc ipsam fassi sunt non pauci protestantes , uti Semler , qui declarabat , reformatores , dum ideam Ecclesiæ docentis destruxerunt , ruinas maxi-

mas attulisse regno Christi; cfr. *Hist. crit.* pag. 139. Schleiermacher et ipse fassus est , opera reformationis ædificium christianismi dilapsum esse , ibid. 174 et seqq. Demum aliis omissis , brevitate gratia , auctor ipse , quem sæpe allegavimus historiæ criticæ rationalismi , pag. 401 , aperte scribit : *Si l'on ne se laisse pas diriger par l'esprit de parti , on confesse également que la religion , telle que les rationalistes ont voulu la conserver ou rétablir , n'était pas même l'ombre du christianisme évangélique et traditionnel.*



sunt, ac plane traditi et ipsi in desideria cordis eorum, ut faciant, quæ non conveniunt (1).

## DIFFICULTATES.

326. Obj. 1<sup>o</sup> Adeo genuinus protestantismus ab omni rationalismi labe alienus est, ut ab ortu suo philosophiam omnem omnemque rationis usum a christiana Religione eliminaverit, atque etiamnum rationalismum veluti sibi extraneum validissime oppugnet. 2<sup>o</sup> Scopus et objectum reformationis haud fuit *destructionis* sed *epurationis*, Ecclesiam scilicet liberandi a pontificia tyrannide foedisque abusibus, qui ex illa promanarant. 3<sup>o</sup> Quapropter non libertatem absolutam ac independentiam proclamavit, sed illam solam, qua Christiani ab usurpata illa dominatione eriperentur. 4<sup>o</sup> Hinc regulam fidei proximam, ad quam dogmata omnia exigi deberent, Ecclesiam trium quatuorve priorum seculorum protestantismus constituit. 5<sup>o</sup> Si qui proinde liberioris ingenii homines in sinu protestantismi insurrexerunt adversus symbolum augustanum, hi desciverunt plane a protestantismi indole et constitutione, perinde ac desciscunt Catholici illi, qui in Ecclesia pontificia adoriuntur articulos, quos illa profitetur. 6<sup>o</sup> Nec obstat, nonnullas inter communiones protestantes identidem circa symbolum mutationes contigisse; hæ siquidem accidentales sunt, nec ullo modo fidei substantiam attingunt. 7<sup>o</sup> Quam vero absurda sit conclusio præstituta, *si verus est protestantismus, falsum esse christianismum*, inde apparet, quod eadem facile intorqueri adversus Ecclesiam pontificiam posset; Ecclesia pontificia tot ceteros inter errores docet idololatriam in cultu Sanctorum, evacuat crucem Christi per dogmata sua de necessitate honorum operum, satisfactionis, Sacrificii missæ, etc.; ergo, *si vera est Ecclesia pontificia falsus est christia-*

(1) Sane Steinbart unus ex ipsis concluderebat, Religionem christianam cum similis sit alteri cuicumque institutioni (paganismo, islamismo, etc.), ut habeat aliquem valorem, debere gaudium

in his terris homini facere, nam ante omnia *sensui debet satisfieri*, quia *sola voluptas* vere ea est, quæ accommodata sit miseræ humanitati. Ibid. pag. 442.



*nismus*. 8° Sequeretur præterea ex illa conclusione, satius esse omni valedicere christianismo quam profiteri protestantismum, quod profecto nemo sanus dixerit, præsertim cum tot honesti pique viri in sinu protestantismi efflorescant, quot vix reperies in catholicismo. Ergo.

327. Ad 1<sup>m</sup>, *Dist.* Protestantismus in sua parte *materiali* spectatus, *trans.*; in sua parte *formali*, *neg.* Nec enim abnuimus, protestantismum prodiisse magno symbolorum apparatu ac supernaturalistico fuce ornatum, hostilemque ab ortu suo rationi ac omni philosophiæ se præbuisse, seu *nihilismum* esse professum. Ast hæc non fuit nisi forma protestantismi exterior, ac pallium, ut ita dicam, quo indutus in scenam prodivit. Age vero, et intimam, formalem ac essentialem protestantismi naturam et constitutionem expende. Nonne Lutherus, ac per ipsum et in ipso protestantismus universus hoc sibi veluti essentiali *principium*, hoc sibi jus arrogavit, fidem objectivam et historicam sibi subjiciendi, ac symbola varia cudendi manca, immixta ac diversa ab iis, quæ Ecclesia catholica a tota retro antiquitate profitebatur? Hoc autem quid aliud fuit quam propriæ ac individuali rationi totum in fidei rebus arbitrium supremamque potestatem deferre, in quo sita est rationalismi origo et natura? Quod si eodem tempore protestantismus bellum indixit rationi ac philosophiæ, si *nihilismum* professus est, id nil aliud ostendit quam sibi protestantismum non constitisse, cumulumque esse contradictionum et absurditatum. Si demum ad hæc protestantismus historicus repellit a se ac impugnat rationalismum, jure merito a rationalistis incohærentiæ arguitur ac pugnae cum ipso formali protestantismi principio; merito insuper reprehenditur, quod non ex vero spiritu protestantismi se gerat, sed ex cupiditate privatoque studio partium (1).

(1) Ut omnis amoveatur æquivocatio, notandum est, neque Lutherum, neque ejus cooperatores aut intendisse aut prævidisse abyssum, in quam se conjiciebant, aut si viderunt, exhoruisse; attamen principium, quod ve-

luti basim novæ reformationis posuerunt, necessario totum rationalismi opus, ac proinde destructionis christianismi involvebat. Hinc Wegscheider opus suum *Piis manibus Martini Lutheri, libertatis cogitandi adsertoris*,...

328. Ad 2<sup>m</sup>, *Dist.* Scopus et objectum apparens fuit *epurationis*; *conc.*; verum, *neg.* Reformatio seu *epuratio* Ecclesiæ ab abusibus fuit utique prætextus, ut in ceteris hæresum antesignanis (1), ita et in primis protestantismi auctoribus, quo tegerent propriam perduellionem ac populis fucum facerent; ast cito hæc larva cum ab illis tum ac istis decedit, talesque prodierunt, quales reipsa erant, id est, in omnia vitia projecti et effusi.

329. Ad 3<sup>m</sup>, *Neg.* Eam enim proclamavit libertatem et independentiam, quæ satis esset ad subigendam rationi individuali fidem *objectivam*. In hoc enim sistit controversiæ cardo, utrum protestantismus, cum spiritum suum privatam suffecit uti normam credendorum et agendorum, se iudicem arbitrumque fidei ac morum constituerit nec ne; jam vero cum hoc negari nequeat, quid ad nos, si consecraria omnia, quæ in illo principio suo rationalistico necessario continebantur, statim non deduxerit? Satis est in omni re principium statuere; tempus deinde hominumque subacta ingenia illud evolvunt, ac ad maturitatem adducunt, id quod nimis reipsa contigisse novimus.

330. Ad 4<sup>m</sup>, *Dist.* Ecclesiam trium aut quatuor priorum seculorum uti normam ac regulam fidei proximam constituit temere et ex arbitrio, *conc.*; solido fundamento innixus, *neg.* Cum alias jamdiu ejusmodi commentum exploserimus, non est cur iterum pluribus illud persequamur. Siquidem Ecclesia aut nunquam aut semper fuit et est infallibilis fidei regula. Hæretici antiquiores potuissent eadem ratione exceptionem opponere Ecclesiæ, quum tertio aut quarto seculo eos damnavit atque protrivit. Antiquitas sane tota commentum hoc penitus ignoravit. Quæstio denique moveri potest, utrum Ecclesia illis seculis hanc vel illam doctrinam tradiderit, et nullus unquam controversiæ exitus erit (2).

qui rationi humanæ suum jus vindicavit, dicatum voluit. Contra vero auctor *Historiæ criticæ rationalismi*, eam nuncupavit: *A tous les amis du christianisme, à tous ceux qui ne voudraient pas voir dans le monde reli-*

*gieux l'ancien paganisme modifié.*

(1) Cfr. *Hist. du pape Innocent. III*, Frid. Harter, tom. III, liv. XIV, pag. 4 et seqq.

(2) Suo loco audivimus Gibbonium ipsum fatentem, germina papismi, id

331. Ad 5<sup>m</sup>, *Neg.* Et nego paritatem, quam instituunt Protestantes inter eos, quos vocant liberioris ingenii homines, et Catholicos, qui insurgunt adversus Ecclesiæ fidem. Etenim illi idcirco sunt symbolum augustanum adorti, quia adversus principium libertatis examinis, quod constituit essentiam protestantismi, statutum illud fuerat, et quidem ab hominibus privatis nulla pollentibus auctoritate, quæ obligationem inferret, ac vi rationalistici principii, quod facto destruebant. Catholicis e converso insurgunt adversus principium auctoritatis, quod constituit essentiam catholicæ Religionis. Nulla igitur intercedere paritas inter utrosque potest.

332. Ad 6<sup>m</sup>, *Dist.* Mutationes illæ accidentales sunt, ex protestantismi *principio, conc.; in se, neg.* Etenim semel ac Protestantes rationem individualement proclamarunt fidei normam ac regulam principem, cum jam de fidei substantia actum sit, eo sensu quævis aliæ innovationes dici accidentales possunt. Ast non ita, si spectetur res in se, in ipsa fidei natura, in motivo suo *formali*, quod non est nisi auctoritas Dei revelantis; a qua nempe vel minimum desciscere, atque objectum revelationis vel in minimo articulo pro lubitu immutare, idem est ac substantiam ipsam fidei aggredi ac infringere. Accedit, mutationes, quas vocant adversarii *accidentales*, relativas esse. Nam pro Anabaptistis accidentalis plane mutatio est valor pædobaptismi; pro Socinianis negatio omnium Mysteriorum, et ita porro. Quo fit, ut per hujusmodi mutationes *accidentales* fides omnino concidat ac evanescat (1).

est, catholicismi, primis Ecclesiæ seculis jam viguisse, prout et alii increduli et protestantes fassi sunt, potius Newtonum vide vol. 1, pag. 251. Contra vero juxta Semlerum ab ætate apostolica usque ad seculum reformationis perseveravit fusio judaismi et gnosticismi, quæ facta est opera Episcoporum, qui in concilium convenierunt in ipsius Ecclesiæ incanabulis. Notum denique

est, Catholicos contendere adversus Protestantes fidei articulos omnes in primæva traditione contineri. Absurdum itaque undequaque se prodit arbitrium istud primitivorum Protestantium systema.

(1) Sane Bretschneider, in suo *Manuali dogmaticæ Ecclesiæ evangelicæ lutheranæ*, tom. 1, edit. 1839, rejicit omnem admissionem puram ac sensi-



333. Ad 7<sup>m</sup>, *Neg.* Hæc enim retorsio jam supponit, præferendum esse iudicium individuale auctoritati Ecclesiæ. Hoc enim sublato, nulla amplius fieri retorsio potest. Accusant porro Protestantæ Ecclesiam idololatriæ ac superstitionis quoad cultum Sanctorum eodem plane jure, quo Presbyteriani illam ejusdem criminis incusant ob adorationem Christi in Eucharistia, quo Sociniani ob adorationem Christi ipsius, et ita deinceps (1).

334. Ad 8<sup>m</sup>, *Neg. sequelam*; etenim, si Patres censuerunt, melius fuisse ethnicas gentes profiteri vel ipsum polytheismum atque idololatriam quam atheismum, quanto magis Catholici jure censent, melius esse speciem saltem ac veluti umbram christianismi a Protestantibus teneri quam omnem penitus christianismum abjici? Præsertim cum plures in protestantismo, ex classe potissimum rudiorum, spiritu saltem spectent ad Ecclesiam catholicam, quotquot scilicet ignorantia invincibili laborant de falsitate propriæ sectæ. Quoad reliquos, ipsi viderint; Deus eos judicabit. Ceterum catholici sequelam hanc dimittunt Protestantibus atque schismaticis, qui, furore perciti adversus Ecclesiam catholicam, maluerunt aut malunt subditos suos permanere in paganismo, islamismo et judaismo, quam permittere ut Catholici missionarii illos ad veram Christi fidem perducant (2). Vere sola Ecclesia catholica mater est.

bilem veritatum revelatarum, quia leges naturales mentis humanæ sunt in oppositione cum factis in revelatione contentis. Eckermann, in sua *Dogmatica*, tom. 1, pag. 713, agens de articulis fundamentalibus, censet, *solum* existentiam Dei sufficientem esse. Schleiermacher fatetur, omnes *mythologias* non esse quoad suum fundum nisi *monotheisticas* et *christianas*, apud Amand Saintes, *Hist. critiq.* cit. pag. 364.

(1) Henke, in op. *Lineamenta instit. fidei Christ. histor. critic.* Helmstad 1795, scribere veritas non est,

*Christolatriam* ac *bibliolatriam* in genere esse impedimenta, quæ auferri absolute debent, atque ad seculum nostrum spectare asciam immittere *omnibus his superstitionibus*. Cfr. *Hist. crit.* pag. 277.

(2) Cfr. quæ scripsimus in tract. *De matrim.* cap. iv, prop. iii. Potius post hæc dicta juverit sciscitari a plerisque Protestantibus, in quem finem tandem tot impensis diffundere satagant Biblia, in quæ non credunt, propagare christianismum, quem funditus labefactant ac destruunt, Catholicos demum pervertere, nisi ut totidem apo-

## SECTIO II.

## DE METHODOLOGIA.

335. Institutum nostrum sectantes, postremo hoc loco agemus de applicatione eorum, quæ hactenus exposuimus ac vindicavimus, quatenus nempe theologus in usum suum convertere possit ac debeat, quæ de locis seu fontibus theologicis constituta sunt. Ne verò in incertum vagemur, accurate definienda occurrunt, quæ ad id conferre queunt. Sunt autem theologi *munus, methodus et instrumenta*. Ex munere enim, quod theologo incumbit, facile dignosci poterit, qua uti debeat methodo ad illud explendum; ex munere autem ac methodo, quibus demum instrumentis ei opus sit, ut finem sibi propositum recte ac fructuose assequatur. De singulis proinde in totidem capitibus disseremus; cum tamen ad finem nobis properandum sit, nonnisi potiora continenti oratione, eaque summis veluti labiis delibabimus.

statas faciant a Christo ejusque religione? Quare demum modis omnibus missionarios catholicos impediunt, ne Christum annuncient? Vere istis hominibus aptantur Apostoli verba, 1 Thess. II, 16: *Prohibentes nos gentibus loqui, ut salvæ fiant, ut impleant peccata sua semper; pervenit enim ira Dei super illos usque in finem*. Attamen Borussia Rex et sic dictus Archiepiscopus Cantuariensis conjunctis viribus adnuntantur abortum illum, quem Episcopum Hierosolymitanum vocitant, constituere protectorem et adiutorem omnium Anglicanorum et Evangelicorum, qui eo se conferrent ad *conversionem* Israëlitarum. Quis porro non miretur novum hunc Episcopum anglicano-evangelicum et evangelico-anglicanum, id est, biceps monstrum neutrius generis; et quidem dum anglicani protestantur adversus

evangelicos tanquam *dissidentes*, et evangelici invicem a se repellunt anglicanos uti *semi-pontificios*! Cfr. *L'Union catholique*, 9 Mars 1842, et *L'Univers*, 20 Juillet 1842. Ceterum proselytismus Israëlitarum non est nisi velamen; vera quippe ratio hujus institutionis est abducere Catholicos ab Ecclesia, id est, a Christo. Si, quis præter ea, quæ hactenus de protestantismi natura et phasibus evolvimus, plura adhuc discupiat, consulat aliud egregium opus germanice editum: *Vergleichende Darstellung des Protestantismus, ins Besondere des Lutherischen mit sich selbst*, etc. seu *Expositio comparativa protestantismi, ac speciatim Lutheranismi secum ipso*, etc. Mogunt. 1837, auctore Th. Jos. Heberling.

## CAPUT I.

## DE THEOLOGI MUNERE.

336. Munus theologi triplici præsertim ratione spectati potest; aut enim ipse in catholicæ fidei dogmatibus rite exponendis, propriisque illorum argumentis firmandis, nec non conclusionibus ex iis legitime eruendis operam ponit; aut intimos illorum nexus ac intrinsecas rationes, quantum humanæ mentis capacitati datum est, inquirere, atque illustrare adnititur; aut demum in aciem descendens, eadem dogmata adversus impugnatores omnes tuetur, contrariasque rectæ fidei opiniones quascumque evertit. Primum dici potest theologi munus stricte *dogmaticum*, alterum *speculativum*, tertium denique *polemicum*. Plerumque vero theologus triplex istiusmodi munus simul conjungit.

337. Quidnam porro præstare possit theologus, quæque illi leges ac limites servandi sint, ubi dogmatico ac speculativo munere fungitur, satis ex iis liquet, quæ persecuti sumus in capite III sectionis antecedentis. Aliquid hic potius addimus de tertio illo theologi officio, quo manus conserere debet cum catholicæ veritatis impugnatoribus; in quo nimirum pro diversa adversariorum specie diversa item ratione officium suum expleat necesse est. Hi porro adversarii sunt aut infideles, aut hæretici, aut etiam catholici neologismum ac novitates consecrantes, quibus sincera catholica doctrina labefactari quoquomodo possit.

338. 1<sup>o</sup> Si igitur ipsi agendum cum infidelibus aut incredulis sit, veritatem ac divinitatem christianæ Religionis iis omnibus argumentis ostendet, quibus evincitur, Deum supernaturali modo hominibus suam dedisse revelationem, quæque suo vindicavimus loco: Si Judæi fuerint, ex Veteri Testamento evincet, promissum expectatumque fuisse Messiam, qui certo ac præfinito tempore advenire debuit; ex collatione autem utriusque foederis ceterisque omnibus adminiculis ostendendum erit, hunc nec alium fuisse aut esse posse præter J. C. Nazarenum. Ita vero semper suam instituere pugnam debet, ut ex principiis ab adversario admissis continenter procedat.



339. 2<sup>o</sup> Sin vero illi sit adversus hæreticos dimicandum, attendi apprime debet, utrum id fiat ante vel post latam ab Ecclesia definitionem. Porro si ante definitionem impugnare theologus debeat novatores, inspicienda illa est natura veritatis, quæ ab hæreticis impetitur; interdum enim adeo manifesta est prava et hæretica istorum doctrina, ut satis ei sit comparationem instituere inter doctrinam, quam palam et aperte circa aliquem articulum veluti de fide profitetur Ecclesia, et novatorum aggressionem, ut illico theologus deprehendat atque ostendat, hanc plane heterodoxam esse. Sic ex. gr. quando Arius adortus est divinitatem Verbi, statim ut hæreticus etiam ante celebrationem Nicænæ Synodi a Patribus est habitus; ac idem de pluribus aliis merito dicendum est (1). Ast non omnia, quæ in controversiam veniunt, ejusmodi sunt; siquidem plura sunt, quæ veluti in germine continentur in deposito fidei, aut in quibus non satis liquet Traditio, cujusmodi ex. gr. ætate Cypriani quæstio extitit de valore Baptismi ab hæreticis collati. Cum res porro ita se habeat, theologo officium est sedulo inquirere in fontes theologiæ proprios, Scripturam et Traditionem, ut inde veram germanamque eruat Ecclesiæ doctrinam. Cavere autem maxime oportet, ne præveniat Ecclesiæ judicium; sed solum ei præsto esse debet in fundamentis exhibendis, quibus vera doctrina fulcitur (2). Quod si edita jam fuerit solemnitas Ecclesiæ definitio, non aliud ei superest, quam hanc definitionem mediis omnibus adstruere, atque ab adversariorum telis tueri.

340. 3<sup>o</sup> Salebrosior admodum est agendi ratio, quam tenere debet theologus in controversiis, quas agit cum Catholicis ipsis. In duas istæ classes dispertiri possunt; aliæ quippe sunt fidei, aliæ vero veluti adiaphoræ ac indifferentes, cujusmodi sunt ex.

(1) Uti ex. gr. cum Lutherus adortus est septenarium Sacramentorum numerum aliosque ejusmodi articulos, statim uti hæreticus proclamatus est. Idem dic de Socinianis, qui ab omnibus uti hæretici habentur, quamvis a nullo œcumenico Concilio fuerint damnati.

(2) Siquidem theologo meri Ecclesiæ adjutores sunt; veri judices non sunt nisi Episcopi cum et sub Romano Pontifice, ut suo loco ostendimus; adeoque nec debent nec possunt privati theologo horum antevertere judicium.

gr. quæ duorum atque eo amplius seculorum tractu in scholis catholicis disceptatæ sunt circa gratiæ naturam, scientiam Dei, prædestinationem, quin inde quidpiam concluderetur, ingenti sæpe temporis jactura, quandoque etiam charitatis detrimento non levi. Cum autem Ecclesia nihil circa illas quæstiones definire voluerit, satius erit sua unicuique scholæ placita relinquere. Aliæ vero doctrinam catholicam proxime attingunt, uti voluntas Dei salvandi omnes homines, etiam supposita originali noxa, ac proinde collatio gratiæ, quæ omnibus necessaria est ac salutem obtinendam; multo vero magis tot erroneæ doctrinæ jansenistarum, aliorumque neotericorum, qui ea constituunt principia, ex quibus periculum instat non solum fidem labefactandi, verum etiam ipsius christianæ Religionis basim evertendi. In his theologus strenuam navabit operam, ut intemeratam servet catholicam doctrinam. Sic etiam eos scriptis persequetur suis, qui contra formulas ac loquendi usum in Ecclesia longo seculorum tractu consecratum novas voces, vagas, ambiguas atque suspectas introducunt, ex quibus magna saltem oritur idearum confusio, nec semel sub illis erronei conceptus delitescunt. Cavere tandem debet theologus, ne dum nimio zelo adversarios urget, censuris notet Catholicorum doctrinam; ipse quidem utpote privatus poterit indicare, quæ nota inurenda sibi videatur alicui doctrinæ, sed eam demum infligere ad solam Ecclesiam seu Rom. Pontificem spectat (1).

(1) Est enim actus jurisdictionis, qui privatis competere non potest. Fatendum est, nonnullos faciles sese exhibuisse in ejusmodi censuris ferendis, quique proinde non semel a Bened. XIV. in suo op. *De Synodo*, hac de re arguuntur. Porro censurarum theologiarum septem species recensuit Conc. Constantiense, sess. VIII et XI, in damnatione articulorum Wicleffi, quos reprobavit ut *hæreticos*, ut *erroneos*, ut *scandalosos*, ut *blasphemos*, ut *piarum aurium offensivos*, ut *temerarios*, ut

*seditiosos*. His aliæ plures adjectæ sunt a Rom. Pontificibus in damnatione plurium propositionum, quæ declaratae sunt vel *proximæ hæresi*, vel *de hæresi suspectæ*, vel *male sonantes*, vel *schismaticæ*, vel *injuriôsæ*, vel *impia*, etc. De quibus censuris ex professo agit Montagnus, in op. *De censuris seu notis theologis et de sensu propositionum*, quod prostat in vol. 1, *Cursus theolog. completi*, pag. 1168 et seqq.

341. Interdum etiam theologus, dum polemicas partes exercet, *irenicas* etiam, quas dicunt, fructuose suscipere poterit, adversarios ad unitatem fidei excitando, iisdemque compositionis viam veluti commonstrando. Non quod ipse quidquam de catholica veritate cedere possit, pro qua etiam cum sanguine decertandum; sed quod, dum veritatis illius jura defendit, ita potest eam efficaciter suaviterque suadere, ita omnem errori fucum adimere, ut animi ad viam unitatis ac pacis ineundam disponantur. Hinc theologia, quæ hoc obit officium, *irenica* vel *henotica* dicta a recentioribus est.

## CAPUT II.

### DE METHODO.

342. Methodus scientifica, seu recta et ordinata rei tractatio, quæ ad veritatem tuto detegendam vel rite tradendam ac demonstrandam inservit, bifariam, ut notum est, a philosophis distingui solet. Nam quæ a particulari ad universale, a composito ad simplex, ex partium resolutione singularumque investigatione procedens in veritatis incognitæ et latentis notitiam quasi tentando devenit, *analytica* dicta est; quæ vero ab universali ad particulare, a simplici ad compositum, de una ad aliam veritatem mutuo nexu cum illa conjunctam quasi componendo assurgit, et non tam veritatem inquirat quam jam exploratam ceteris tradit ac ostendit, *synthetica* audit. Unde etiam prima ut methodus *inventionis*, altera ut methodus *demonstrationis* spectatur.

343. Ut porro de re theologica disceptemus, cum eam ad scientiæ dignitatem evehi posse atque adeo natura sua deberi jam vindicatum sit, quin immo cum ceteris scientiis præstet, ut ostendit D. Thomas, quippe a Deo ipso per revelationem *immediate* accipit principia sua (1), quis dubitet, quin ea scientifica

(1) Cfr. 1. q. 1, art. 5. *Testimonium veritatis primæ* (ait alibi S. Thomas) *se habet in fide ut principium*

*in scientiis demonstrativis. De verit. q. 14, art. 8.*



omnino methodo, seu quod alii aiunt *systematice*, tractanda sit? At enim quæstio inter recentiores acriter agitur, quænam methodus theologiæ tractandæ magis accommodata sit, et num analytica potius aut synthetica sit adhibenda.

344. Hac porro ætate, qua philosophi plerique non modo in naturalibus disciplinis, sed in rationalibus etiam ac psychologicis, analysi maxime delectantur, sunt qui eandem methodum in theologiam invehiri magno cum ejus emolumento posse contendunt; et sunt etiam, qui eo usque progressi sunt, ut assererent, dogmata omnia hactenus a theologis tractata in tenebris ac sordibus jacere, nisi ad strictam *analysin*, ad methodum nempe plane contrariam illi ab istis adhibitæ, revocentur; ac propterea vehementer carpunt superiorum ætatum theologos, quod nec firmitati scientiæ theologiæ, nec veritati fidei methodo sua synthetica consuluerint (1).

345. Nos igitur aliquid de hac quæstione attingentes, primum

(1) Ita aperte Hermesius in ipso *Introductionis* suæ *philosophicæ* limine constituit, se firmam jamdiu persuasionem nactum fuisse, quod *doctrinæ theologicæ etiam notissimæ velamine quodam involutæ erant, earumquæ verus sensus in tenebris latens, atque ambiguitati manebat obnoxius, usque dum unaquæque illarum veluti integrans pars completi cujusdam systematis non spectaretur; atque hoc systema non ædificaretur per viam inquisitionis* (inquisitionis videlicet intellectæ ratione plane contraria systemati syntheticæ ceterum communi), ac per omnes dubii labyrinthos constanter non duceretur. *Intr. phil.* p. III, IV. In methodologia vero præmissa *Introductioni positivæ*, pag. 23 et seqq. invehitur in communem theologorum methodum syntheticam, 1° quia conclusio

theologica instituitur hoc pacto per partialem tantum notitiam rei, de qua agitur, ac proinde eo modo qui non sufficit ad fundandam *fidem, quæ irrationalis non sit*. 2° Hinc conclusio est semper illegitima et semper incerta, licet etiam forte in se vera esset. 3° Conventio nostra de veritate theseos nunquam fere in nobis firma manet et suspicione carens, dum audimus postea existere contra illam thesim rationes oppositas. Hæ porro Hermesii querelæ seu insectationes totum doctorum scholasticorum agmen, imo omnes fere theologos ad ejus usque tempus afficiunt. Est ne igitur in Ecclesia Christi, quoad rationem fidei scientiam tradendi, exponendi, probandi, obscurantismus universalis per tot secula ad Hermesium usque agnoscendus? En tamen, quo tendat demum Hermesii sententia.

distinguamus oportet inter theologiam *dogmaticam* proprie dictam, quæ nimirum veritates omnes a Deo revelatas et conclusiones inde manantes complectitur, atque eam theologiæ partem, quæ *præambula* persequitur ac *præparatoria* dici potest, et ab aliquibus *generalis* nuncupatur, quippe quæ in principiis ac fundamentis theologiæ propriis, nimirum revelationis divinæ existentia, veræ Ecclesiæ natura atque auctoritate, sacris Scripturis ac Traditionibus constituendis versatur (1).

346. Porro si de theologia proprie dicta tradenda disceptes, dubium, nostro quidem iudicio, esse nequit, quin methodus scientifica, in scholis catholicis adhibenda, *synthetica* prorsus esse debeat ac *demonstrativa*. Id enim scientiæ hujus indoles ac ratio postulat omnino. Num enim theologus fidei veritates veluti latentes adhuc ac ignotas tractare potest, cum et ipse et omnes, quos edocet, illas jam a proxima fidei regula, Ecclesiæ nempe auctoritate propositas, divina fide jam credere debeant (2)?

(1) Veritates, in quibus theologia dogmatica proprie dicta versatur, non ejusdem gradus ac generis sunt. Aliæ enim sunt *veritates aut dogmata fidei*, quatenus sunt *immediate* revelata a Deo; aliæ *conclusiones theologicas*, quæ ex primis illis veritatibus, tanquam principiis, legitima deductione ac ratiocinatione eruuntur. Porro inter *veritates fidei* veniunt primo *articuli* fidei, qui sunt veluti quædam fidei capita, in quibus cetera dogmata continentur, quales sunt articuli contenti in symbolo, quod Ecclesia fidelibus credendum proponit. Aliæ vero veritates seu dogmata sunt, quæ vel in deposito revelationis continentur et communi Ecclesiæ fide nituntur, et dicuntur *dogmata revelata*; vel etiam ab Ecclesia expressa definitione sancita sunt, et constituunt dogmata *declarata* atque stricte *catholica*. *Conclusiones theolo-*

*gicas*, vel deducuntur a duabus præmissis, quæ ambæ *immediate* sint *revelatæ*, vel quarum una tantum de fide sit, altera vero lumine duntaxat naturali innoscat. In utroque casu non sunt *immediate* revelatæ a Deo, sed tantum *mediate* vel *implicite*. Porro si conclusio theologica aliunde sit revelata, aut Ecclesiæ iudicio nitatur, dubium non est, quin ad fidem *immediate* pertineat. Secus vero, cum propositionem unam ex alia ratiocinando eruere rationis humanæ sit opus, conclusio ejusmodi ad fidem directe non pertinet. Quod si tamen per evidentem deductionem ex principiis *immediate* revelatis illata sit, ad fidem *mediate* saltem et *indirecte* pertinere poterit, pro iis saltem, qui vim deductionis comprehendunt.

(2) Perbelle hic quadrant, quæ Vincentius Lirinensis, in aureo suo *Com-*



Si igitur theologi munus eo tantum spectat, ut veritates illas accurate et ordinate exponat, illustret, demonstret, tueatur; ut Ecclesiæ doctrinam cum regulis fidei remotis, Scriptura et Traditione, plane consentientem ostendat; æquum non est, ut tractationem suam in ancipiti veritatis inquisitione quasi tentando et conjiciendo collocet, sed omnino ut veritatem validissimis suis fundamentis, principiis nempe revelatis innixam, *demonstrative* exhibeat.

347. Accedunt ingentia commoda, quæ ex hac methodo synthetica proveniunt. Nam dum tota rerum exponendarum series probe in antecessum explorata supponatur, possunt singulæ res suo quæque loco atque ordine apte disponi, ut mutuus inde nexus et scientifica quasi compago exurgat. Principia necessaria conclusionibus præjaciuntur; accurate definiuntur notiones; quæ insequentibus lucem affundunt, præmittuntur; propriis unaquæque res argumentis firmatur. Atque ita cum brevitati, tum præsertim perspicuitati ac soliditati tractationis apprime consulitur.

348. Contra vero plura analytica methodus secum ferret incommoda. Siquidem præterquamquod difficile tunc quæstiones omnes ita disponi possent, ut strictus ordo, nexus ac dependentia, saltem quantum rei patitur natura, inter unam atque aliam veritatem constituerentur, mirum quot per eam methodum ambagibus innodaretur theologica disceptatio! Quodvis enim objectum, de quo *analytice* inquirendum esset, num aliquid et quidnam revelatio doceat, prius in omnes suas partes ac relationes dispertiri oporteret; dein circa omnes istas partes rela-

*monitorio*, habet in illa Apostoli verba: *Depositum custodi*, quæ quidem munus etiam cujusque theologi spectant. *Quid est depositum? Id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem ad te per-*

*ductam, non a te prolatam; in qua non auctor debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens.* § 27. Sed totus hic liber legi ac perlegi a theologo meretur, ut et munus suum, quale sit, rite agnoscat, et quæ sibi regulæ, quæ methodus sectanda sit in catholica veritate tradenda ac illustranda.



tionesque novam singillatim instituere quæstionem; rationes *pro* et *contra* singulas illarum ex propriis revelationis fontibus expendere; difficultates omnes superare; videre, utrum conclusio alii veritati opponatur, utrum principium aliquod exploratum rationis eidem obsistat, ac demum decernere, num aliquid certi ex tota hac inquisitione ratio colligere queat (1). Jam vero quis non videt, quam difficile ac salebrosum sit per tot tantasque ambages ad argumenti demum exitum pervenire? Quam facilis in adeo perplexa et multiplici inquisitione erroris illapsus! Quam latus campus subtilitatibus ac tricis pateret, a quibus non nisi ægre te expedias! Quid vero magis inopportunum juvenum theologorum mentibus informandis?

349. Quin et illud addi potest, hanc methodum valde fidei periculosam atque adeo noxiam existere. Ex dubio enim tota incipit inquisitio et per dubium progreditur. Dogmata quæque fidei habentur uti problemata, de quibus ratio individua demum debeat decernere. Esto, quod dubium initio *hypotheticum* tantum sit; sed *positivum* ac *reale* facili progressu evadit. Quippe animus assuescit persuasionem in fidei veritatibus suspensam habere, propriis viribus unice fidere, auctoritatem omnem graviorum theologorum contemnere, novas conceptibus jam firmis ratisque ideas adnectere, Ecclesiæ ipsius magisterium sin minus despiciere, saltem ad sua cujusque placita accommodare, atque ita revera rationem in rebus fidei non veluti universale quoddam instrumentum, sed veluti unicum medium ac principem normam habere.

350. Cujus rei luculentum, licet triste exemplum suppeditat seculo XII Abaelardus, sicut alibi commemoravimus, quique illius scholam secuti sunt (2). Nostra vero ætate ad methodum

(1) Hæc omnia aliaque etiam multa, quæ inquisitionem hanc circa quodvis dogma impeditiorem adhuc ac difficiliorem reddunt, præscribit et exigit Hermesius, in sua *Methodologia*, præmissa *Dogmaticæ speciali christiano-catholicæ*, § 43.

(2) Sane Petrus Abaelardus, de quo S. Bernardus scribit, epist. 192, edit. Maur. : *Cum de Trinitate loquitur, sapit Arium; cum de gratia, sapit Pelagium; cum de persona Christi, sapit Nestorium*, in hos aliosque errores dilapsus est ex methodo, quam

quod attinet in theologiam inyectam, Abaelardi vestigiis haud parum inhæsit Hermesius, in quo damna illa, quæ nunc recensuimus, ex hac, quam speciose vocant *euristicam* vel *analyticam*, methodo in univèrsam fidem manantia, nimis aperte se

sibi sectari præstituerat, nihil scilicet esse fide credendum, quod prius ratio admittendum omnino non suaderet, atque ita præter cætera opus illud suum inscriptum: *Sic et non*, composuit, in quo rationes *pro et contra* unamquamque fidei veritatem congerens, omnia dogmata veluti problemata spectavit, logica rationis vi solvenda. Javerit iterum audire S. Bernardum, indolem hujus systematis acriter persequentem, præsertim epist. 190, seu opusc. 21, in cit. edit. ubi ita de Abaelardo scribit ad Innocentium II, cap. 1: *Et quid magis contra fidem, quam credere nolle, quidquid non possit ratione attingere? Denique exponere volens illud Sapientis, Qui credit cito, levis est corde, cito credere est, inquit, adhibere fidem ante rationem.* Et cap. IV: *Nec mirum, prosequitur, si homo qui non curat quæ dicat, irruens in arcana fidei, thesauros absconditos pietatis tam irreverenter invadit atque discerpit; cum de ipsa pietate fidei nec pie nec fideliter sentiat. Denique in primo limine theologiæ, vel potius stultilogiæ suæ fidem definit æstimationem. Quasi cuique in ea sentire et loqui quæ libeat liceat, aut pendeant sub incerto in vagis ac variis opinionibus nostræ fidei sacramenta, et non magis certa veritate subsistant. Nonne si fluctuat fides, inanis est et spes nostra?* Stulti ergo Martyres nostri,

*sustinentes tam acerba propter incerta, nec dubitantes sub dubio remunerationis præmio durum per exitum diuturnum inire exilium. Sed absit, ut putemus in fide vel spe nostra aliquid, ut is putat, dubia æstimatione pendulum; et non magis totum, quod in ea est, certa ac solida veritate subnixum, oraculis et miraculis divinitus persuasum, stabilitum et consecratum partu Virginis, sanguine Redemptoris, gloria resurgentis. Testimonia ista credibilia facta sunt nimis. Si quo minus, ipse postremo Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Quomodo ergo fidem quis audeat dicere æstimationem, nisi qui spiritum istum nondum accepit, quive Evangelium ignoret, aut fabulam putet?.. Academicorum sint istæ æstimationes, quorum est dubitare de omnibus, scire nihil.* Hactenus S. Bernardus. Consuli etiam potest de Abaelardo Gaufridus, lib. III, vitæ ejusdem S. Acti, cap. 5. Ejus porro doctrina proscripta est et libri damnati ab Innocentio II. Cfr. *Acta Concil. Harduini*, tom. VI, part. II, col. 1221 et seqq. Frustra porro discipuli Abaelardi adnisi sunt vindicias magistri sui suscipere, nomen siquidem Abaelardi rationalismi nota inustam ad posteritatem pervenit, nec nisi palynodia potuit ipse sese a promerita damnatione liberare.



produnt (1). In cujus nempe systemate dubium *theoreticum* ac *positivum* ad veritatis inquisitionem exigitur (2); auctoritatis theologicae pondus omnino a theologia eliminatur (3); novae, planeque labilis ac ad scepticismum pronae philosophiae placita veluti fidei basis adstruuntur (4); essentialia dogmatum catholicorum conceptus immutantur ac pervertuntur (5); atque ita

(1) Apertum sane est, haud longe dissimili ac Abaelardus ratione ex falsa methodo sua peccasse Hermesium. Ipse etiam illud *sic et non* Abaelardi in fundamentis ac dogmatibus fidei constituendis sectatus, seu potius *antitheoricam* Kantianam cum dabbio *theoretico* in theologiam universam inducens, veluti unicum methodum veritati inveniendae ac firmandae aptam, ita dogmata pertractat, perinde ac totidem vere essent *problemata*; ita rationes rationibus opponit, ut animus semper hæreat suspensus, quoniam demum evasura sit resolutio; ac licet fontes theologiae proprios adhibere profiteatur, totum demum ad rationis defertur iudicium.

(2) Cfr. quæ supra de Hermesianismo philosophico scripsimus, nec non quæ adnotavimus n. 243, cum not. adnexa. Certe qui exigit, veluti *necessariam* animi præparationem ad fidei veritatem inveniendam, ut animus etiam in homine jam fideli, saltem theologo, in omnimoda *indifferentia seria* ac *positiva* se ponat circa quodvis systema religiosum, licet *catholicum* sit, ut solum rationis ductum sequatur, quocumque demum hæc ratio illum ductura sit, nonne dabbium *positivum* ac *reale* de fide jam suscepta etiam catholica præscribit? Atqui ita procedit Herme-

sius, ut vidimus, in *Methodologia* præmissa *Introductioni* suae *positivæ*. Neque vero in altera *methodologia* præmissa *Dogmaticæ speciali*, id retractat; sed potius suadet, unam eandemque methodum jam prius statutam debere etiam toti dogmaticæ aptari, ut fides in dogmatibus singulis *rationalis* sit. Cfr. *Dogmat. christ. cath.* § 30, pag. 99, et alibi.

(3) Principium Hermesii est, in scientia, etiam theologica, auctoritatem nec veterum nec recentiorum ullius esse ponderis, sed tantum rationis sive theoreticæ sive practicæ dictamen. Cfr. *Intr. phil.* pag. 583. Quis porro locos omnes ex ejus operibus recensere posset, in quibus ipse doctores scholasticos theologosque generatim reprehendit ac sugillat, quod veros conceptus dogmatum plane ignorarint, ac theologiam tenebris obvolverint!

(4) Cfr. quæ de natura hujus philosophiæ, supra quam tota juxta ipsum theologia superstrui debet, si quidem theologiam vere catholicam habere velimus, superius disceptavimus.

(5) Longum sane opus esset ista omnia persequi. Quis enim paucis complecti posset, quæ de Dei sanctitate, libertate, justitia, de novo redemptionis conceptu, de peccati originalis natura, de gratiæ distributione, de gra-



latissima ad errorem omnigenum sternitur via (1).

351. Restat igitur, ut concludamus, tot graves ob causas methodum *syntheticam* seu *demonstrativam* in scholis catholicis theologo dogmatico adhibendam esse. Cui quidem ut fideliter sese accomodet, curabit imprimis, cum ad singulas veritates probandas devenërit, statum quæstionis accurate ac dilucide determinare, prænotiones tradere, veritatem catholicam a quæstionibus adscitiis discernere; patefacere, quodnam sit objectum definitionis. Proposita itaque hoc modo Ecclesiæ aut Romani Pontificis definitione aut generatim quavis Ecclesiæ doctrina tanquam thesi, eam adstruet argumentis suæ disciplinæ propriis, fulcietque iis omnibus subsidiis, quorum capax est, omnemque evasionis aditum adversariis occludet; demum, quæ eidem thesi quacumque videbuntur ratione adversari, diluet. Hæc methodus simplicitate sua se commendat; hæc utilitates omnes, quæ in veterum scholastica methodo inveniuntur, haurit, ita tamen ut ejus vitia declinet, et theologiam ad proprios revelationis fontes revocet; hæc severitate sua captiosas subdolasque

tia sanctificante, aliisque ejusmodi dogmatibus docuit Hermesius, nempe lubricine abreptus conceptus omnes theologicos ad placita philosophica rationis suæ, quam veluti infallibilem normam ac tesseram veritatis spectavit, redigendi?

(1) Sed nimis hic opportunum est referre verba auctoritatis et sanctitatis plenissima summi Pontificis ipsius GREGORII XVI, in decreto edito adversus doctrinam Hermesii 26 Sept. 1835: *Magistri existunt erroris, quia veritatis discipuli non fuerunt. Peregrinis quippe improbandisque doctrinis sacra ipsi inficiunt studia, et publicum etiam, si quod tenent in scholis et academiis, docendi magisterium profanare non dubitant, ipsumque, quod*

*tueri se jactant, sacratissimum adulterare dignoscuntur fidei depositum. Atque inter hujusmodi erroris magistros ex constanti et fere communi per Germaniam fama adnumeratur Georgius Hermes, utpote qui audacter a regio, quem universa Traditio et SS. Patres in exponendis ac vindicandis fidei veritatibus tramite strivere deflectens, quin et superbe contemnens et damnans, tenebrosam ad errorem omnigenum viam moliat in Dubio positivo tanquam basi omnis theologice inquisitionis, et in principio quod statuit, rationem principem normam ac unicum medium esse, quo homo assequi possit supernaturalium veritatum cognitionem.*

adversariorum fidei artes patefacit (1); hæc demum jugi experientia ad juvenum mentes solide informandas aptissimam se ostendit.

352. Major adhuc excitari quæstio posset circa methodum aptiorem alteri theologiæ generi, quam *præparatoriam*, seu *generalem* nuncupavimus; quandoquidem ista non in dogmatibus firmandis versatur, sed in ipsa fidei fundamenta inquirat, revelationis nempe existentiam, divinamque originem, veram Christi Ecclesiam, Scripturas sacras et Traditionem, e quibus veluti fontibus tota dein propria ac specialis theologia dogmatica sit derivanda. Attamen qui rationes omnes hactenus pro methodo synthetica allatas, *demonstrativam* ejus indolem, soliditatem, perspicuitatem, ac cætera demum commoda accurate perpendit, contra vero incommoda atque adeo pericula omnia, quæ methodum analyticam in rebus fidei necessario comitantur, in nostram facile descendet sententiam, syntheticam methodum etiam in hac theologiæ parte esse jure optimo anteferendam. Non enim hic agitur de homine, qui aut fundamenta Christianæ Religionis ignoret, aut *vero* ac *positivo* dubio circa ejus veritatem laboret; ambiguum quippe haud est, quin tali in casu *analyticam* inquisitionem sua veluti sponte enasci opus esset. Agitur de catholico theologo, qui ideo hanc suscipit tractationem, ut fundamenta illa jam explorata revelationis, quæ veluti principiorum officio in scientia theologica fungi debent, firme vindicet ac stabiliat; ut *geneticum*, quem dicunt; illorum ordinem, ac unius ab altero dependentiam accurate constituat; ut ostendat demum, scientiam suam propriis iisque validissimis niti

(1) Ex quo apertum fit, quare Lutherus aliique reformationis auctores in methodum scholasticam ac in dialecticam ipsam tantopere sint debacchati. Neque nos probare possumus eos recentiores theologos, qui cane et angue pejus, quidquid syllogisticam formam re dolet, averantur, eaque humanum opprimi ingenium etiam in

theologia conqueruntur. Abusus certe vitandi; sed cur in sacra hac disciplina tradenda ea est ableganda disceptandi forma, quæ cum severas dialectices leges servet, veritatem ad simplicissimas propositiones revocat, in quibus, si qua falsitas aut fraus irrepserit, facile apparet?



principiis, quæ pro singulis fidei veritatibus argumenta invicta suppeditant. Quid igitur obstat, aut potius quid non suadet omnino, ut theologus hæc omnia *demonstrative* præstet eo plane modo, quem paulo ante descripsimus? Scimus, qui aliter tractationem suam instituit Hermesius, quos in scopulos etiam hæc in parte impegerit; quin imo dici potest, ex falsa methodo, in philosophica ac positiva *Introductione* sua semel constituta, eo perductum esse, ut eam ipsam methodum in specialem dogmaticam theologiam magno cum hujus detrimento invehret.

353. Quod si agatur adversus incredulos, qui omnem respuunt revelationem, non idcirco, uti jam monuimus, synthetica hæc methodus erit theologo polemico deserenda; sed ipsi erit inhærendum, eos perstringendo ex principiis, quæ iidem admittunt. Si enim vere scepticos theoreticos ( si qui tamen dantur ) excipias, adversus quos inutilis quævis esset concertatio, reliqui omnes utut perditissimi nonnulla saltem principia uti vera rataque habent. His itaque arreptis, ab iis exordietur theologus, ac ulterius progredietur propositionum serie ac ordine ita disposito, ut ex una in alteram thesim provehendo illos perducatur ad admittendam divinam revelationem. Quo quum pervenerit, difficile haud illi erit eisdem demonstrare existentiam Ecclesiæ seu societatis, a Deo ipso constitutæ custodis, depositariæ ac interpretis revelationis ipsius; hæc in tuto posita ex ejusdem Ecclesiæ intima constitutione, proprietatibus ac notis, nec non dotibus, quibus a divino conditore suo prædita est, facilis ei erit progressus ad adstruendam auctoritatem Ecclesiæ catholicæ, cujus magisterio omnes se subicere debent ad habendam omnimodam certitudinem tum librorum divinorum, tum veri dogmatici eorum sensus, tum traditionis, ac traditionalis item sensus dogmatici in eadem societate continenter asservati; ac proinde, quod consequens est, illos perducet ad suscipiendam ab eadem Ecclesia fidem *objectivam* veritatum omnium, quas Deus hominibus patefecit.

354. Neque vero nos, dum pro toto theologiæ systemate recte solideque constituendo syntheticam methodum veluti unice aptam commendamus, cuicumque rerum analysi volumus esse



infensi. Nil enim vetat, quin, dummodo generalis methodus, quæ totum systema scientificum informat, synthetica sit, in particularium rerum tractatione analysis quandoque veluti in subsidium adhibeatur. Id locum habere præsertim potest, cum theologus munus, quod *speculativum* diximus, suscipiens, intimam Mysteriorum indolem, quantum assequi ratione licet, scrutatur, eaque ad quamdam intelligentiam conatur evehere. Id etiam usum habebit, cum adversariorum difficultates solvere aggressus, illarum veluti latebras atque anfractus rimabitur, ut veritas tenebris ab iisdem obducta extrahatur in lucem.

355. Analysin igitur accuratam rerum in variis theologiæ partibus, aut etiam analyticam methodum in aliqua singulari de re theologica tractatione non tantum non excludimus, sed commendamus etiam; ast pro toto theologico dogmatum sive *generali* sive *speciali* systemate adornando, ac pro recta dogmaticæ tradendæ ratione *synthetice* ac *demonstrative* procedendum contendimus. (1).

356. Atque hæc ( ut aliquid demum hac de re coronidis loco innuamus ) accommodari etiam possunt quæstioni alteri, quæ versari solet de lingua in rebus theologicis adhibenda. Nos enim non ii sumus, qui omnem vernaculæ linguæ cujusque nationis propriæ usum e theologica re prorsus exulare jubeamus. Sunt aliquæ tractationes vel *apologeticæ* vel *polemicæ*, vel *irenicæ* vel *historicæ*, vel *eruditæ* ad eam pertinentes, quæ

(1) Ita apud scholasticos præclariores, licet ipsi methodum *syntheticam* ac demonstrativam secuti sint, perfectæ passim analyseos specimina occurrunt. Falso tamen a quibusdam contenditur, scholasticos methodo analytica et ex dubio præterea *positivo* procedere. Si enim quæstionem principio forma dubitandi proponunt *an* vel *utrum* etc., si insuper difficultates contrariasque sententias prius exhibent, hoc non arguit certe methodum analyticam, cum ipsi

revera thesim suam positive ponant, eamque demonstratione evincere conentur. Difficultatum prævia expositio non est nisi materialis ordinis inversio. Dubium vero, quo rem plerique exhibent, ad methodicam quamdam ac mere item materialem rei dispositionem pertinet, statimque ad thesim suam systematice ac theoretice probandam deveniunt. Ita videre est apud scholasticorum principem S. Thomam.

vulgari lingua utiliter eduntur, prouti varia locorum, ætatis hominumque indolis adjuncta suadent. Ast si de systemate theologico universo perfecte instituendo, si de junioribus theologis in sacris disciplinis informandis agitur, nimis graves causæ rectum theologum impellere debet ad latinæ linguæ usum mordicus tuendum ac retinendum.

357. Possem pro hac affirmatione in medium afferre : 1<sup>o</sup> quod latina lingua, utpote constanti et antiquissimo Ecclesiæ usu consecrata, et *liturgica* effecta, jus quoddam sibi merito adsciscere videtur etiam in sacras disciplinas, quæ Ecclesiæ doctrinam fideique depositum continent (1); 2<sup>o</sup> quod Christi Ecclesiam, cum *catholica* vere sit seu universalis, maxime decet valdeque eidem fructuosum est *universalem* linguam habere, qua doctrina ejus *systematice* tradatur ac illustretur, sic ut varii catholicorum theologorum, licet diversarum nationum, labores in communem Ecclesiæ totius usum ac fructum venire queant; 3<sup>o</sup> quod Patres quamplures, doctores, ceterique theologici scriptores superiorum fere omnium Ecclesiæ ætatum latina lingua opera sua potissimum exararint; 4<sup>o</sup> quod ubi a theologiæ scholis latinus ablegetur sermo, vernaculis linguis suffectis, hujus linguæ studium in junioribus theologis restinguetur ac decidet, magno cum clericalis cœtus dedecore atque Ecclesiæ ipsius detrimento.

358. Sed alia est ratio momenti adhuc valde majoris, quæ rem nostram omnino conficere debet : maxima nimirum pericula et damna, quæ fidei catholicæ obveniant oportet, si quidem ejus dogmata vernaculis linguis tractentur. Habent enim christiana dogmata cum ratos firmosque conceptus suos, quos immutare nefas est, tum locutiones illas perpetua traditione atque usu consecratas, quæ conceptus illos rite efferunt, perpetuoque integros servant. Atqui, si hæc omnia cuique e vernaculis linguis committantur, quæ variæ ac mutabiles sunt, et quas quisque scriptor pro ingenio suo inflectere potest, ac aliam alius voca-

(1) Vide, quæ egregia habet cl. De Ecclesia universali in op. *Du Pape*, Maistre de lingua latina ejusque usu in liv. I, chap. 20.



bulis significationem tribuere, quis non videt quot inde in dogmata ipsa varietates, ambiguitates, perversiones etiam dimanent? Præsertim vero hac ætate, qua tot philosophiæ systemata, tot opinionum placita communes conceptus totumque, pene dixerim, verborum usum ac acceptionem plane sus deque verterunt, nonne valde pertimescendum erit, ne scriptorum ingenia, nisi in rebus fidei tractandis fixa aliqua conceptuum ac verborum lege coëreantur, in *profanas verborum novitates*, ac in totius sacræ scientiæ perversiorem proruant? Atque utinam id non luctuosa nimis recentioris ætatis experientia testaretur (1)! Ex quo enim in nonnullis regionibus latina lingua e theologis disciplinis, etiam a junioribus erudiendis exulavit, neotericæ philosophiæ placita ita in theologica dogmata irrepserunt, ita imaginationis æstui habentæ laxatæ sunt, ita simplicitas fidei, quæ in scientia etiam theologica elucere debet, adscititiis est ornamentis et fucis adulterata, ut veram germanamque theologiam frustra desideres. Scriptores invenies, etiam doctrina ac Religionis studio cæteroqui præditos, quorum theologica opera, si in aliam quamcumque linguam convertere tentes, vix tolerabilem aliquem sensum, hominumque captui pervium assequi poteris. Hæc quidem nos non animo quemquam insectandi proferimus, sed tantum pro Religionis bono, pro juventutis in spem Ecclesiæ adolescentis necessitate, pro sacro illo fidei deposito, corruptibili quovis auro argentove longe prætiosiore, quod quidem theologus quisque,

(1) Placet hic e Baltzerio exscribere testimonium percelebris inter Germaniæ protestantes, historiæ præsertim scriptoris, scilicet *Leo*, qui alio etiam ex capite deflet in Germania sua usum vernaculæ linguæ in res theologicas invecutum, lingua latina derelicta. *Si hujus seculi initio, postquam Vatke, De Wette, Gesenius aliique invexerant in theologiam tendentiam illam dissolutionis, extilisset aliqua prohibitio* (Gubernii nimirum), *ne investigationes*

*ullæ, quæ noxiæ esse possent auctoritati Bibliorum apud populum, germanice ederentur, ac lex sancita esset, quod in ejusmodi lucubrationibus lingua latina esset adhibenda, quemadmodum anteactis temporibus existebat, cautum hoc modo ac impeditum fuisset, quominus doctrinæ talium librorum, uti est vita Jesu a Straussio confecta, per publicas ephemerides in omnium ore ac manibus versarentur.* Apud Baltzer, op. cit. fasc. I, § 5.



si quidem catholicus haberi velit et sit, purum, sartum, integrum custodire debet et tradere (1).

### CAPUT III.

DE INSTRUMENTIS SEU MEDIIS, QUÆ THEOLOGO USUI ESSE POSSUNT.

359. Præter fontes, de quibus in hac tractatione egimus et ex quibus theologus suas haurire debet probationes, plura alia ad rem catholicam adserendam, illustrandam ac tuendam subsidia sibi comparet necesse est. Subsidia hæc, quæ *instrumenta* vocavimus seu media, alia *intrinseca* et propria scientiæ sunt, *extrinseca* alia et veluti aliunde adscita.

360. *Intrinseca* porro sunt Scriptura et Traditio cum iis omnibus, quæ ad eas referuntur, quasque hic spectamus, non solum quatenus locos theologicos constituunt ac *remotas* fidei regulas, verum etiam imo potissimum in ordine ad cognitionem, quam sibi de illis theologiæ candidatus comparare debet. Quo sub aspectu Scripturarum cognitio complectitur criticam, exegesim, hermeneuticam, linguisticam, archæologiam. Traditio vero historiam dogmatum, monumenta ecclesiastica, patristicam, cum reliquis, quæ suo loco expendimus.

361. Necesse autem non est, ut singula hæc capita persequamur, cum satis abunde de illis egerimus in priore secundæ hujus tractationis partis sectione. Illud tantum animadvertimus, quod dum *historiam dogmatum* commemoravimus, haud significemus uniuscujusque dogmatis originem, prout hæretici atque in his præcipue rationalistæ intelligere consueverunt. Siquidem alia illis origo nisi divina revelatio nec est nec esse potest. Ast per historiam istam unice innuimus originem impugnationis cujusvis

(1) Præclare iterum Vincentius Lirinensis, theologum alloquens: *Catholicæ fidei*, inquit, *talentum inviolatum illibatumque conserva. Quod tibi creditum, hoc penes te maneat, hoc a te tradatur. Aurum accepisti, au-*

*rum redde: nolo mihi pro aliis alia subjicias; nolo pro auro aut imprudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta supponas; nolo auri speciem, sed naturam plane.* Commonit. § 22, edit. Gallan.

singillatim dogmatis : a quibus nempe , quo obtentu , queis argumentis , quomodo item error propagatus fuerit , quas phases subierit ; quando dogma adsertum ab Ecclesia sit ac definitum , quinam præcipui veritatis eatholicæ propugnatores extiterint , quibusque usi argumentis sint. Hæc enim plurimum conferunt ad eadem dogmata firmanda , præsertim cum hæretici posteriores ut plurimum nonnisi obsoletos ac plene contritos errores e suis veluti cineribus excitarint (1).

362. Nec aliter dicas de *patristica* , ut trito jam vocabulo utamur , quæ nempe se protendit ad pleniorum cognitionem eorum , quæ ad Patres spectant ; biographiam præterea , historiam criticam , uniuscujusque laborum seu commentariorum ordinem chronologicum , operum quæ genuina habentur ab adscriptitiis aut interpolatis secretionem , præstantiores demum editiones complectitur (2). Ab hac nonnulli distinguere solent *patrologiam* veluti illius partem , cujus præcipuus scopus est in doctrinam sanctorum Patrum intimius penetrare , opiniones quaque ætate prævalentes sive theologicas sive philosophicas expendere , quæ non parum juvant ad illorum intelligentiam assequendam , atque ad verum eorum sensum detegendum. Patristicæ subsidio non modo theologus poterit sese ab illa defen-

(1) Exemplo sint sociniani , qui sabelianismum , paulicianismum , noetismum denuo excitarunt ; item lutherani et calviniani , qui Aërii , Vigilantii , Joviniani , aliorumque absurda commenta adoptarunt , et ita porro.

(2) Eminent inter cetera hæc de re duo egregia opera , nempe *Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques* par le R. P. Dom. Remy Ceillier , bénédictin. etc. Paris 1729 ; quod quidem opus xxxiii volum. in 4 constat , præter locupletissimum indicem , qui constituit volum. xxiv ; atque *Apparatus ad bibliothecam maximam veterum Patrum et antiquorum scrip-*

*torum ecclesiasticorum Lugduni editam* , opera et studio Domni Nicolai le Nourry , presbyteri et monachi ord. S. Bened. duobus volum. in folio. Paris. 1703. Adjumento pariter esse poterunt *Apparatus sacri* Ant. Possevini S. J. Venet. 1606. trib. volum. in fol. Et quoad antiquiores Patres præter Cotelierium , qui edidit duobus vol. Patres apostolicos , *Illustrium ecclesie orientalis scriptorum , qui sanctitate juxta et eruditione floruerunt* 1 et 2 *Christi seculo vitæ et documenta* , auctore R. P. Petro Halloix S. J. Duaci 1633 et 1636 duob. volum. in fol.



dere hoc præsertim tempore sane turpi hallucinatione, qua fit ut testimonia apocrypha pro genuinis ac sinceris adducantur; antiquiores auctores exscribendo, qui ea primum protulerunt nondum severiore critice facem præferente; verum etiam germanam poterit Patrum mentem assequi quoad illos textus, quibus hæretici abutuntur ad catholicam doctrinam labefactandam. Prolegomena et appositæ dissertationes ac notæ a doctis illorum operum editoribus adornatæ, adjumento erunt perutili ei, qui serio velit in id studio incumbere.

363. Optandum quidem esset ut, eadem adhiberetur diligentia in cognoscenda scholasticorum critica historia, nec non opinionibus, quæ apud illos invaluerunt, et mutationibus, quibus fuerunt obnoxie, aliisque ejusmodi, ex quibus haud modica commoda in proprium usum theologus derivare posset.

364. Sed ut aliquid jam attingamus de instrumentis *extrinsecis* et adscititiis, tot fere hæc sunt, quot, pene dixerim, sunt bonæ artes ac disciplinæ. Vix enim aliqua ex eis invenitur, ex qua depromere nequeat theologus aliquid saltem, quo catholica veritas aut illustretur aut defendatur. His siquidem omnibus cum Religionis catholicæ hostes turpiter abusi sint ad eam impugnantandam, theologus ad eas confugiat necesse est, ut inde pharmacum extrahat, unde increduli aut hæretici venenum hauserunt, et arma conquirat, unde illi sibi tela, quibus eam confoderent, compararunt (1).

365. In harum prælectionum decursu non semel vidimus, qua ratione catholicæ doctrinæ adversarii abusi fuerint dialectica, metaphysica, psychologia, physica, mathesi, astronomia, geologia, physiologia, philologia, sculptura, pictura, poësi, archæologia, historia, politica, utroque jure civili et ecclesiastico, ut sese illis offerebat occasio. Quoniam vero vix aut ne

(1). Cf. hac de re egregium opus jam a nobis laudatum *Discours sur les rapports entre la science et la religion révéllée*, etc. auctore cl. episcopo Nicolao Wiseman, præsertim vero XII, seu ulti-

mam conferentiam, in qua egregius auctor ad optima quæque studia colenda, opportunis ac ingeniosis in medium argumentis allatis, theologos excitat ac impellit.



vix quidem fieri potest, ut quisquam sit disciplinis his omnibus apprime instructus, saltem cognoscat oportet, dum veritatis catholicæ vindicias sumit, celebriores auctores, qui illas singulas excoluerunt et in unaquaque excellunt, ut inde communire se possit adversus improbos acatholicorum conatus. Quo recentiores vero auctores sunt et scientiam ad ulteriorem perfectionem provexerunt, eo magis videntur idonei; quippe, uti non semel animadvertimus, quo magis scientiæ progrediuntur, perimunt difficultates, quas illæ in sua veluti infantia procreant. Quapropter theologo maxime cordi esse debet, ut, cum scientiarum incremento pari gradu incedens, semper eisdem valeat pro oportunitate uti. Sic eam reprehensionem effugiet, quæ non semel in theologos intentata est, eos videlicet *stationarios* esse, ac dum scientiæ omnes seculo progrediente magis in dies proficiunt ac ditescunt, eosdem in anteaactis seculis consistere, ac in sua paupertate marcescere. Hac ratione se suamque disciplinam ab opprobrio vindicabit, ostendetque, theologos haud plane hospites a præsentis scientiarum statu esse, conciliabitque theologicæ scientiæ virorum doctorum promeritam venerationem (1). Quamvis enim theologia quoad objectum suum incapax progressus sit, cum illud recipiat et non cudat, tamen quoad rationem quæstiones ipsas pertractandi, quoad veritatis illustrationem, insectationem errorum novorum, capax est, uti ceteræ scientiæ omnes, jugis progressus et perfectibilitatis.

(1) Ceterum quoniam ætate potissimum hac nostra haud paucæ tum a catholicis tum ab acatholicis summi momenti agitantur quæstiones ope periodicarum, ut vocant, collectionum, atque ephemeridum etiam, hæc instrumenta, quæ veluti publica opinionum vehicula sunt, non omnino theologus negliget. Ex illis enim non modo præsentem deprehendet controversiarum statum, sed novissimas præterea cognoscet erroris formas. Error quippe in

perpetuo semper fluxu transituque est, atque has erroris vices cognoscat theologus oportet, ut idoneas aptet responsiones, erroremque de statione in stationem insectetur, donec turpitudine illius in medium prolata, eum pudeat sui ipsius. Quod quidem in dies protestantismo contingit, qui ad tales incitas redactus est, ut amplius non inveniat ubi se teneat, si vaga verba, ambages, partemque demeris negativam.

366. Instrumentis igitur tum propriis tum adscititiis stipatus theologus, ac lucidissima scientiarum omnium aureola circumdatus, strenue poterit in aciem descendere, quin paveat catholicæ Ecclesiæ adversarios, qui eminus quidem conspecti, specie gigantes videntur, cominus vero se produnt, quales reipsa sunt, pygmeos videlicet, qui per adusta dubii deserta vagantes, non habent ubi pedem figant, aut ubi consistant. Miseros homines, qui se suosque adeo ingeniose decipiunt, ac negotiorum maximum, cujusmodi salus æterna est, lubricæ, incertæ ac deceptrici subjectivæ persuasioni committunt! Utinam saperent et intelligerent ac novissima providerent! Utinam errores erroribus cumulare desisterent, ac sæva diu huc illuc tempestate jactati, in tutum aliquando quietis ac salutis portum sese divina adspirante gratia reciperent! Cuicumque profecto, hac præsertim ætate nostra, sedulo ac sincero animi studio veritatem inquirenti, ea rerum undequaque conditio, isque sese offert adspectus, lacrymabilis hinc ac plane desperandus, jucundissimus illinc salutisque plenissimus, ut diu dubius ac anceps hærere non possit. Ex una quippe parte, quo magis oculorum intendatur acies, quid nisi congesta rudera sese intuenti exhibent ingentesque ruinæ? Ruinæ namque sunt misera illa protestantismi discerptio in tot tantasque sectas, sectarumque veluti frustula secum ipsis pugnantium, quæque veluti folia novos mutantur in annos; ruinæ divina sacrorum Librorum inspiratio plane sublata; historica et objectiva Religionis christianæ fides evulsa radicitus; philosophica qualis sit cumque religio suffecta indefinite progrediens, novisque semper se formis evolvens, quin unquam metam attingat; politicus demum in Religionis res dominatus, sic ut e principis cujusque nutu pendeat novam Religioni formam aptare, novum indere nomen. Hæc certe protestantismi ubique facies est, ac simillima mortis imago. Age vero et quid tibi ex altera parte se sistat intuere. Magnificum nempe illud, omnique ex parte admirandum Ecclesiæ catholicæ ædificium, a Christo ipso supra solidissimam petram extractum, ac a novemdecim prope seculis in unitate, indefectibilitate, sanctitate ac hierarchica veluti harmonia sua jugiter perseverans. Quod

quidem tot jamdiu procellis quassatum, tot occultis tentatum insidiis, tot palam machinis impetum, nil unquam de stabilitate sua deperdidit, nihil de suo splendore amisit; sed firmiter inde ac solidius effectum est, novoque in dies et clariore lumine coruscat. Illi tot cœlestia sidera affluent, quot Patriarchæ sunt, qui illud consalutarunt a longe; quot Prophetæ, qui illud vaticinati sunt; quot Apostoli, qui illud opera sua fundarunt lateque propagaverunt; quot Martyres, qui pro illo sanguinem suum profuderunt; quot Virgines et Confessores, qui sanctitate sua illud condecorarunt; quot demum doctores, qui illud sapientia sua illustrarunt. In eo cœlestium donorum et charismatum nunquam non affluit copia; in eo sacrarum Scripturarum integritas ac sanctitas manet; fidei christianæ dogmata ad apicem usque plena et incorrupta servantur; perpetua christianorum seculorum traditio ac disciplina sanctissime custoditur. Ad hoc oriens atque occidens, ad hoc septentrio ac meridies oculos perpetuo attollunt, protendantque manus; ex eoque novi semper Evangelii præcones prodeunt, ad regnum Dei per omnes populos et tribus et linguas ad extremas usque mundi plagas disseminandum. Oh! *Si oblitus fuero tui*, Romana catholica Ecclesia, *oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui*, si quidquid mihi Deo adjuvante suppetat virium, in te, quod hactenus præstare conatus sum, ubique prædicanda, illustranda ac tuenda non conferam!



VERSIO LATINA LOCORUM, QUÆ EX SCRIPTORIBUS ITALIS, ITALICE  
IN HOC VOLUMINE CITANTUR.

Pag. 177. Ex J. Bern. De Rossi opere, quod inscribitur : *Introductio ad S. Scripturam*, Parmæ 1817, § 78.

Optandum est igitur et vehementer optamus ad decus et splendorem religionis, quin et ipsius vulgatæ, ut e futuris Pontificibus unus accuratiorem nobis et emendatiorem S. Scripturæ editionem donet, qua duorum prædecessorum suorum beneficium compleat ac perficiat. Quam mirum in modum gloriæ suæ, id præstando, consuleret!

Pag. 183. Ex eod. opere loc. cit.

(Critici qui de editione Clementina scripserunt) lectiones editionis Sixtinæ plurimas, lectionibus editionis Clementinæ anteferendas judicaverunt. Nos ipsi hujus judicii argumenta dedimus in alio opere.

Pag. 258. Ex Card. Pallavicini *Hist. Concilii Tridentini*, lib. VI, cap. 14, n. 2.

Hæ objectiones numerum suffragiorum non imminuerunt; sed e contra, quod primam attinet, considerarunt Patres in hoc decreto traditiones conjungi cum Scripturis, ut ipsæ simul cum Scripturis intelligerentur esse fidei fundamenta, et per consequens Dei revelationes... *Et cap. 18, n. 7*: Duo sibi proposuit concilium edendo hoc decretum: unum, declarare non solas S. Scripturas esse fidei fundamentum, quemadmodum recentiores hæretici contendebant, sed etiam traditiones, a quibus ultimatim pendet, ut de ipsarum Scripturarum legitima auctoritate certiores fieri possimus...

Pag. 311. Ex Aringhii *Roma subterranea*.

Primus (Romæ subterraneæ) auctor (Bosius), nec non qui idem opus perfecit (Severani), laudes maximas consecutus est, præcipue in regionibus ultramontanis, ubi docti quique curiositate moti, avide scripta ejus perlustrarunt, ut in iisdem ritus nascentis Ecclesiæ, cultum sacrarum imaginum, antiquam venerationem erga sanctorum reliquias, probata reperirent. Quæ quum hæretici nonnulli legissent, abjurata hæresi, veram fidem amplexi sunt et in sinum Ecclesiæ recepti fuerunt.

Pag. 316. Ex M. Maffei *Verona illustrata*, part. III, cap. 3, p. 407. Veronæ 1732.

Memini me sæpius observasse in Musæo magni Ducis (Florentini) lucernam antiquam ex metallo conflata ea ætate, qua artes pulchriores nondum plane perierant; formam navigii exhibet, in cujus prora stat S. Paulus prædicans, dum S. Petrus ad puppim sedens gubernaculum regit. Hoc monumentum libris ipsis eloquentius est.

Pag. 339. Ex Cl. Galluppi *Tentamine de cognitionum nostrarum judicio critico*, t. I, p. 17, Neapoli 1819.

Nisi conscientia quam habeo modificationum, quæ in me fiunt, unita foret sensui (*sentimento*) existentia meæ, nunquam certo cognoscere possem, id, quod mihi accidit heri, mihi met ipsi accidisse. Certo non possem credere, me eundem esse, dum perceptiones meæ, cogitationes, modificationes multiplicantur, cessant, et continuo iterum succedunt aliæ aliis.

Pag. 545. Ex Card. Gerdilii *Introductione ad stud. religionis*, tom. IX, op. p. 27.

Ut cognoscatur propositio quælibet vera vel falsa, necesse est, ut sciamus, utrum attributum, quod affirmatur vel negatur convenire subjecto, ipsi revera conveniat nec ne. At duplex est hanc convenientiam investigandi ratio: prior, si ex idea subjecti et attributi eruantur argumenta vel evidentia vel vero similia, quibus hujusmodi convenientia demonstratur vel indicetur; posterior, si comparato subjecto cum attributo, nihil appareat, ex quo eorum convenientia vel repugnantia colligi possit; quapropter recurrendum est ad argumenta extrinseca, quæ de convenientia vel repugnantia nos faciant certiores. Dum modum priorem sequimur, iudicium, quod de veritate aut falsitate propositionis fertur, ex directa cognitione, quam habemus, veritatis aut falsitatis illius in se spectatæ, nascitur, id est, videmus aut intelligimus aliqua ratione connexionem vel repugnantiam, quæ inter ideam subjecti et attributi existit; et insuper scimus, non solummodo eam propositionem veram esse, sed etiam nobis perspecta est ratio, qua intrinsece ejusdem veritas determinatur. Dum posteriori modo inquirimus, id unice scire possumus, qualia sunt extrema connexa vel sibi repugnantia, quin connexionis vel repugnantia eorum cognitionem directam consequi possimus, unde fit ut secure credamus propositionem esse veram, etsi veritatem ejus nulla ratione percipiamus; siquidem veritas objectiva in connexionem rerum tota consistat.

Pag. 446. Ex Cl. Galuppi *Epistolis philosophicis*, p. 296.

Kant *aliquid inconcussum* non admittit explicite; contendit enim, suam *criticam* esse scientiam absolute *a priori*. At talis non foret, si experientia factis quæ conscientia suppeditat participaret; quum autem intrinsece impossibile sit philosophice disputare, nisi admittatur *factum* conscientia, implicite admittit *aliquid inconcussum*; nullo enim modo philosophus iste contradictiones abhorret.

Pag. 447. Ex Card. Gerdilii opere, quod inscribitur: *De origine sensus moralis*, tom. II, op. p. 278.

Quando intellectus sibi conscius est evidentia, quacum veritatem aliquam cognoscit, ipse non potest non sibi persuadere, dum ad seipsum reflectit, rem revera esse, qualem videt; quandoquidem intuitive cognosci non possit id, quod non est. Unde quoad illud particulare objectum plene satiatur illud, quo intellectus movetur, cognoscendi desiderium, quod oritur ex inclinatione impellente ad inquirendum verum, donec inveniatur, id est, donec aliquid cognoscendum supersit. Cognitio est igitur regula naturalis iudicii, id est, cognitio id ipsum est, quod naturaliter iudicium determinat.

Pag. 504. Ex Cl. D. Severini Fabriani opere, quod inscribitur: *Religio christiana demonstrata ex natura suorum mysteriorum*, Introduct. pag. 6.

In prima parte (operis, *demonstrat*) omnia systemata religionis vel incredulitatis, ab hominibus excogitata, continere mysteria, quæ, quum absurda sint, humanam rationem offendunt; in secunda parte, omnia systemata religionis vel incredulitatis, ab hominibus excogitata, continere mysteria, quorum consequentia mores corrumpunt; in tertia parte, solam religionem christianam continere mysteria, quæ nedum rectam rationem offendant, eam contra sublimius efferunt (*sublimano*); in quarta parte, solam religionem christianam continere mysteria, quæ, nedum corrumpant, perfectiorem efficiunt morum doctrinam.

# INDEX.

## TRACTATUS DE LOCIS THEOLOGICIS.

### PARS SECUNDA.

	DE VERBO DEI SCRIPTO ET TRADITO.	pag. 1
	<i>SECTIO PRIOR, DE SACRA SCRIPTURA.</i>	4
CAPUT I.	DE SACRORUM LIBRORUM CANONE ET AUCTORITATE.	<i>ib.</i>
PROP. I.	<i>Canon sacrorum Librorum a Concilio Tridentino editus solidum habet in primitiva Ecclesia fundamentum, ac integer est omnino retinendus.</i>	8
	DIFFICULTATES.	14
PROP. II.	<i>Rejecta Ecclesiae catholicae auctoritate, nequeunt Protestantes certum sacrae Scripturae canonem constituere.</i>	47
	DIFFICULTATES.	51
CAPUT II.	DE DIVINA CANONICORUM LIBRORUM INSPIRATIONE.	57
PROP. I.	<i>Jure merito Concilium Tridentinum docet, unum Deum esse Librorum canonicorum utriusque Testamenti auctorem, seu eos esse Libros sacros, utpote Spiritu S. afflante, saltem quoad res et sententias, conscriptos.</i>	66
	DIFFICULTATES.	70
PROP. II.	<i>Rejecta Ecclesiae catholicae auctoritate, certo constare nequit Protestantibus divina Librorum canonicorum inspiratio.</i>	82
	DIFFICULTATES.	88
CAPUT III.	DE SACRARUM SCRIPTURARUM INTERPRETATIONE.	98
ARTIC. I.	De sacrarum Litterarum interpretatione dogmatica.	100



PROP. I.	<i>Scriptura sacra, etiam in iis quæ ad fidem et mores pertinent, non ita clara est, ut interprete non indigeat.</i>	101
	DIFFICULTATES.	107
PROP. II.	<i>Solius Ecclesiæ est dogmaticam præbere Scripturæ sacræ interpretationem.</i>	115
	DIFFICULTATES.	118
PROP. III.	<i>Protestantes, abjecta Ecclesiæ auctoritate, nunquam certi esse possunt de dogmatica Scripturarum interpretatione.</i>	122
	DIFFICULTATES.	131
ARTIC. II.	De exegetica seu scientifica Scripturarum divinarum interpretatione.	144
CAPUT IV.	DE SCRIPTURÆ SACRÆ VERSIONIBUS.	159
PROP. I.	<i>Merito Tridentina Synodus ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferebantur sacrorum Librorum, veterem vulgata editionem pro authentica habendam esse statuit et declaravit.</i>	165
	DIFFICULTATES.	172
PROP. II.	<i>Jure optimo Romani Pontifices societates biblicas nuncupatas veluti noxias et perniciosas iteratis decretis improbarunt.</i>	189
	DIFFICULTATES.	195
CAPUT V.	DE SACRÆ SCRIPTURÆ LECTIONE IN LINGUA VERNACULA.	201
PROP. I.	<i>Sacræ Scripturæ lectio Christi fidelibus indiscriminatim omnibus minime necessaria est ad salutem.</i>	203
	DIFFICULTATES.	206
PROP. II.	<i>Nunquam Ecclesia aut Rom. Pontifices universim prohibuerunt fidelibus sacræ Scripturæ lectionem in lingua vernacula; sed modo improbarunt, modo probarunt, prout temporum, locorum, aut personarum adjuncta ac fidelium utilitas exposcere videbantur.</i>	214

DIFFICULTATES. 223

SECTIO II. DE TRADITIONE. 228

CAPUT I. DE NECESSITATE ET EXISTENTIA TRADITIONIS. 230

PROP. *Præter sacram Scripturam admitti necessario debent traditiones divinæ dogmaticæ, ab illa plane distinctæ.* 232

DIFFICULTATES E SCRIPTURA. 243

DIFFICULTATES EX SANCTIS PATRIBUS ET DOCTORIBUS. 259

DIFFICULTATES EX NATURA ET INCOMMODIS TRADITIONIS. 272

CAPUT II. DE MEDIIS GENERALIBUS, QUIBUS TRANSMISSA EST PRIMITIVA DOGMATICA TRADITIO, QUIBUSQUE TUTO COGNOSCI POTEST. 282

§ I. *De Ecclesiæ magisterio.* 283

§ II. *De Conciliorum præsertim œcumenicorum actis.* 286

§ III. *De Martyrum actis.* 288

§ IV. *De sacra Liturgia.* 290

§ V. *De Praxi Ecclesiæ in publica et solemnibus Sacramentorum administratione et cultu religioso.* 293

§ VI. *De sanctis Patribus.* 294

§ VII. *De Scholasticis theologis.* 300

§ VIII. *De Hæreticis.* 303

§ IX. *De Historia ecclesiastica.* 306

CAPUT III. DE MEDIIS SINGULARIBUS, QUIBUS ANTIQUA TRADITIO TRANSMISSA EST ATQUE COGNOSCATUR. 310

§ I. *De Epigraphiâ.* 312

§ II. *De veterum Christianorum monumentis reliquis.* 315

### PARS TERTIA.

DE ANALOGIA RATIONIS ET FIDEI. 322

SECTIO PRIMA. DE ANALOGIA RATIONIS AC FIDEI IN SE SPECTATA. 324

T. IX. 38

CAPUT I.	DE RATIONE ANTE FIDEM SPECTATA.	326
ARTIC. I.	De recto rationis usu ante fidem.	337
	PRÆNOTANDA.	338
PROP. I.	<i>Plures veritates naturalis ordinis, quæ tanquam præambula fidei spectari possunt, absque supernaturalis revelationis subsidio, recta ratio omnimoda certitudine cognoscere potest.</i>	356
	DIFFICULTATES.	364
PROP. II.	<i>Ratio, etiam individualis, ac propterea absque consensus generis humani subsidio, potest sibi in pluribus veritatibus certitudinem comparare.</i>	383
	DIFFICULTATES.	387
PROP. III.	<i>Potest humana ratio certo cognoscere motiva, quæ vocant credibilitatis, ac per ea sibi comparare certitudinem existentie divinæ revelationis.</i>	397
	DIFFICULTATES.	400
PROP. IV.	<i>Potest pariter humana ratio certo veræ Christi Ecclesiæ cognoscere existentiam.</i>	404
	DIFFICULTATES.	405
ARTIC. II.	De abusu rationis ante fidem.	410
§ I.	<i>De philosophicæ doctrinæ placitis, quæ directe fidei susceptioni adversantur.</i>	411
1.	<i>De Pantheismo.</i>	412
2.	<i>De Materialismo.</i>	421
3.	<i>De Fatalismo ac Determinismo.</i>	426
§ II.	<i>De placitis philosophicis, quæ indirecte Fidei susceptioni obsistunt.</i>	429
1.	<i>De Sensismo mystico.</i>	<i>ib.</i>
2.	<i>De Empirismo.</i>	436
3.	<i>De Hermesiano philosophico.</i>	439
CAPUT II.	DE RATIONE CUM FIDE.	473
ARTIC. I.	De fide in sua natura spectata.	<i>ib.</i>
PROP. I.	<i>Fides, in natura sua ac principio formali</i>	



	<i>spectata, essentialiter a scientia distinguitur.</i>	474
PROP. II.	<i>Licet motiva credibilitatis extrinsecam pariant obsectorum fidei evidentiam, nunquam tamen constituere possunt motivum formale actus fidei.</i>	477
	DIFFICULTATES.	479
PROP. III.	<i>Demonstratio, cujus capax est veritas christianæ fidei, aut motivum quodcumque credibilitatis non officit libertati illi, qua voluntas actum fidei imperare debet.</i>	485
	DIFFICULTATES.	489
PROP. IV.	<i>Potest de uno eodemque objecto haberi simul scientia ac fides.</i>	491
	DIFFICULTATES.	494
ARTIC. II.	De nexu ac mutua relatione fidem inter ac rationem.	498
PROP. I.	<i>Fides neque extinguit naturale rectæ rationis lumen, neque illi unquam potest adversari.</i>	499
	DIFFICULTATES.	502
PROP. II.	<i>Fides non tantum humanæ rationis incrementis non adversatur, sed ea potius mirifice provehit.</i>	509
	DIFFICULTATES.	515
CAPUT III.	DE RATIONE POST FIDEM.	526
ARTIC. I.	De recto rationis usu post fidem.	527
PROP. I.	<i>Post susceptam fidem potest humana ratio fundamenta ipsius fidei singulorumque dogmatum investigare, eaque tueri.</i>	ib.
	DIFFICULTATES.	530
PROP. II.	<i>Potest præterea humana ratio fidei doctrinam ad tractationem vere scientificam evehere.</i>	534
	DIFFICULTATES.	542
ARTIC. II.	De abusu rationis post fidem.	546

PROP. I.	<i>Nequit humana ratio se ipsam unicam fidei regulam constituere, quin fidem destruat, quæ ab auctoritate pendet.</i>	547
	DIFFICULTATES.	550
PROP. II.	<i>Ab essentiali protestantismi constitutione ac natura necessario profluit rationalismus; seu si protestantismus est verus, falsus est Christianismus.</i>	554
	DIFFICULTATES.	561
	SECTIO II. DE METHODOLOGIA.	566
CAPUT I.	DE THEOLOGI MUNERE.	567
CAPUT II.	DE METHODO.	570
CAPUT III.	DE INSTRUMENTIS SEU MEDIIS, QUÆ THEOLOGO USUI ESSE POSSUNT.	583
	Versio latina locorum quæ ex scriptoribus italibus in hoc ultimo totius operis volumine citantur.	589

### APPROBATIONES ROMANÆ.

NIHIL OBSTAT.

JOSEPHUS MARIA GRAZIOSI, *Censor Theologus.*

IMPRIMATUR.

F. D. BUTTAONI, *Ord. Præd. P. S. A. Mag.*

IMPRIMATUR.

N. FERRARELLI, *Archiep. Myren. Pro-Vicesgerens.*

### APPROBATIO EDITIONIS LOVANIENSIS.

IMPRIMATUR.

*Mechliniæ, 19 Julii 1843.*

J. B. PAUWELS, *Vic. Gen.*









